Digitized by Google

*31. K. 30.

MENTEM ALIT ET EXCOLIT

K.K. HOFBIBLIOTHEK
ÖSTERR. NATIONALBIBLIOTHEK

*31.K.30

Digitized by Google

Digitized by Google

NOVA
ACTA
ERUDITORUM,
ANNO
MDCCLVII
publicata.

Cum Regis Pol. atque Electoris Saxoniae Privilegio.

LIPSIAE

Proſtant apud IO. FRID. GLEDITSCHII & LANCKISII heredes.

Venduntur etiam Romæ apud PAGLIARINOS: Venetiis apud IO. BAPT. ALBRIZZIUM: Bononiæ apud LAELIUM della VOLPE: Pariſiis apud BRIASSONUM: Ultrajecti apud IO. BROEDELETUM: Lugduni Batavorum apud SAM. LUCHTMANSIUM: & Amſtelodami in SCHREUDERI & MORTIERII iunior. officina.

MDCCLVII.

Digitized by Google

Digitized by Google

LECTORI CANDIDO

SALUTEM.

Iterum Actorum noſtrorum Volumen in manus tuas tradimus, noſtri in te, atque in bonas litteras animi, pignus certiſſimum. Etſi enim in hac triſtiſſima totius Germaniae calamitate, in hac rerum noſtrarum omnium perturbatione, poterat habere veniam aliquam ceſſatio; quod neque ad nos libri, ut olim, iuſto tempore venirent, & ipſa bellicorum tumultuum ratio, non bene Muſis, quae timidiuſculae ſunt, convenit: tamen, noluimus committere, ut vel armis profligatas e ſedibus noſtris inermes Muſas; vel nos ipſos, hac rerum converſione, ad deſerendam honeſtiſſimam ſtationem noſtram, turpiter abuſos, putes. Habemus autem Deo immortali gratias, quod, etiamſi pervenerit ad nos quoque publicae calamitatis magna pars, tamen hoc nobis rem eruditorum communem iuvandi ſtudium inte-

Digitized by Google

integrum ſervaverit. Qua quidem ſummi Numinis benignitate in eam ſpem adducimur, fore, ut etiam impoſterum, quoquo modo res nobis ceciderint, animo libero atque imperterrito fruamur otio muſarum, atque illam de ſtudiis noſtris praeclaram opinionem tuam, Lector, fortiter tueamur. Quas igitur gratias Viris doctiſſimis debeamus, qui libros recens a ſe editos ſponte ad nos miſerunt, hinc facile intelligitur. Praeterquam enim quod aluerunt ea ratione diligentiam noſtram; oſtenderunt etiam, qua noſtri fiducia id feciſſe videri velint. Hunc vero in nos animum ut perpetuum nobis ſervent, communium ſtudiorum cauſſa vehementer rogamus, atque interprete Carolo Andrea Belio, *Poeſ. Prof. Publ. Ordin. ſolennibus formulis pollicemur, daturos nos operam, ut non ſolum liberalitatis iſtius fructus largiſſimi in ipſos redundent, verum etiam ut confirmentur in dies in ea opinione, quam de noſtra laborum patientia, deque ſtudiis noſtris fovere eos, magna cum voluptate, non uno indicio cognovimus. Ita animati cum ſimus, eos quidem, qui magnifice de ſe, de nobis contemtim, loquuntur & ſcribunt, nos ridere, nemini debet mirum videri, qui, quas illi cauſſas obtrectandi habent penitius introſpexerit. A noſtro illi nos tramite, quem a longo inde tempore tenemus, certe numquam demovebunt; neque umquam efficient, ut altitudini fortunae, eorumque gloriae, quam ſibi, per nos licet, fingant ut lubet, cedendum putemus. Tu vale, Lector, & nos tui amantiſſimos redama.*

No. I.

Digitized by Google

NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipſiæ

Calendis Ianuarii Anno MDCCLVII.

IOANNIS DAVIDIS MICHAELIS, PHILOS. Profeſſ. Ordinarii, Societatiſque Scientiarum Gottingenſis Secretarii, Curæ in Verſionem Syriacam Actorum Apoſtolicorum: cum conſectariis criticis de indole, cognationibus & uſu verſionis Syriacæ tabularum Novi Fœderis.

Göttingæ, 1755. ſumtibus Vict. Boſſiegel, 4. Alph. 1. plag. 4.

Vtique nihil a Michaele noſtro, Viro longe clariſſimo, niſi perfectum ingenio, doctrina ſtylique arte expolitum, denique elaboratum induſtria, proficiſci poteſt. Eam ergo exſpectationem, libri, quem nunciamus, adſpectus non alit ſolum, ſed ſuperat etiam multa dote & varia, neque illa omnino ſperata. Eſt autem Noſter, tam felix rei ſacræ nomen, pro meritis familiæ clariſſimæ, referens, cum aliorum quibus ornari ſanctiores litteræ, quin fulciri videntur, tam critices veræ, qua nimirum adiuti lectionem divini codicis ad exemplorum verſionumque varietatem, modeſte examinamus, in paucis hodie ſcientiſſimus. Cuius ſcientiæ dextre utendæ cum non modo præcepta, ſed exemplum a Patre acceperit luculentiſſimum, (ille in Theologis Halenſis Academiæ, præſtantis doctrinæ laude florens, egregium de Var. Lect. N. Teſt. commentarium publicavit,) accedente inſigni eruditionis atque ingenii copia, ante annos fere ſex, in Præ-

Digitized by Google

paratione ſcitu neceſſariorum illis, qui legere N. T. libros curate & ſapienter non minus quam reverenter velint, oppido bona & probanda eius argumenti plurima tradidit. Nunc ubi, converſus ad declarandam ſingularem horum præceptorum partem, multa ſubtiliter atque docte ſibi diſputanda ſumſit: adeo pulchram critici pariter atque philologi in ſe oſtendit imaginem, elegans inprimis vel minutorum ſpectator, ut redditas in eo nobis Millii Bengeliique virtutes, ſane victuras, cenſeamus. Nos libri formam aliquam utiliter atque plene, qua licuerit, hic adumbrare ſtudebimus.

Ac primum nefas fuerit, illaudatam dimittere ad Ven. Parentem, *Chriſtianum Benedictum*, Auctoris epiſtolam, quæ & præfationis locum ſuſtinet. Illi potiſſimum inſcribendum dicandumque hunc laborem exiſtimavit filius. Nam & doctrinæ ab eo acceptæ fructus ad eundem redire æquum videbatur, & controverſa quædam, de quibus nos deinceps, ab illo ſcriptis tractata, hic compoſita, eidem quaſi poſtliminio propria iuberi. Denique cum libri ingenium non ſit huiusmodi, ut penitus legi, vel, quod maius eſt, in commoda litterarum verti ab omnibus, Tros Rutulusve fuat, poſſit; illum ſibi ſolum ex iis relictum eſſe profitetur V. C. a quibus præcipue cupiebat tractari hunc commentarium ſuum & expendi. Ex hoc enim intelligentium lectorum numero, in queis merito Patri Doctiſſ. primas tribuit, Bengelius Wetſteniusque divino arbitrio exemti ſunt. Etiam Quirinum, celebratiſſimum Eccl. Rom. Purpuratum, dum his immoratur Noſter, ſua fata vocarunt: cuius tamen oculos vel ideo ſubire hunc librum optabile erat, ut eruditiſſimus Vir idemque humaniſſimus, ad pandendos nobis Philoxeniæ verſionis Syr. in Italia codices impelleretur. Quale officium omnino gratum atque ſalutare rei criticæ utinam præſtent, ad quos iſta manaverint, ex doctis Italis alii. Poſt hæc, valde memoranda Doctiſſ. Auctor de eadem verſione prodit. Fuerunt qui dubitarent, utrum verſio Novi Foed. Syriaca, qua hodie utimur, antiqua illa ſit, imo Orient. Verſ. antiquiſſima, quæ & *ſimplex* (ܦܫܝܛܐ)

atque

Digitized by Google

atque *Vulgata* dicitur, an recentior, ſive *Philoxenia*, ſive *Heracleenſis*. Huius dubitationis recte pars poſterior repudiatur; at illius nervos nunc demum incidit Michaelis Noſter. Namque in Britannis, ſingulari fortuna, exemplum verſionis Philoxeniæ apud *Glouceſtrium Ridleyum*, ſacris faciundis eo in regno operantem Presbyterum, adſervatur: cuius cimelii primam famam Wetſtenii prolegomenis debemus. Ab eo Viro facile impetravit Noſter, ut codicis ſui notitiam, exprimendis Var. Lect. & cum Simplice verſione conferendis, ſibi per litteras impertiret. Harum ergo ſatis hic ampla pars exhibetur, eaque manifeſtum fit, quod Ridleius aperte pronunciat, *verſionem Philox. matrem Graecam tam preſſe ſequi, ut verba ipſa & verborum ſtructuram oculis ſubiiciat, ſecus quam Simplex.* Ea vero quæ Presbyter Doctiſſ. ex theſauro ſuo ediſſeruit, iure inducunt Noſtrum, ut optet, (nos autem quidni cum eo optemus?) vel integrum codicem, vel certe particulam eius, ſcriptura machinarum vulgari: dignum id fore Poſſeſſore, licet annis iam gravi; dignum eccleſiarum Proteſtantium honore, dignum gente honeſtæ liberalitatis ſtudioſiſſima, denique certiſſimo in commune litterarum uſu.

Sed nos iam librum ipſum, eundo per paragraphos, quarum tredecim inſunt, luſtremus. *Prima* interpretationes Pag. 1-8.
Græci textus in verſione Act. Apoſt. Syriaca obvias, easque partim ignotas vulgo, partim minus tritas, partim vel ipſius antiquitatis auctoritate memorabiles, profert, ſimul & de pondere illarum prudenter diſpicit. En Tibi, Lector, aliquas. 2.
In reddendis verbis Act. II, 24. *λύσας τὰς ὠδῖνας τȣ̃ θανάτȣ*, vagæ admodum ſunt interpretum ſententiæ. Syrus autem, incertum linguæ ingenio? quæ ipſi vocabulum a Petro adhibitum ſponte oblatura erat, an conſilio, vertit: ܫܪܐ ܚܒ̈ܠܘܗܝ ܕܫܝܘܠ, *ſolvit vincula ſepulchri*, repetita phraſi ex 2 Sam. XXII, 6. & Pſ. XVIII, 6. ubi חבלי שאול *funes ſepulchri*, atque *tendiculae mortis*, greſſus Davidis obſediſſe dicuntur. Scilicet hac phraſi ſepulchrum carceri comparatur, in quo vincti iaceant mortui. Neque dubitari poteſt,

Græcum ὠδῖνες Hebraico חבלים reſpondere, modo Alexandrinam utriusque loci Vet. Teſt. verſionem inſpicias. Quodſi igitur Petrus, Hebraice vel Chaldaice ad Hieroſolymitanos verba faciens, vocabulo חבלא uſus eſt, vertendum id a Luca, præeuntibus τοῖς ό, erat ὠδῖνες, ſive funes, ſive dolorem ſignificaret: hos enim ſcriptores ſacros imitari conſtat, atque horum auctoritate ὠδῖνες per Hebraiſmum etiam *funes* deſignant. Certe orientales *ligandi* & *dolendi* ſignificationem fere coniungunt, vt v. c. ab אלם *ligare*, Arabibus eſt אלים *dolorificus*. Noſtro autem loco *funes* intelligendos ſuadent quæ ſequuntur: *ſiquidem fieri non poterat ut ab illa*

Pag. 4. teneretur. Cap. VIII, 27. notatur lapſus B. Wolfii, qui cum videret, Gr. ἐυνοῦχος redditum a Syro eſſe ܡܗܝܡܢܐ, *fidelis*, ſeu, *cui aliquid credi poteſt*, putavit, Syrum vertiſſe πιστὸν, *fidum, ut proinde ab officio quo fungebatur, non a corporis vitio, adpelletur.* Sed ea vox ſine dubio *caſtratos* indicat, a fidelitate quæ in illis eximia credebatur, atque a fide illis habita dictos, quod vel ex Syro ad Matth. XIX, 12. patet.

ibid. Quam idem Cap. XVIII, 5. 6, præ ſe fert varietatem, non quidem interpretatio eſt, ſed magis diverſa lectio; at ſenſum loci in alia omnia mutat. Ita nimirum Syrus: *cum autem veniſſent ex Macedonia Silas & Timotheus*, premebatur Paulus verbo, *propterea quod reſiſtebant ei Iudaei & blaſphemabant, cum ipſe teſtaretur illis, quod Ieſus eſſet Chriſtus.* Hæc vero innuere videntur, non quidem diſputando victum eſſe Paulum, convicio tamen ac facundo Iudæorum clamore valde iactatum & fere oppreſſum, cum ipſe minime clamoſus eſſet diſputator. Atque ea fatetur Auct. Doct. optime congruere ſecundo Cap. prioris Epiſt. ad Corinth. omninoque ſimile aliquid Corinthi accidiſſe. Nam σοφίαν λόγου, qua ſæpe negat ſe præſtare Apoſtolus, eſſe artem ſophiſticam, a multis Græcorum adfectatam; aliasque eiusdem commatis excuſationes locum in Paullo habituras non fuiſſe, niſi aliquando convicio ſophiſticoque clamore & blaſphemiis Corinthi perturbatus ac propemodum victus fuiſſet. Sine ullo tamen Paulli reique Chri-

Chriſtianæ dedecore hæc dici poſſe: cum cedere talibus adverſariis nequaquam turpe fuerit, quin magis etiam confirmatum eſſe Evangelium, cui in eadem urbe ſenſim omnes acceſſerint. Pro lectione autem hac Syri iſtud dici poſſe: ſi talis ſemper græcus textus fuiſſet, qualem nunc legimus, vix videri, librarios vel caſu vel conſilio ea ſcripſiſſe, quæ Syrus cum aliis Codd. & verſ. habet; ſin iſta lectio vera & antiqua ſit, non defuturos fuiſſe homines nimis providos, qui eam in ſententiam minus ſuſpectam flecterent. Cap. XXII, 3. *eruditus* Pag. 8.
κατὰ ἀκρίβειαν legis patriae, Syro eſt: *eruditus in lege patria* ܓܡܝܪܐܝܬ, *perfecte*. Acute hic V. Cl. ſuſpicatur, hæſiſſe interpretis animo Gemaram quamdam, non quidem Talmudis illam, ſed tamen ore ac traditione propagatam aliam, ut adeo hæc verborum mens ſit: in lege patria, non ſcripta ſolum, ſed & Gemarice, atque ſecundum traditiones magiſtrorum, quæ eam perficere creduntur, eruditus ſum. Quæ certe veroſimilia, neque adverſa Græcis eſſe. Adparet quam ſcite his interpretationibus Syri utatur Noſter: cuius nos plerumque dicendi formam retinuimus, retinebimusque porro, pulchre ad res de quibus agitur adſtrictam, neque in ſuperflua diſcurrentem, aut quæ trita doctorum cognitione ſunt, repetendis occupatam. Iam in itinere amoeniſſimo progrediamur.

Docet itaque §. II. & III. *Arabicam* epiſtolarum & actorum 8-42.
apoſt. verſionem, *Erpenii* cura A. 1616. Leidæ typis officinarum deſcriptam, *filiam Syriacae* noſtræ habendam eſſe. Vidit hoc iam idem ille editor, Vir ſummus: vidit Vener. Noſtri Parens; neque tamen his adquieſcendum videtur auctoritatibus. Tot enim matris filiæque diſſidia occurrunt, ut dubios de neceſſitudine illa nos poſſint reddere. Deinde cum infra docendum ſit, lacinias quaſdam Arab. verſionis a Syriaca alieniſſimas eſſe, atque adeo aliunde depromtas: in aprico eſt, nullum illius in hac caſtiganda aut explicanda uſum eſſe poſſe, niſi certo conſtet, quæ pericopæ ex N. Teſt. Syriaco verſæ ſint. Ergo moleſtiſſimum in tenui laborem, ſed utilitatis non tenuis, exhauſit Vir Doctiſſ. dum loca ex Act. Apoſt. Arab.

 omnia,

Digitized by Google

omnia, in quibus veſtigia verſionis *Syriacæ* impreſſa deprehenduntur, collegit. Pertinet eo & *lectionum* utriusque verſionis concentus, & *interpretationum.* Illæ quidem §. VII. ſin-
Pag. 10 ſqq. gulæ traduntur, hic exempli cauſſa nonnullæ duntaxat earum. Non eſt autem in hoc numero locus niſi lectionibus inſolentioribus, gravemque habentibus dubitationem: maxime iis, quæ *ſingulares* ſunt, nullo ullius codicis verſionisque ſuffragio confirmatæ. Quod ad interpretationes, largiſſima hic ſeges
14-42. locorum oſtenditur, in quibus Arabs ille Erpenianus phraſes ipſas Syriacas & linguæ idiomata, nimia ſæpe diligentia ad verbum refert, atque etiam in interpretandis vocabulis conſtructionibusque Syri ambiguis errat, ubi nulla in Græcis ambiguitas, nulla erroris occaſio erat. Ita Act. I, 16. eamdem quam Syrus circumlocutionem verbi compoſiti προεῖπε, Ar. Erp. habet, nempe فدم قال (præpoſtere enim in libro bis o pro o ſcriptor librarius poſuit:) *antevertit dixit.* Conf. C. 3, 18. Secus utroque loco Arabs Polyglottorum. Aliud exemplum, Lector hoc cape. Vertit Syrus C. XXIII, 10. *miſit* ܠܪ̈ܗܘܡܝܐ *Romanos, ut venirent & eriperent illum.* Scilicet *Romanus* lingua Syr. militem denotat. At cum præfixum ܠ & Accuſativi indicium ſit, & præpoſitionem *Ad* exprimat: hac ambiguitate falſus Arabs vertit: *miſit ad Romanos,* cet. Quis hæc vel negligentiſſimus interpres ex Græcis: ἐκέλευσε τὸ ςράτευμα καταβὰν ἁρπάσαι αὐτὸν, effinxerit? Superſedemus plura adſcribere ſpecimina, ſatis habentes adfirmare, inſignem illum Syr. Simpl. & Arab. Erpen. conſenſum clarius, quam quidem hoc loco, evincendum non eſſe.

42-49. At ea ipſa harmonia egregie uſus eſt vir perſpicaciſſimus §. IV. Intellexit enim, cum Syriaca verſio ipſa interpolata nonnumquam & corrupta ſit, eam a filia ſua, quæ recte æſtimata perantiqui exempli Syriaci vim tuetur, caſtigari, ac velut in viam reduci, quin & obſcuras Syr. voces verſionis Arab. luce poſſe colluſtrari. Quod priusquam efficere ſtudeat, recte queritur, voces Syriacas vulgo ex ſola verſione

N. T.

N. T. diſci, quæ tamen iis explicandis minime ſufficiat. Præſto eſſe ſubſidia eius linguæ cognoſcendæ exoptatiſſima in Ephraimo & Bibl. Orient. Romæ publicatis: neque infimi ordinis in Arabe Erp. Itaque hunc producamus. Act. II, 37. Pag. 43.
τὸ κατενύγησαν vertit Syrus ܐܬܟܪܝܬ.. Iam iſtud ܟܪܐ
quid ſit, nemo ſenſit. Polyglotta reddunt, *ingemuit;* ſed *miſera illa latina verſio,* iudicium Michaelis recitamus, *infinitis ignorantiae ſocordiaeque veſtigiis turpis, non digna eſt, cui quidquam auctoritatis tribuamus.* Gutbierius lepide ex Græcis coniecturam faciens vertit: *compunctus eſt;* a quo non diſcedit Schaafius. Utramque verbi notionem reliquus Oriens ignorat. Quanto rectius Arabs noſter conſulitur, qui reddit *palpitarunt:* idque proprie etiam. Nam vox נבת Arabibus eſt *cito moveri,* inprimis *retro citroque,* a quo motu *alae avium* جناح Sur. VI, 38. audiunt. Ac palpitare *cor* illius apte dicitur, qui ſcelerum ſuorum recordatione cohorreſcit; *res* item *ſtupendae,* ad quas auditas contremiſcimus. Act. XIII. 10. 45.
non ſoli verſioni Syr. ſed græco textui ipſi declarando inſervit verſio Arab. Ibi enim τὰς ὁδοὺς κυρίου τὰς εὐθείας, vertendum ſuadet: *veram religionem,* oppoſitam longis ſuperſtitionis erroribus. Ὁδὸς certe ſæpe, Lucæ inprimis, religionem deſignat, orientali phraſi, Arabibus frequentata: atque hoc loco Arabs ponit مستقيم, quo vocabulo *veram religionem* gens illa notat. Conf. Sur. I, 5. Vocem ܡܗܝܪ,
qua redditur illud δυνατὸς Act. XVIII, 24. cui Caſtellus & ibid.
Gutbierius ſenſum *proſpicientis* & *oculati* tribuunt, id omnino ſignificare confirmat Arabs, vertendo: *videntem* in ſcripturis.
Quod Act. XX, 10. pro συμπεριλαβὼν exſtat ܥܦܦܗ 46.
(ἅπαξ λεγόμενον illud) quam inique cum חבק confert Caſtellus, ח pro ע, ב pro פ ſubſtituens? Eadem chorda oberrat Schaafius, cuius diligentiam laude dignam, ingenii autem acumine ſe numquam delectatum eſſe, adfirmat Auct. Clariſſ. Recte quidem vox *amplexari* redditur; ſed iſtud, neque illam quam diximus, rationem vagam tenendo, neque confidendo

textui

Digitized by Google

textui græco, a quo verbis ſæpe differt Syrus, ſatis tuto compertum habueris. Iterum vero Arabs noſter pulchre facem præfert, dum reddit: *collum eius amplexus eſt*. Monet hoc exemplum, Arab. verſionem non ad corrigenda ſolum lexica Syriaca valere, ſed etiam ad corroboranda ea, quæ illa magno
Pag. 47. conſenſu aliud ex alio nonniſi deſcripſerunt. Eiusdem Arabis auxilio vox ܩܕܡܐ Cap. XX, 13. cui in Græco nihil reſpondet, vertendum videtur *prope*, a ܩܕܡ *convenit*, & Cap. XXIV, 5. ܡܚܒܠܢܐ, quod pro λοιμὸν *peſtilentem* ponitur, *vaſtatorem*, vel *praedonem*. Fauſtus profecto Syriaco ſermoni irrigando fons, quem nobis hic Vir Doctiſſ. patefecit.

Ventum eſt ad argumentum non minus acri iudicio ab
49-55. Auct. diſputatum, §. V. Unde tamen ille Syriacæ & Arabicæ verſionis diſſenſus frequentisſimus? Potuit iam hæc, iam illa, vel negligentia vel diligentia nimia librariorum, corrumpi & interpolari: imo factum id eſſe quis dubitet? Ut ſi cum græcis contra Syr. conſpiret Arabs, locis ad illius exemplar certo converſis, ſine dubio depravatus ille eſt. Sane Arabica verſio in Simplice noſtra tam eruditos arguit errores atque elegantes, (v. c. pro ἀπεκρίθη C. XXV, 4. eſt ܗܦܟ ܦܬܓܡܐ *convertit verbum*) ut credibile ſit, hanc forte ex Heracleenſi ornamenta mutuaſſe. Credibile, aimus: nam de iſta pariter atque Philoxenia, non prius erit iudicandi locus, quam vel Ridleyus noſter, vel Aſſemani, cara orientalibus literis nomina, earum uſura nos impertiverint. Deinde hanc utriusque interpretis ſimultatem facile nonnumquam conciliaverit, qui teneat, Arabi paraphraſes in deliciis eſſe, quemadmodum pro Hieroſolymis *domum ſanctuarii* ponit, atque item verbum *coepit* p. 86. ex ingenio ſolet adiungere, qui mos redundanti ſæpe, ex multorum ſententia, in N. T. τῷ ἤρξατο, excuſationem Arabiſmi adferre poſſet. Gravisſimam autem huius diſſenſus cauſſam hanc tandem deprehendit Auct. Cl. quod laciniæ quædam Arab. Erpen. non ex Syr. ſed Coptico N. Teſt. verſæ ſunt, una forte illarum & altera ex textu

græco:

Digitized by Google

græco: non quaſi idem interpres mox Syrum ſecutus eſſet, mox Coptum; ſed quod librarius vel ignoraſſe in deſcribendo verſionum diverſos natales, vel codice hiante uſus videtur. Quidquid ſit, acute Noſter hunc canonem ſtatuit: *ſi totae diſcrepent pericopae, diſſenſum illum neutrius verſionis mendum arguere, ſed alios Arabicae natales; ſi conſpirent reliqua in pericopa, ſuſpicionem eſſe, aliquid ſive in hac, ſive in illa, mendi eſſe, ubi diſcrepant.*

Ad ipſa diſſenſus, cuius adhuc cauſſas ſcrutati ſumus, exempla §. VI. deſcenditur. Nihil attinet, operoſos nos in deſcribendis illis eſſe. Habent illa fere adiunctam Michaelis Noſtri criſin, atque eo iucundius evolventur. Certe ad veroſimilitudinis leges exegiſſe illum, quæ paſſim divinat, perſpicuum eſt. Ita ineptisſimum errorem, Act. II, 9. pro Elamitis Alanos ſubſtituentem, merito a librariis repetit: legitque adeo vocem in Syro Arabs genuinam. At iſtud peccatum disſimulavit in verſione Schaafius. Pari ratione abſolvendus fuerit γνήσιος Syrus ab errore craſſo, quo C. XIII, 8. vertit: *reſiſtebat autem illis magus hic* Barſuma, cuius nomen interpretatione redditur Elymas. Purus ab illo Arabs Erpen. quamquam & hunc deceperit Syrus, ܐܠܘܡܘܣ ſcribens pro ܐܠܘܡܐܣ. Cap. VIII, 23. pro græco χολὴν πικρίας, *fel amaritudinis*, mire legit Syrus ܟܒܕܐ ܡܪܝܪܬܐ, *hepar amarum*, ſed Græco convenientisſime Arabs. Idem tamen Rom. III, 14, *fellis* nomen in Syro, quod eſt ܡܪܪܬܐ, cum cognato vocabulo reddat, exſtitiſſe & loco noſtro ܡܪܪܬܐ credamus. Hæc documento ſunt, etiam ubi diſcrepat a Syro Arabs, eos in concordiam nonnumquam redigi poſſe. Sed eorum divortia, Arabisque ad Coptum deflectentis veſtigia, ſigillatim hic enumerare, gratiam habiturum eſt exiguam; at iis in diiudicandis lectionibus locorum, inprimisque in conſtituenda verſionis Syr. auctoritate uti, commoditatem minime ſpernendam. Pag. 55-80.

Alium laborem §. VII. cumque longe difficillimæ diligentiæ, 80-159.

Digitized by Google

tiæ, ſed in quo iudicandi facultas ſatis ſplendidas ſibi partes depoſcit, V. Cl. exantlavit. Quod enim iam Patrem Ven. queſtum meminit in Tract. de Var. Lect. N. F. Millium, eximium cetera æterno doctorum iudicio virum, adparatum illum V. Lect. ſuum non ex ipſis orient. verſ. depromſiſſe, ſed ex illarum interpretationibus latinis: id Noſter conferenda Verſ. Syriaca apprime intellexit, miraturque partim, neglecta illi paſſim Verſ. lat. indicia fuiſſe, partim ſortem V. Doct. dolet, qui in litteris Orient. hoſpes fuerit. Quanta autem, vel in Actis Apoſt. Syriacis Var. Lect. ſeges aut neglecta Millio, aut minus dextre indicata fuerit, non tamen invictam & lynceam Mich. noſtri adſiduitatem effugiens, paginarum quidem numerus, quem ad oram edidimus, abunde lecturos iſta docebit. Prodit vero illa multis ſtipata variique generis animadverſionibus, quæ iam docent, Wetſtenium vel auxiſſe Millium, vel oſcitaſſe cum eodem, iam aliorum Codd. in legendi varietate cum Syro conſenſum demonſtrant, iam doctas referunt coniecturas, alia. Nos pauca decerpemus: nam critices ſtudioſos iuvat omnem potius collectionem penitus cognoſcere.

Pag. 86. Dicitur Syrus Millio & Wetſt. ad C. III, 2. verba καϑ' ἡμέραν omiſiſſe. Imo liberius forſitan & paraphraſtice vertiſſe exiſtimandus eſt. Habet enim cum Arabe ſuo: portabant eum viri *qui conſueverant;* quae poſtrema niſi graecis illis reſpondeant, prorſus nihil ad verſum pertinent; ſed a veritate vix alienum eſt, Syrum legiſſe οἱ καϑ' ἡμέραν, *quotidiani homines,* idque reddidiſſe, *qui conſueverant.* Quam optabile eſſet, conferri hic poſſe Italam Actuum Apoſt. verſionem: quod cognitus iam eius cum Syriaca concentus locum ſuſpicandi relinquit, eſſe Codd. aliquos Latinos, qui lectionem illam habeant. Hoc ſibi Blanchinus, V. Doctiſſ. ut dictum putet, optamus. Cap. eod. v. 17. τὸ καὶ ante ἄρχοντες omittit Syrus, & Arabs uterque. Atque hæc particulæ abſentia omnino ſenſum mutat, facitque ſolum populum Iudæorum ignorantia excuſari, non principes eorum. Fruſtra eandem vocem in Cod. Coisliniano 202. qui eſt Sec. XIII.

97. quæſiveris. Cap. VII, 37. fingit Millius, Syrum pro ἀκούσεσϑε

σεσϑε legiſſe ἀκόυσεσϑε. In quo eum verſio polyglottorum feſellit. Nam ea Futurum Syri, ſenſum ſpectans, reddidit, *audiatis*. Qui lapſus Viri præſtantiſſimi iterum docet, non ſine rei criticæ detrimento, a fonte ad rivos ſecedi, cogente ſubſidiorum, quæ præcipua ſtatuuntur, inſcitia. Fuit vero iſtud Auctori Noſtro opportunum ad diſputanda quædam de editione N. Teſt. in quam plures viros doctos conſpirare vult, alio aliam partem criticam perficiente, unumque tamquam Millium quendam ſedere, qui varia ſcientiæ copia eminens, iudicem agat. Digna hoc viro vota, ſed agnoſcente ipſo, inania. Pag. 100.
Caſtigat poſtea ad C. VIII, 3. Hutteri Gutbieriique ſtultam temeritatem, qui locum hunc omnem, Syro & Arabi prætermiſſum, de ſuo verſum attexuerunt, velut alios quoque. C. XX, 28. (locus eſt præcipui ponderis,) utraque verſio 134.
pro Θεοῦ refert Χριϛȣ. Id ut negaret ſtuduit Millius, Syrumque adeo Κυρίȣ legiſſe monet. Verum hic interpres provide atque proprie nomina Κύριος & Χριϛὸς reddere conſuevit. Porro, quod eum dicit probo codice græco uſum eſſe, idque ex filo verſionis patere, de eo nihil liquere poterat Millio, a Syriacis litteris alieno. Hunc codicem cum *optimis* concinentem adpellat, ſtatuitque adeo de eius pretio ex lectionis ſinceritate, quod contra fieri debebat. Quae autem in Syro revera ineſt lectio, Χριϛȣ; merito illa, utpote a Codd. Mſctt. Verſionibusque reliquis omnibus recedens, abiicitur: orta ſine dubio ex ingenio ſcribæ, qui Deo ſanguinem tribui indignius ferebat. Sed memores eorum quæ in libro ſuperant, hic quidem plura non addimus.

Ut latius manaret omnis huius diſputationis utilitas, iam 159-163.
de cognatione Syr. verſionis cum aliis Var. Lect. fontibus Vir Cl. diſpicit §. VIII. De quæſtione primum iudicaturus, num Verſio Syr. latinizet, hoc eſt, Vulgatæ Latinæ & codd. ad eam refictis, etiam iis locis conſentiat, quos prave legit Lat. qua ſuper quæſtione amiciſſime eſt inter Viros ſummo merito venerandos, C. B. Michaelem, & I. A. Bengelium, diſputatum, id certe perfeciſſe Patrem ſuum exiſtimat Noſter, Syriacam Latinæ filiam non eſſe, diſcique hoc inſuper

Digitized by Google

ex §o ſuperiore poſſe, quæ tot proponat ſoli Syr. Verſ. proprias Lectiones. Neque tamen intra hæc ſubſiſtendum ſibi ratus, codices veteris Latinæ, quos vulgavit Blanchinus in Evang. Quadrupl. cum Syro contendit. Quo factum eſt quidem, ut utramque verſionem contra omnes nonnumquam codices græcos conſpirare deprehenderet. Attamen longe maior reſtabat lectionum copia, Syriacæ privarum, quas nullus oſtendebat Latinæ verſionis, vel priſcæ, vel recentioris, Codex. Itaque exploratum habemus, ex hac natales Syriacam non ducere.

Pag. 163-166. Quid autem? nonne inſignis Syr. inter & Lat. conſenſus in Lect. ſingulares, certiſſimosque errores, adparet? Iubet ille nos omnino fateri, utramque verſionem *cognatam* ſibi quodammodo eſſe. Ubi iſtud memorandum inprimis videtur, Syrum cum Cod. Cantabrigienſi, qui unus omnium maxime a librario ad Lat. Verſ. conformatus eſt, per XXII. priora Act. Capp. ſepties & ſeptuageſies, contra omnes Cod. Græcos, conſentire. Iam ſupparia in Marco obſervata ſunt Viro Doctiſſ. Reliqui Codd. quos in peculiaribus lectionibus adſtipulantes ſibi habet Syriaca Verſio, duo aut tria, certe non plus ſex veſtigia eius generis, prae ſe ferunt. Earum vero lectionum, quæ Syro cum Latino, & qui hunc ſectantur Codd. Græcis, communes ſunt, triplex eſt ratio, quam diſtincte tenuiſſe poſtea proderit. Aliæ eæque bene multæ, exſtant quoque in Arabe, arguuntque aliquam a ſtirpe cognationem utriusque Verſ. Alias, cum ex Ar. Erp. abſint, neque in Syro olim adfuiſſe credibile eſt. Sunt denique, quas olim in ſuo exemplo legit, ex eoque expreſſit Arabs, quamvis hodie in N. T. Syr. aliter atque in Latina habeant. Hæc igitur, adiunctis exemplis, *nona* paragrapho.

166-177. Enimvero operæ pretium eſt, indagare, ad quos iſte tam mirificus Lat. Verſ. cum Syriaca concentus ſit fontes referendus. Namque hi dum perveſtigentur, liberum erit omnibus, imo æquum videbitur, ea antiquiſſimarum verſionum harmonia, velut firmiſſimo argumento, pro lectionum in quas conſpirant veritate, uti. Itaque non hic de una verſione Syr. ſed

Digitized by Google

ſed de cardine critices ſacræ diſputatur, quæriturque adeo, ſitne Græca lectio conſueta Latinæ & Latinizanti præferenda, an hæc illi? Hæ enim duæ Codd. claſſes recte conſtituuntur. Illud autem cum adhuc fere in obſcuro fuerit, non eſt mirandum, a Millio Bengelioque Verſionem Lat. tum a Whiſtono Cod. Cantabrigienſem, plus iuſto cultum fuiſſe. Certe ſi numquam ex Syr. in Lat. ac viciſſim ex hac in illam, quidquam tranſiit, illuſtre erit utriusque verſionis conſenſus veritatis præſidium. At vero tres ſunt toties dictæ cognationis cauſſæ. Primo, Latinam verſionem antiquam, cuius diſſimillima Pag. 168.
ſunt exempla, non unam origine ſua eſſe, ſed plures verſiones, diverſis auctoribus editas, & Auguſtinus teſtatur, & res ipſa: eſtque etiam manifeſtum, verſiones illas librariorum culpa confuſas eſſe; unde tanta apud Blanchinum Lectionum diverſitas. Quodſi ergo ab horum interpretum aliquo Syriaca verſio in exponendis græcis in ſubſidium vocata eſt, facile intelligitur, ad eius laborem etiam reliquas verſiones Latinas, ipſamque adeo Vulgatam, effingi potuiſſe. Idque factum 173. ſq.
eſſe, aptiſſimis exemplis evincit Auct. Doctiſſ. Secundam vero cognationis cauſſam hanc prodit. Philoxeniæ verſioni ad A. C. 507. perfectæ, (Simplicem ad Seculum I. refert Noſter) varias Lectiones eruditus aliquis Syrus adſcripſit; quale illius exemplum his opibus ſuperbiens apud Ridleyum ſupra laudatum eſt. Iam quæ ab homine critico collectæ fuerant alio plane conſilio Lect. Latinizantes, eas incuria, vel optio etiam & voluntas deſcribentium, textui ipſi intulit: ex quo poſtea brevis erat in antiquam Verſionem migratio. Denique (tertiam habes, Lector, adfinitatis de qua diſſerimus cauſſam) cum Caroli M. iuſſu Latina evangelia ex ſimplice Syriaca caſtigata fuerint, quod Theganus apud Quercetanum in Hiſt. Francor. Script. T. II. p. 277. tradit, non potuit non inſignis Vulgatæ cum Syriaca concentus exoriri. Ex hac autem triplici cognatione ſequitur, lectionibus latinis aut latinizantibus novam auctoritatem a conſenſu Syri non accedere; contra hunc, ubi ab illis diſſideat, merito peculiari ſuffragio ornandum eſſe.

Digitized by Google

Pag. 177- Nunc Codd. Græcorum ſeriem §. XI. V. Cl. contexit, qui
190. cum verſione Syr. in lectionibus ſingularibus, certe raris, conſpirant. De eorum numero nos unum duntaxat commemoramus, quod narratio noſtra brevitatis iuſtae fines iam ſupergreſſa eſt, prætereaque hæc non videntur, niſi libro
184. ipſo adito, cum fructu cognoſci ſtrictim poſſe. Nimirum Codex Montfortianus, nonnullis locis ſoli propemodum Syro adhærens, idem ille eſt atque unicus, qui dictum de tribus teſtibus coeleſtibus 1 Ioh. V, 7. habet. Quapropter adcuratius in eius cum Syr. Verſ. conſenſum inquiri vult Michaelis, ut integre de eo iudicari poſſit. Addit, illud quidem liquere, Codicem non eſſe Complutenſi editione recentiorem, neque ex ea deſcriptum, quod de Berolinenſi, in quo verba controverſa inſunt, docuit la Crozius: alioqui illum non contra Complut. cum Syro in lectiones ſingulares conſenſurum; tamen recentisſimum exemplum reliquis omnibus opponi recte poſſe negat.

191-194. De ſingularibus autem Syr. verſionis lectionibus hæc §. XII. pronunciat. Nec plurimas earum, nec multas, pro veris haberi poſſe. Impudentis vero eſſe, ſemper errantem facere hanc verſionem, ubi a codicibus græcis pleriſque diſcedit: quippe quæ ex codice multo antiquiore omnibus, qui ſuperſunt, facta ſit; earum porro quas diximus lectionum nonnullæ, ſententia atque verbis ſatis elegantes, aliæ eius ſint argumenti, ut diſſimulari a librariis potuerint, neque paucæ unius iam aut plurium Codd. ſuffragiis firmentur. Momentum denique talium lectionum conſulendis diligentiſſime Codd. græcis figendum eſſe. Sed quod ex una verſione Syra tantus Lect. ſing. adparatus erui poſſit, quantus ex Cod. nullo, id ſibi videri adſcriptis Philoxeniæ verſioni Lect. Var. originem debere. Sin Lect. hæ ſingulares primo interpreti vindicandæ ſint, multum eius librum græcum a noſtris, verbis plerumque idem ſignificantibus, nonnumquam tamen & ſententiis, abiiſſe. Hanc dubitationem a Ven. Ridleyo, publicando Philox. Verſ. exemplo, tolli poſſe.

Sed quam ſæpius V. Cl. retractans inprimis §. libri VII. de

Digitized by Google

de Wetſtenii nuperis in N.T. curis, animo cogitationem vol- Pag. 196-
uit, eam tandem ultima §o effundit. Neglectis autem quæ 200.
Viri apud nos ſummi, Erneſtus atque Baumgartenus, eo ſuper labore queſti ſunt, ſibi iam omnem Wetſtenii in excutiendis Codd. Græcis diligentiam ſuſpectam eſſe fatetur. Quodſi enim in excerpenda Verſ. Syr. intellectu facillima, quam ſolam ex Orient. oculis ſuis tractare potuit, tantæ ſunt Wetſtenii tamque graves hallucinationes, quales ſupra deprehendit, credemusne eum ad codices græcos, lectu ſæpe Syriaca Verſ. difficiliores, maiorem adtuliſſe accurationem? Atque hanc ſuſpicionem non obſcuris indiciis confirmari dolet. Quare Millium non omnino ſeponendum eſſe exiſtimans, ſed Wetſtenio coniungendum, certiora his ab illis, quibus Codd. Græcos inſpicere datur, produci in commune optat. Qui eſt libri univerſi exitus.

Eximium vero doctiſſimi vereque teſſellati operis architectum. Qui longe ampliora quam quis ab indice exſpectaverit, hic comprehendens, mirifice nobis ingenium, eruditionem, atque, cuius hoc loco utiliſſima forma ſpectatur, diligentiam ſummam adprobavit; tum, quid ſit docte coniectari de implicati argumenti ſubtilitate, quemadmodum grammatica, quorum præcipua pars ſunt critica, non modo utiliter tractanda ſint, ſed comto etiam & ſuavi ſcriptionis genere ediſſerenda, egregie exemplo ſuo docuit: Vir ſcriptis compluribus, & tradendis acute doctrinæ variæ partibus, nobilis, meritoque apud noſtros gratioſus: cuius propediem redibit honorifica in hæc Acta noſtra mentio.

IO. FRIED. WILH. DE NEVMANN IN Wolfsfeld, Conſiliarii Brandenburgico-Anſpacenſis, Meditationes Iuris Principum Privati.

Francofurti ad Moenum, ex officina Reinh. Euſtach. Moelleri. A. 1751-1756. Tomi VIIII. in 4to.

Privatas Principum controverſias Doctores hactenus obiter fere in publici privatique iuris diſciplinis attigerant: ſin-

Digitized by Google

ſingularia capita quidam & libellis peculiaribus perſecuti fuerant: iuſtum ſyſtema deſiderabatur. Nec enim duumviri illi, Griebnerus & Struvius, ſuis ultimam addiderant limam. Rem itaque aggreſſus eſt Auctor Generoſus, experientia & rerum gerendarum dexteritate clarus. Promulſidis loco Inſtitutiones Iuris Principum Privati ediderat. Iam & lautiores adponit epulas, quibus in parandis has ſibi ſcripſerat leges, *ut cuncta, quae occurrunt, privata Principum negotia, in iuſtum ac ſyſtematicum ordinem redigerentur; eorum natura & indoles perſpicue traderetur; quid circa eadem naturali iure, iuxta primaevam hominum aequalitatem, iuſtum ſit; quamque exceptionem introducta poſtmodum inter parentes & imperantes, nobiles ac plebeios, inaequalitas poſtulet; nec non in quantum per leges fundamentales & conſuetudines, ipſorum ſummorum Principum libertas, etiam circa privata ipſorum negotia, deprehendatur reſtricta, exponeretur; ac ſpeciatim eundo ad Germaniae Principes oſtenderetur, in quantum iis iura peregre adſcita adplicari debeant, nec ne? ac ubi Doctorum diſſenſus ſe prodit, comparatis inter ſe diverſis eorum ſententiis, illae, quae analogiae & nexui praeſtantiſſimae huius ſcientiae maxime conveniunt, ſeligerentur; exemplis ac praeiudiciis memorabilibus illuſtrarentur; & ſicubi eadem ſibi contrariari videantur, in eius rei rationem & circumſtantiarum diverſitatem diligenter inquireretur.* Præf. p. 5.

Ordinem tenuit fere eum, qui eſt Inſtitutionum Iuſtiniani, præcipiens quippe primum de perſonarum, hinc de rerum, pactorum, & delictorum iure, ac tandem de iudiciis.

Tomus I. inſcribitur: *De iure perſonarum Illuſtrium, earumque Miniſtris; praemittitur Notitia Scriptorum Iuris Principum Privati.* 1751. 2 Alph. 2 pl. Producuntur in Notitia Scriptorum numeroſæ non tantum, ſed & in genera & ordines coactæ auctorum copiæ, addita etiam frequenti nota, adeo ut hac parte nemo facile quid deſideraverit. Ipſum ius Perſonarum Principum tribus abſolvitur libris, quorum quilibet in Titulos diſpertitur ſuos; Paragraphi vero una eaque non interrupta numerantur ſerie: quæ ratio totius eſt operis.

ris. Primus liber eſt *de Iure Principum in genere, eiusque Principiis.* Hic Rhodus, hic ſaltandum; hic audiendus Auctor eſt. Princeps ei eſt idem, qui vulgo Illuſtris, ſive imperet civitati, ſive non; ſive liber ſit ab imperio alterius, ſive alteri ſubiectus; Princeps, ſive Germanus, ſive Gallus, Polonus, cuiascunque demum. Fines iſtius Iuris Principum Privati ſic regundos cenſet p. 75. ſq. *Differt,* inquit, *a iure naturali proprie ſic dicto, utpote quod homines inter ſe prorſus aequales, & in ſtatu mere naturali viventes, noſtrum autem inaequales, Principesque, dignitate prae reliquis eminentes, ſupponit.* Quæri poſſet, an dignitas Principis ab imperio liberi id efficiat, ut actiones eius humanæ, aut, ſi mavis, privatæ, alio quam naturali hominum iure, eoque æquabili, cenſendæ ſint? *Differt porro,* inquit, *a iure naturali hypothetico, quod Privatum Univerſale vocant nonnulli. Hoc enim admittit quidem ſtatum civilem & inaequalem, in genere tamen tantum docet, quibus legibus NB. ſubditorum actiones moderari liceat, Privatum contra Principum ius etiam & potiſſimum circa Imperantium actiones verſatur. Eadem ratione differt a Iure Civili ſingularum rerumpublicarum, cui ſubditi ſoli, non vero ipſi imperantes, ſubſunt.* Atqui, quidam Principes ſunt ſubditi? & poſſet forte non abſurde exiſtimari, ius Privatum Principum non ſubditorum, naturali; ſubditorum vero, civili privato, tum univerſali illo, tum particulari iure, contineri. Sed de hoc quærant, qui velint, ac poſſint etiam. Nos ad ſumma pergimus, quæ Auctor tradit, Principia Iuris Principum Privati, eaque, ut ex fundamentis iactis totius ædificii compages intelligi queat, integra adſcribimus. Statuit autem ſic p. 76. *Normam privatis Principum negotiis, in rebus praeceptis & prohibitis, ſola iura divina, in indifferentibus ipſa praebent Principum pacta.* Iura divina intelligit, tum Poſitiva illa Univerſalia, tum Naturalia: hæc, duce Grotio, in præceptiva, prohibitiva, & permiſſiva diſcernit, quorum poſtrema ſola pactis mutari determinarive queant. Pacta vero dum dicit, & ſubiectionis civilis pactum intelligit, utpote ex quo iura Principum ſubditorum derivanda veniant. Pag. 79. *Apud Germa-*

Digitized by Google

nos in privatis illuſtrium perſonarum cauſis hic ordo ſervatur, ut ex pactis & conſuetudinibus, hisque deficientibus, ex legibus patriis, provincialibus primum, poſtea fundamentalibus, ſeu Receſſibus, atque his ſilentibus, ex peregre receptis, ſed & his nos deſerentibus, ex naturali tandem iure deciſio petatur. P. 83. *Leges provinciales non ipſos legislatores, ſed horum ſaltim ſubditos, utut illuſtres, ſtringunt & iuvant. Mixtam vero ex conſuetudinum & legum provincialium, imo & pactorum expreſſorum iure, auctoritatem inter Imperii Germanici Principes, habent Speculum Saxonicum & Suevicum,* quod ita explicat p. 86. *Speculis iuris provincialis & feudalis Saxonico & Suevico, mixtam ex iuribus pactorum & obſervantiarum, & provincialibus legibus, ideo tribuimus auctoritatem, quoniam ab initio per modum conſuetudinum invaluerunt, temporis autem tractu per leges expreſſas in ſubditorum, per pacta autem in ipſorum Principum negotiis, pro norma fuerunt recepta:* p. 93. *Imperii Receſſus normam quidem praebent, decidendi cauſas privatas, Illuſtrium Imperii ſubditorum; ſed quoad mediatos ſubſidiariam ſaltem, deficientibus legibus provincialibus, utpote quibus per Imperii Receſſus non derogatur:* p. 103. *Iuris Canonici uſus in cauſis Principum privatis, inprimis quoad beneficia eccleſiaſtica, ac inter Pontificios in matrimonialibus, non eſt nullus; quoad reliqua non adeo magnus:* p. 107. *Ius Iuſtinianeum in privatis Principum cauſis, receptum quidem, ſed in ſubſidium ſaltem, ſilentibus legibus patriis, ac domeſticis; in publico autem iure, nullam eius auctoritatem agnoſcimus:* p. 117. *Generalis receptio Iuris Feudalis Longobardici, per univerſam Germaniam, nunquam eſt facta. Quare prius ex eodem privatae Principum controverſiae decidi non debent, quam ſpecialis eius receptio fuerit probata.* Liber II. eſt de Iuribus Perſonarum Illuſtrium Abſolutis, ubi tum modi, dignitatem Illuſtrem acquirendi amittendique, tum ipſa iura præcipua eorum, v. c. exemtio ab oneribus civilibus, præcedentia, ius inſignium, imaginum, cet. proponuntur. Liber III. eſt de Miniſtris Principum, eorum conſtitutione, obligatione, huiusque ſolutione.

Tomus

Tomus II. agit *de matrimonio Principum,* 1751. 1 Alph. 19 pl. Diſſeritur fuſe de matrimonii requiſitis, effectibus, atque ſolutione. Notamus, tanquam ſingularia quodammodo: p. 8. Matrimonium in ſenſu morali eſſe viri ac mulieris individuam vitæ conſuetudinem, ſive ſummum amicitiæ gradum: hinc p. 9. neceſſarium non eſſe, ut ſobolis procreatio præciſe intendatur, nec adeo corporum coniunctionem ſimpliciter requiri: p. 12. facultati matrimonii ineundi libere poſſe renunciari, nec enim coelibatus promiſſione quicquam impoſſibile contineri; exiſtant ſtimuli Venerei, dummodo ſubigantur ratione: p. 16. poſſe & coelibatum legibus ſanciri: p. 41. prohibitiones graduum Levit. XVIII. univerſales non eſſe: p. 44. fratrum & ſororum connubia eſſe licita: p. 188. conditionem virginitatis perpetuæ ſervandæ adiici poſſe; nos addimus: ſervari vix poſſe.

Tomus III. inſcribitur: *de patria poteſtate & tutela Principum, Commentatio,* 1751. 2 Alph. 6 pl. In duos diſpeſcitur libros, quorum prior eſt de patria poteſtate, poſterior vero de tutela Principum. E multis egregie elucidatis quæſtionibus iuris univerſalis, unam ſpeciminis loco adferimus, quæ eſt de Principum in liberos ſuos imperio, quamque Auctor p. 139. ſic decidit: *Principum liberi, tum legitimi, tum illegitimi, ne in noſtro quidem Imperio civili parentum poteſtati ſubſunt.* Ceterum, uterque locus, tum ille de patria poteſtate, tum alter de tutela, diligenter eſt excuſſus.

Tomus IIII. inſcribitur: *Reale Principum Ius, ſive de dominio & ſervitute, pignore & hypotheca, Poſſeſſione & Praeſcriptione, dote & dotalitio Illuſtri, Commentatio,* 1752. 3 Alph. 1 pl. In quinque libros tribuitur, quorum primus eſt de dominio, ſecundus de ſervitutibus, tertius de pignore & hypotheca, quartus de poſſeſſione & præſcriptione, quintus dein de dote & dotalitio.

Tomus V. eſt: *de hereditatibus & ſucceſſionibus Principum, Commentatio,* 1752. 3 Alph. 8 pl. Sex abſolvitur Sectionibus, quarum prima agitur de publica ſucceſſione ex populi voluntate; ſecunda de pactitia Principum ſucceſſione; tertia

de ſucceſſione legitima; quarta de teſtamentaria Principum ſucceſſione, quinta de ſucceſſionibus ab inteſtato; & ſexta de adita hereditate, atque orta inde obligatione. Occurrunt paſſim tabulæ Genealogicæ, illuſtrandis controverſiis variis, de ſuccesſionibus in Germania exortis.

Tomus VI. eſt *de pactis & contractibus Principum Commentatio*, 1752. 2 Alph. 23 pl. Duobus abſolvitur libris, quorum alter de pactis & contractibus Principum in genere, alter vero de ſingulis pactorum & contractuum ſpeciebus, eorumque inter Principes uſu, exponit.

Tomus VII. eſt *de delictis & poenis Principum Commentatio*, 1753. 1 Alph. 9 pl. Hæc pariter duobus conſtat libris, quorum prior de delictis, alter, de poenis agit.

Tomus VIII. eſt *de Proceſſu Iudiciario in cauſis Principum Commentatio*, 1753. 2 Alph. 4 pl.

Tomus VIIII. inſcribitur: *Meditationes Iuris Principum Privati, ſive Iurisprudentiae Illuſtris, exhibentes Supplementa priorum octo Tomorum*, 1756. 2 Alph. 5 pl. Exhibentur ſupplementa eodem ordine, quo ipſum Opus concinnatum eſt. Refutantur iis pasſim obiectiones, adduntur quæ illuſtrant, argumenta atque exempla.

Cuique tomo ſuus additur index. Operis, ut plurimum induſtriæ, ita difficilis cenſura eſt, quæ nec incivilis, nec mercenaria videatur. Nullus facile eſt illuſtrior locus, ſive Naturalis ſive Poſitivi, ſive Publici ſive Privati Iuris, quem non excuſſerit, aut attigerit ſaltim Auctor, oſtendens ubique, an & qua ratione causſis Principum conveniat. In Iure Publico Univerſali egregie doctum & cordatum ſeſe probavit. Placent, ſi non omnes, plurimæ certe eius definitiones, licet nonnunquam decidat dubitanter, aut plane non decidat. Si, quæ hinc inde occurrant, quibus forte iure intercedi queat, ea tamen tanti non ſunt, ut propterea partæ Auctoris in rebus civilibus famæ quicquam detrahere fas ſit. Ceterum, exemplis omnes tituli ſunt referti, nec raro Diplomata, inſtrumenta, tabulæ publicæ inſeruntur, aut integræ, aut ſciſſæ in partes, ſive excerpta, prout congruum videbatur. Vitæ conſuluiſſe videtur

tur magis, quam ſcholæ. Operi non deerunt quidem cenſores, ſed neque emtores.

IOH. THEOPH. GONNII, CONSIL. AUL. & Iur. Profeſſ. de Ducatu Franciæ Orientalis Diſquiſitio.

Erlangæ, 1756. quaternis, 20 plagg.

Nemo adhuc, quod ſciamus, eorum, qui rationem expoſuere, cur Epiſcopi Herbipolitani titulo utantur Ducum Orientalis Franciæ, & multi eam rem aggreſſi nomen inde famamque confecerunt, videri poteſt intelligentibus feciſſe ſatis. Neque Gonnius, Vir Clariſſ. peculiari eam in rem ſuſcepta opera, de qua nunc in litteras relaturi ſumus, expectationem, quam primo libri adſpectu moveat Auctoris exiſtimatio doctrinæ magna, ſuſtinuiſſe dicendus eſt. Originem tituli quandam tradit ille huiusmodi: Sigismundum, Epiſcopum Herbipolitanum, eo titulum Ducis adhibuiſſe primo, quia natu fuiſſet Dux Saxoniæ. Deinde autem, quum retinuiſſet eum Pag. 3.
titulum, qui Sigismundo ſucceſſit, Gothofredus, & ſcriptum ſtatim ſequeretur nomen Franciæ, quod mos eſſet, ut Epiſcopi, qui eſſent Herbipoli, Franci [zu Franken] nominarentur: factum fuiſſe, ut inſequentium temporum Epiſcopi, prava ratione, Duces Francorum ſeſe perhiberent. In quo diſſentimus a noſtro, qui videtur ignoraſſe documenta nonnulla, quæ doceant, Epiſcopos Herbipolitanos multo ante appellatos Duces fuiſſe. Sed eam rem perſequi non eſt huius operæ, quam illa poſtulat ſingularem. Sequitur iam quæſtio, an 4.
Epiſcopus Herbipolitanus iure titulo Ducis utatur? Obſervat noſter, anno Chriſti 1521. eam rem in dubium vocatam fuiſſe: ſed poſtmodo epiſcopis illius uſum tituli conceſſum hactenus, ne cui fraudi Ducibus eſſet Franciæ. Verum. Sed Epiſcopis Herbipolitanis nos propterea non abnegaverimus ius utendi eo titulo, quo narrat *Adamus Bremenſis* illos iam Seculo undecimo privatim uſos eſſe, ob iurisdictionem quam dicunt omnimodam terræ ſuæ, datam ipſis a Conrado Salico; qui

gradus eſt ad ducatum proximus. Sed alii, quos iuvabat colligere gratiam horum Epiſcoporum, ius illud exiſtimarunt altius eſſe repetendum. Itaque fabulantur neſcio quam donationem Pipini Regis: cuius donationis inſtrumentum ſi requiras, cum proferri nullum poſſit, quod dictu facillimum eſt, aiunt igne conſumtum periiſſe. Quorum quidem ſomnia refutata ſunt a duobus, qui præcipue nominandi ſunt, *Ludovico*, [de Ludewig] & *Bequio* [Beck]. Noſter illa infringit ac refellit planiſſime, argumento uſus novo & aliquantum fortiori, nimirum, Pipini tempore Ducatum Franciæ, hodie qui eſt, nullum dum fuiſſe. Nam Germaniæ pars ea, quæ Francia tunc, aut non multo poſt, orientalis audiebat, alias terras plures, ut Thuringiam, regionesque Slavorum, complectebatur. Alii probant hoc modo: Burcardum Epiſcopum, Duci Hetano in Ducatu ſucceſſiſſe. Noſter optime, qui tam ſtupidos monet, quod non attenderunt, Hetanum Thuringiæ præfuiſſe, non Franconiæ. *Eccardus* denique, his temporibus Ducatum a Carolomanno, Pipini Regis fratre, donatum Burcardo venditat. Cuius reprehendit non dico ſtuporem, nam vir erat magno ingenio & acumine, ſed epiſcopis, a quibus inire gratiam ſperabat, adulandi voluntatem, qua homo in tam ridiculum errorem impegit, ut non animadverteret, aut alios certe non putaret animadverſuros, anno
Pag. 23. Chriſti 751, in quod tempus epiſcopatus incidit Burcardi, Carolomannum vivere iam deſiiſſe. Præterea, in eo inſtrumento, quod undeunde producunt, ad rem ſcilicet confirmandam, aliquot pagorum tantum mentio fit; non etiam Ducatus, quem alicunde dono accepiſſent. Atque hæc copioſe ſatis diſputat noſter, multa memoratu non indigna lectoribus impertiens. Ut, quod ait falſum eſſe, Franciæ Comites ſub imperio Carolingorum e Francia exactos fuiſſe. Ut, donationem Ducatus inde probari non poſſe, quod Epi-
47. ſcopis permiſſum fuiſſet Slavos recipere. Nam Bonifacium conſuluiſſe illum quidem Zachariam Pontificem, an iſte populus, tributum ferre cogendus eſſet, verum nihil exigendo eo lucri feciſſe. Porro, non prodeſſe Ducatus fautoribus ineptis, diplo-

diploma Conradi I, cuius hæc ſit ſententia, ut Epiſcopus, eiusque familia, hoc eſt, qui ſunt in miniſterio epiſcopali, ab iurisdictione Comitum immunes pronuntientur. Nequaquam vero iurisdictionem ipſam, Epiſcopis, in Ducatu conceſſam videri. Atque hoc notandum eſſe in pleriſque diplomatibus, quæ ab Epiſcoporum aſſeclis proferantur: immunitatem videlicet ab iurisdictione ſolam illis conceſſam. Liberaliter alii nonnulli, qui ſomniant, Eccleſiæ Herbipolitanæ ſub Ottone III. multa obveniſſe. Sed hic Imperator, ut interim ponamus quod illi precario aſſumunt, ad donationem provocat Caroli Magni: cuius ætate Burcardum veriſimile eſt non vixiſſe. In diplomate Conradi II. tota Epiſcopi familia immunis ab iurisdictione Comitum pronuntiatur, exceptis his Parochis, quos *Bargildon* vocarent, qui iurisdictioni Comitum ſubiecti, ut antea, manerent. Eſt in quæſtione, *Bargildon* quod genus fuerit Parochorum? Noſter interpretatur *liberos homines:* & pro *Parochos*, quod eſt in diplomate, ſcribit *Francos hos*. Eam emendationem probare nullo modo poſſumus. Nam Franci, nonne liberi ſunt homines? Atqui, ſi Bargildon & ipſi liberi ſint homines, oportet, nullum eius, qui diploma ſcripſit, ſenſum fuiſſe. Orationis, quæſo, agnoſcite pravitatem: *exceptis his hominibus liberis, qui liberi homines vocantur.* Nos igitur verbum retineamus, *Parochos*. *Bargildon* autem videntur nobis fuiſſe, qui Principi, nexu quodam vaſallitico, ad onera & ſervitia præſtanda obligati eſſent. Reſtat diploma quoddam Friderici I, quo ſuperbiunt in primis illi non minus hebetes ingenio, quam impetu acres, tituli Ducalis Epiſcoporum Herbipolitanorum vindices, ut ita dicamus, antiquarii. Sed hoc quoque diploma, variis argumentis, oſtendit noſter eſſe ſuppoſititium. Ex quibus unum admodum eſt, quo commonendus eſt vero excidiſſe ſe. Nam quod ait, Fridericum I. titulo *ſemper Auguſti* uſum non fuiſſe, aperte falſum eſt, cum conſtet ex eius ipſius conſtitutionibus, quæ Corpori iuris annexæ reperiuntur, eum ſemetipſum *ſemper Auguſtum* nominaſſe. Ceterum, ſunt egregia quæ de iudicio provinciali Francorum diſputantur. In univerſum deſideramus

Pag. 64. 74. 81.

mus tria: quod nihil primum de Ducatu Franciæ Orientalis; nihil de iurisdictione Epiſcoporum in Dioeceſi ſua: quam iurisdictionem antiquitus illis competiiſſe in dubium vocari non poteſt, eo quod plurimi ſcriptores fide digni memorant, Epiſcopum Herbipolitanum præſtare ceteris iurisdictione, quam cum eccleſiaſticam tum profanam exerceret; ac conſtat, olim ab Imperatore, in Epiſcoporum invidiam, Ducem Franciæ conſtitutum fuiſſe, quæ ſine Duce prius Imperatorum tota eſſet: poſtremo, quod de titulo Ducis ipſo nihil dixit.

SYMBOLÆ LITTERARIÆ, OPUSCULA varia philologica, ſcientifica, antiquaria, ſigna, lapides, numiſmata, gemmas, & monumenta medii ævi complectentes. VOLUMEN V. in quo, inter alia, inſignis ex aere Tabula Placentina.

Florentiæ, ex Imperiali Typographia, 1749. plag. 14. 8 mai.

Promulſide data, coenam eruditis parare coepit genialem incomparabilis promus condus, *Ant. Franc. Gorius*. *Primum*, quod adpoſuit, ferculum, eſt *Iudicium ſive Placitum, habitum Ravennae in Monaſterio Claſſenſi a Silveſtro II. P. M. & Ottone III. Aug. Imp. nunc primum in lucem editum, cum adnotationibus Lud. Ant. Muratorii.* Adelais, Ottonis I. Aug. coniux, quum regnum Italiæ, quod tunc temporis Ravennam cum Exarchatu & Comaclum complectebatur, vicario Imp. nomine adminiſtraret, extra Ticinenſem urbem monaſterium Benedictinorum *S. Salvatoris* condidit, conditum liberaliter dotavit, eidemque *Pomposianum* & *S. Vitalis*, vetera monaſteria, in Comaclenſi agro ſita, auctoritate Cæſarea ſubiecit. Dum Auguſta in vivis eſſet, nemo hiſcere auſus eſt: ea vero A. 1098. mortua, continuo reclamare coeperunt, tum Archiepiſcopus Ravennas, ius ſuum in utrumque hoc monaſterium læſum contendens; tum eorum Abbates, quibus grave nimis videbatur, Ticinenſi coenobio ſubeſſe. Interceſſere Otto III. & Silveſter II. ut Andreas, Ab-

Abbas monaſterii *S. Salvatoris* ſuis renunciaret iuribus, idemque facerent Epiſcopi, Comaclenſis & Adrienſis, ſi quid iuris ſibi tribuerent in eadem monaſteria. Atque hæc renunciatio, Eccleſiæ Ravennati, ſecundum ritum eorum temporum, coram Ottone III. & Sylveſtro II. facta, continetur hoc ſolemni Placito. Paucis poſt menſibus, Otto Imp. utile dominium Ravennæ & Romandiolæ Archiepiſcopo Ravennati largitus eſt, recepto ab eo, permutationis titulo, *Pompoſiano* coenobio: quo factum, ut *Pompoſia* regium monaſterium evaderet. Gratulamur orbi erudito de luminibus, quæ ope huius autenthici Placiti adfulgent Hiſtoriæ. Scilicet Baronium latuit, Silveſtrum Pontificem anno conditi Placiti Ravennæ fuiſſe. Repræſentantur nobis Epiſcopi, Placito adſidentes, Ughellio in *Italia Sacra* ignorati. Ottonem III. ſeſe nominaſſe *Servum Apoſtolorum*, haudquaquam vero Romanorum Imperatorem, hoc eodem Placito confirmatur; quamvis Auguſtorum nullus eo titulo, neque ante eum, neque deinceps uſus ſit. Celebrem *Traverſariorum* Ravennatum familiam, quæ poſtea civitati dominata eſt, a Ducibus deſcendere, nunc liquido apparet ex Placito noſtro; ſiquidem inter Viros illuſtres *Petrus Iudex, filius quondam Pauli, ex genere Ducum, qui vocantur de Traverſaria,* nominatur. Occaſionem hinc nanciſcitur Cel. Muratorius, coniecturam veroſimilem de origine & propagatione Marchionum Ateſtinorum, uti Sæc. XII. ap- Pag. 9.
pellari coeperunt, ex Adalbertis, Marchionibus Etruſcis, proferendi. II. *Ghibellinorum Florentinorum Forma Sacramenti,* 12.
ex pervetuſta charta nunc primum edita, cum notis Ant. Franc. Gorii. Promiſſio obedientiæ Sedi Romanæ & Carolo, Regi Siciliæ, eiusque Vicariis præſtandæ, adiutorii vero omnis Conrado, Friderici Imp. nepoti, denegandi, hoc monumento continetur; ex quo præterea intelligi poteſt, Carolum Regem, dum vacaret Imperium, a Clemente IIII. *Vicarium Eccleſiae generalem Provinciae Etruriae* creatum fuiſſe. III. *Epigrammata antiqua, nunc primum in lucem edita, quae collegit, manuque ſua exſcripſit, D. Petrus Paullus Ginannius, Patricius Ravennas, in patria urbe Monachorum Caſſinenſium Praeſul,*

D

ſul, cum Obſervationibus Ant. Franc. Gorii. Vetuſta inſcripta marmora quum pro Codicibus omnium, quotquot exſtant, antiquiſſimis, & ab antiquitate erudita ipſa nobis traditis expoſitisque, habenda ſint, nobiliſſimum ſane fuit ſtudium Rev. Ginannii ac cel. Gorii, quod in colligendis edendisque Inſcriptionibus iſtis, tum græcis, tum etiam latinis, poſuerint. Secernendæ tamen ab Ethnicorum lapidibus probe fuiſſent Inſcriptiones Chriſtianorum, neque collectio hæc inſcribenda: Epigrammata; ne quis forte carmina illa rotundiora, & paucis verſibus conſignata, ibi quærat. Ut vero de harum Inſcriptionum pretio conſtet, exempli cauſſa adſe-
Pag. 21. remus primam:

D. M
TI. CLAVDIVS. DOCIMVS
FECIT. SIBI. ET. SVIS. LIBERTIS
LIBERTABVSQVE
POSTERISQVE. EORVM
NEGOTIANS. SALSAMENTARIVS
ET. VINARIARIVS. MAVRARIVS

In ſaxis ad hoc tempus editis nunquam nominatur *Maurarius*, qui nunc primum e latentibus eruditæ vetuſtatis fodinis in
28. lucem prodit. Claud. Docimum, Cel. Gorius dici putat *Maurarium*, vel tamquam venditorem puerorum Maurorum, facie & garrulitate amabilium, ut auctor eſt *Suetonius* in *Aug. c. 83.* vel tamquam venditorem vini e Mauritania advecti; quandoquidem *Plinius H. N. XIIII. 9.* enumeratis dulcis vini generibus, Cilicium & Africum in primis laudat,
25. commendat. In XXV. Inſcriptione occurrit euchologica adclamatio *Amen*, in aliis Marmoribus nondum obſervata. IV. *Exemplar Tabulae Trajanae ex aere, magnitudine & inſcriptione inſignis, pro pueris & puellis alimentariis Reip. Velejatium in Italia inſtitutis liberalitate Trajani Aug. ex ipſo archetypo, in Placentina ditione nuper eſſoſſo, cet. editum cura & recenſione Ant. Franc. Gorii.* Egregium hoc antiquitatis monumentum, anno MDCCXLVII. in agro Placentino a ruſticis hominibus inventum, & in plures partes, quæ facilius vendi poſſent,

Digitized by Google

poſſent, diffractum, parum abfuit, quin plane periiſſet, niſi Ant. Coſta & Io. Roncovierius, Viri Illuſtres, ſingula ejus diſtracta membra collegiſſent, collecta feliciter conſociaſſent, æterna propterea laude digni. Omnia, quotquot extant, ex aere monumenta ſuperat, & magnitudine, & prolixa Inſcriptione, illa ipſa Tabula Trajana, quippe quæ palmos Romanos architectonicos XIII. circiter in longum protenditur, & altitudine palmos VI. cum dimidio excedit. Argumentum ex prooemio copioſiſſimæ Inſcriptionis utcunque intelligi poteſt, quod ita habet.

OBLIGATIO. PRAEDIORVM. OB. H-S. DECIENS. QVADRAGINTA. QVATTVOR. MILLIA. VT. EX. INDVLGENTIA. OPTIMI. MAXIMIQVE. PRINCIPIS. IMP. CAES. NERVAE. TRAIANI. AVG. GERMANICI. DACICI. PVERI. PVELLAEQVE. ALIMENTA. ACCIPIANT. LEGITIMI. N. CCXLV. IN. SINGVLOS. H-S. XVI. N. F. H-S. $\overline{XLVII}$. XL. N. LEGITIMAE. N. XXXIV. SING. H-S. XII. N. F. H-S. $\overline{IV}$. DCCCXCVI. SPVRIVS. I. H-S. CXLIV. SPVRIA. I. H-S. CXX. SVMMA. H-S. $\overline{LII}$CC. QVAE. FIT. VSVRA. ∽ ∽ ∽ ∽ ∽ SORTIS SVPRA. SCRIBTAE

Sub prooemio Inſcriptio ipſa in VII. Columnas diſtributa eſt, quo habitu eam edidit Cel. Gorius, ſpecimine litterarum formæ præmiſſo, ab elegantia tamen ætatis Auguſti admodum alienæ. Regeſta ſunt in hanc Tabulam prædia regionis antiquæ Velejatium, ad annuam penſionem ſeu privatum vectigal pro pueris puellisque alimentariis obligata, valore & finibus prædiorum curioſe notatis, nominibusque poſſeſſorum additis. Exempli cauſſa profeſſionem primam proferemus.

C. VOLVMNIVS. MEMOR. ET. VOLVMNIA. ALCE PER VOLVM. DIADVMENVM. LIBERTVM. SVVM. PROFESSI SVNT FVNDVM QVINTIACVM. AVRELIANVM. COLLEM. MVLETATEM. CVM SILVIS. QVI EST IN VELEIATE PAGO AMBITREBIO. AD FINIBVS. M. MOMEIO. PERSICO.

SATRIO. SEVERO. ET POP. H-S. CVIII ACCIPERE DEBENT

H-S. VIIICLXXXXII. N. ET FVNDVM. S. S. OBLIGARE

Antiquam Velejatium remp. cum pagis, vicis, fundis, & prædiis, adeo feliciter revixiſſe, quis eſt qui non intelligat. Dici quoque non poteſt, quanta lux veteri Provinciæ Placentinæ topographiæ e Tabula hac Trajana adfulgeat, quantum explicandis ſcriptoribus rei Agrariæ, & de limitibus Agrorum, quantum veteribus Geographis emendandis ea inſerviat. Nec minus utilis nobis videtur ad exponendum perplexum illud *jus praediatorium* veterum Romanorum. V. *Dell' inſigne Tavola di bronzo, ſpettante a i Fanciulli e Fanciulle Alimentari di Trajano Auguſto nell' Italia, ſpoſizione fatta da Lodovico Antonio Muratori.* Quum in eo fere eſſet Cel. Muratorius, ut ex hac vita diſcederet, quaſi ultimum reip. litterariæ officium præſtiturus, monumentum hoc liberalitatis Trajanæ ſuſcepit illuſtrandum Commentario, qui eſt pars altera hujus Symbolarum Voluminis, & Sociis Columbariis Florentinis inſcriptus. Age, diſpiciamus, quid præſtiterit. Fatis Placentinæ Tabulæ breviter enarratis, fundos in Tabulæ Inſcriptione

Pag. 10. commemoratos Cap. I. exponit, quorum quisque ſuo nomine, vel a Liguribus, antiquiſſimis Velejatium terrarum poſſeſſoribus, vel a Romanis impoſito, appellatur, quo alter ab altero facilius diſtingui poſſet; id quod obſervatu eo dignius, quo magis a moribus noſtris alienum eſt. Cap. II. totus eſt Cl. Auctor in laudanda liberalitate Trajani Auguſti erga pueros puellasque egenas Provinciarum Italiæ. Scil. optimus ille Imp. beneficentia & bonitate inſigni Chriſtianorum in pauperes forte motus, ut, (haud veroſimiliter tamen,) conjicit Muratorius, ingentes pecuniarum ſummas de ſuo, neque vero ex ærario publico, neque ex fiſco Imp. poſſeſſoribus prædiorum in provinciis Italicis ſolvit, quo prædia ſua obligarent, ex quibus vectigalia privata in alimenta liberorum pauperum, qui propterea alimentarii dicti, quotannis penderentur. Conſtituto in fundis ejusmodi jure, ſortem in tuto, & inſtitutum ſuum alimentariorum, quod ad A. C. 103. exacto bello Dacico,

cieo, retulit Muratorius, perpetuum fore putavit, in futurum videns, Trajanus, feliciter quoque ſub Hadriano & Antoni- Pag. 19.
nis, ut fide Inſcriptionum probatur, continuatum, a Pertinace vero Imp. *obdurata verecundia*, ut ait *Capitolinus* in *Vit. Ej.* ſublatum. An cunctas in Italiæ civitates, plurimas ſaltim, diffuſa ſit illa ipſa Trajani liberalitas, nec ne, Muratorius hæret dubius animo. Equidem illud evinci maxime 21.
poſſe putamus aureo numiſmate, eoque rariſſimo, quod ex theſauro Imperiali Florentino promtum, in fronte Præfationis ad Exemplar Tabulæ Trajanæ edidit Cel. Gorius. Epigraphe ita habet in antica parte: IMPeratori TRAIANO AVGVSTO GERmanico. DACico. Pontifici Maximo. TRibunicia Poteſtate == *In poſtica:* COnſuli V. Patri Patriæ. Senatus Populusque Romanus OPTIMO PRINCipi. *In exergo* ſub figuris == ALIMenta ITALiæ. Soli ingenui pueri puellæque, excluſis ſervis & libertinis, quippe dominorum & patronorum alumnis, alimentorum ad decimum & octavum usque ætatis annum participes fuere; id quod Cap. III. probatum ivit Cl. Auctor. In alimenta ſobolis ege- 22.
næ Velejatium civitatis, dummodo ad eam ſolam ſpectaverit Tabula Trajana, Imperator in foenore poſuit *Deciens Quadraginta Quattuor Millia Seſtertium*, quæ faciunt mille & XXXXIV chiliades nummorum. Vſuræ hujus capitis, quas debitores ſolvere tenebantur, erant quincunces, quippe quæ his quinque uncis ∽ ∽ ∽ ∽ ∽ denotantur. Vt rationes in prooemio Tabulæ Placentinæ ſupra allato accurate ſubducantur, uſuræ quotquot annis faciebant *quinquaginta duo millia Seſtertium, & ducentos,* de quo lucro alimenta CCXLV pueris, XXIV puellis Velejatium civitatis data. Quum uſuræ centeſimæ, quas *Seneca VII. 10. de Beneſ. ſanguinolentas* dixit, tunc temporis obtinerent, levioribus quincuncibus Trajanus poſſeſſores prædiorum facile movere potuit, ut ſortem acciperent, & obligatis prædiis ſuis, certos reditus annuos quaſi venderent, quemadmodum Cl. Auctor Cap. IV. adnotat. In- 29.
ſtitutum hoc, quis eſt qui non intelligat, privato vectigali, ſeu *cenſui*, ut barbare dicitur, *conſtitutivo* ſimillimum eſſe,

quod recentiori demum ætate ad palliandas uſuras introdu-
ctum, vulgus, rerum Romanarum imperitum, putat. Quantum pecuniæ ſingulis pueris puellisque, tum legitimis, tum ſpuriis, unoquoque menſe in alimenta, quibus res frumentaria dumtaxat comprehendebatur, adſignatum ſit, ad normam Tabulæ Placentinæ, multa cum cura & accurate diſ-
Pag. 32. quirit Cel. Auctor Cap. V. Quum a dignitate Trajani abhorrere videatur, quod XVI. dumtaxat Seſtertiis uno quoque menſe ſingulis pueris legitimis, & XII H-S. puellis attributis, tam tenue ac miſerum paupertati eorum paraverit ſubſidium, cauſſam Imperatoris pretio argenti illis temporibus decies majori quam poſt recluſam Indiam occidenta-
36. lem, egregie tuetur Muratorius. Notatu tamen digna
38. nobis videntur ejus verba: *Perchè quì* (in prooemio Tabulæ Placentinæ) *nulla ſi parli degl' Illegitimi, cioè de i nati ſenza matrimonio, quando vi ſi tien conto di due Spurii, io non hò trovato ſinora ragion che mi appaghi.* Quamquam differentia inter *ſpurios* & *nothos*, qui in Pandectis & Inſtitutionibus *filii naturales* dicuntur, antiquiſſima ſane ſit, graviſſimisque Auctoribus probata: neque tamen usque quaque cuſtoditam, nec ſatis certam fuiſſe, conſtat; id quod etiam dicendum videtur de ipſa vocis *ſpurius* derivationis ratione. Cap. VI. circumſcribitur agri, qui vulgo territorium dicitur, & ipſius oppidi Velejatium poſitione, olim a
40. Cluverio & Cellario falſo deſignata. Audiamus Muratorium ipſum diſſerentem: *Noi impariamo ora dalla Tavola noſtra, che non i Friniati, mà i Velejati, uno de' Popoli Liguri, abitavano ſopra Piacenza di quà dalla Trebbia, ed anche di là; e probabilmente arrivava il Territorio loro ſino all' alto dell' Appennino, e dove oggidì è Bobbio; ſtendendoſi poi largamente all' Oriente per quelle montagne e colline. Perlochè ſ' hà da cercare il ſito di Veleja frà Levante e Mezzo giorno riſpetto alla Città di Piacenza.* Plura alia lumina, ope Tabulæ Trajanæ nobis accenſa, neque vero omnia, repræſentavit Cel. Au-
44. ctor Cap. VII. & VIII. v. g. *Colonia Munatiana, Colonia Vettiana, Corneliana,* ſæpius objiciuntur in Tabula; itemque *T. Naevius Priſcus profeſſus eſt obligare Colonias III. in Vele-*

jate,

Digitized by Google

jate, cet. Fundus, cui colendo ſervorum familia adſcripta, nomine haud improprio heic appellatur *Colonia*. Hinc reſtitui poteſt vera ſcriptura *leg. 54. §. 2. D. Locat.* *Paullus reſpondit, ſervum, qui aeſtimatus colonae adſcriptus eſt, ad periculum colonae pertinebit; & ideo aeſtimationem hujus defuncti ab herede colonae praeſtari oportere.* Pro *coloniae*, ter minus commode ſcriptum *colonae* reperimus in Pandectarum editionibus noſtris. *Profiteri fundum*, formula in Tabulæ inſcri- Pag. 50.
ptione frequentiſſima ac ſolemnis, eſt *declarare vel denuntiare, fundum, tanti aeſtimatum, vectigalem fore, ſive obligatum ad vectigal ex contractu reddendum.* Ad hæc fundus dicitur obligatus *pro parte dimidia cum meridibus*, h. e. cum *pertinentiis ſ. adjacentiis*, ut medio ævo dicebantur. *Sembrano*, inquit 51.
Cl. Auctor, *tali parole indicare que, pezzi di Campi, che ſono quà e là ſparſi, e diviſi dal principal Podere, tuttochè facciano parte con eſſo.* Tandem Cel. Auctor Cap. IX. verſatur in ex- 52.
ponendo more Acta & Conſtitutiones publicas, in earum perpetuitatem, incidendi in Tabulis æreis. Exercitationi huic Muratoriæ adjectus eſt *Elenchus Opuſculorum, quae in reliquis Symbolarum Voluminibus proferentur.* His quoqne obſoniis ſapientiori cuique ſalivam motum iri, ſperamus.

Thomas Broughthons Hiſtoriſches Lexicon aller Religionen ſeit der Schöpffung der Welt bis auf gegenwärtige Zeit.

i. e.

THOMÆ BROUGHTONI LEXICON OMNIUM omnino religionum, a mundi initio ad noſtra usque tempora.

Dresdæ, ap. Waltherum, Tomi II. 1756. Alph. 4. pl. 12. in 8.

Thomas Brougtonus, doctus apud Anglos Theologus, commemoratum opus, Dictionary of all Religions from the Creation of the world to this preſent time inſcriptum, Londini a. MDCCXLV. in lucem emiſit. Quo utiliorem vero operam in eo adornando collocaſſe exiſtimandus eſt, hoc majorem adprobationem perfectum de verſione ejus Germanica conſilium meretur. In præfatione auctor pro-

profitetur, ſe ſtatum religionis omnium temporum ac gentium deſcribere, ſimul vero innuit, ſe religionis voce non tantum unam eamque ſolam veram de Deo cogitandi eumque colendi rationem, ſed omne etiam errorum ſuperſtitionumque genus, quod ad res ſacras pertinere putatur, comprehendere; cum autem inſignis falſarum religionum ſit varietas & copia, fieri non potuiſſe, quin maximam operis ſui partem earum hiſtoriæ tribuerit; ſe tamen arbitrari, omnem religionem quadruplici modo conſiderari, & in gentilem, judaicam, Chriſtianam atque mahommedanam diſpeſci poſſe; harum enim finibus omnes ſacra faciendi ſingulis provinciis populisque proprios modos contineri. Se igitur originem, incrementum, immutationem, ac cetera fata diverſarum ejusmodi ſacrarum diſciplinarum enarrare. Cum vero in earum contemplatione objecta religioſæ adorationis cum temporibus, locis, ritibus, cærimoniis, perſonis, ſocietatibus, ſcriptisque ſacris, nec non variæ a communi plurimorum coetuum doctrina & diſciplina aberrantes ſectæ ac homines occurrant: facile magnum pertractati ab ipſo argumenti ambitum prævideri poſſe; nec tamen ſe opus eſſe putare, ut utilitatem ac venuſtatem ejusmodi operis commendet, ex quo notitia omnis religionum faciei hauriri poſſit. Se in eo concinnando optimis tantum ſcriptoribus uſum eſſe, & operam dediſſe, ut nec quod ad rerum ſubſtantiam pertineret, præteriret, nec ſuperflua admiſceret, omnia autem breviter proponeret; ſe tamen eos, quibus hæc brevitas minus grata eſſe poſſit, rogare, ut hoc libro pro indice in hac hiſtoriarum parte uti, & ejus defectus allegatorum ſcriptorum ope ſupplere velint. Librum ſe, ait, ut animos legentium reficeret, non paucis egregiis tum veterum tum recentiorum auctorum, inprimis poetarum, philoſophorum, theologorum, itinerariorumque ſcriptorum locis, illuſtraſſe. Ac ſi dicendum quod res eſt, negari non poteſt, Brougtonum haud exiguam judicii vim, & variæ eruditæque lectionis copiam, in hoc dictionario oſtendere. Id quod haud difficulter ii pervidere poſſunt, qui exempli cauſa ea, quæ ſub vocibus, Annaten, Arimanius, *Beichte*, *Beſchneidung*, *Bilder*, *Bra-*

Digitized by Google

Braminen, Brama, Calviniſten, Congregation, Deiſten, Derwiſch, Diana, Divan, Ewigkeit, Fakirs, Faſten, Fo, Gott, Kirche, Kirchenſtaat, Koran, Mahommedaner, Meſſe, Meſſias, Moenche, Briefe des h. Paulus, Proceſſion, Propheten, Puritaner, Sintoiſten, Vedam, Wunderwercke &c. enarrantur, examinabunt. Inprimis autem de iis, qui ſacram Anglorum diſciplinam, ejusque hiſtoriam, clarius pernoſcere cupiunt, bene meritus videtur, cum multa eo pertinentia admiſcuerit, ut ſub vocibus, *Appropriation, Beneficium, Bibel, Biſchof, Impropriation, Inſtitution, Induction, Kanzler, Liturgie der Kirche von Engelland, Reformation*, & pluribus aliis videre eſt. Etiam recte gloriatur auctor, ſe præclaros auctores adhibuiſſe, cum præter veteris Græciæ ac Latii ſcriptores, Binghamum, Herbelotium, Caveum, Voſſium, Seldenum, Burnetium, Dugdalum, Fullerum, Hyde, Newtonum, Clarkium, Compilatorem anonymum hiſtoriæ religioſarum cærimoniarum &c. ab eo laudatos inveniamus; quanquam diffiteri non poſſumus, eum nonnullis locis ſola Prateoli, Maimburgii, paucorumque aliorum non ſatis accuratorum hiſtoricorum auctoritate uti: qua tamen animadverſione, laudibus, quas reliquum libri argumentum ſibi vindicat, nihil detractum volumus. Ceterum, verſionis auctor, hiſtoriam religioſorum ordinum utriusque ſexus a Romano-Catholicis inprimis fundatorum, quam Brougtonus parce propoſuerat, ex Helyoto inſigniter auxit, & hac ratione iis, qui ſplendido hoc poſtremo opere deſtituuntur, non ingratam operam præſtitiſſe videtur.

PHILOSOPHIA MATHEMATICA COMPLECTENS Methodum cogitandi ex Euclide reſtitutam. Conamina duo Priora. Auctore IOAN. IACOBO HENTSCHIO. Editio ſecunda auctior & emendatior.

Lipſiæ, apud Hered. Lankiſianos an. 1756. in 8o, 1 Alph. cum 6 tabulis æneis.

Continet Conamen I. Philoſophiæ hujus mathematicæ, metho-

methodum veterum Geometrarum ex Elem. I. Euclidis ingenioſe deductam, nec non varias obſervationes, in ſyſtematibus vulgaribus prorſus neglectas, quæ intellectus humani naturam concernunt.

Novam hanc editionem, a priori multum diverſam, & variis annotationibus auctam, invenient lectores. Excuſſis enim *Univerſalibus*, fundamentum omnis humanæ cognitionis conſtituentibus, Cl. Auctor progreditur ad Propoſitiones primitivas, quarum naturam accuratius, quam quidem vulgo fieri ſolet, ſcrutatur; quibus peractis, reliquarum propoſitionum formationem & affectiones exquirit. Mirum ſane eſt, alios, qui de ſimili argumento ſcripſere, in hanc philoſophandi methodum non incidiſſe, quæ ſimplicitate maxima gaudet, & Geometriæ Euclideæ ab omnibus nævis liberæ ſuperſtructa eſt.

Conamen II. Logicam quantitatum, ſeu Arithmeticam in ſe continet, cujus uſus in eruendis Theorematibus Elem. II. Euclidis monſtratur. Sed non opus eſt plura dicere de hoc opere, quod ſeſe copia rerum contentarum, & eximia utilitate jamjam commendavit.

DISPUTATIONES CHIRURGICAE SELECTÆ; collegit, edidit, præfatus eſt, ALBERTUS HALLERUS. Tomus Tertius *&* Quartus.

Lauſanne, 1755. 4 Alph. Fig. æn. 23. in 4.

Tantus eſt in hoc collectionum medicarum volumine ſcientiarum apparatus, ut nec breviter de ſingulis ſcribi, nec omnia uno miſſu exponi poſſint. Viſum igitur nobis eſt, diſſertationes, quæ nobiliſſimum Chirurgiæ, quod de herniis inſcribitur, caput, nunc enucleare, cætera proxime expoſituri.

LVIII.

Diſſertatio medico-chirurgica *de Morbis a ſitu inteſtinorum praeternaturali*, quam Præſide D. POL. GOT. SCHA-

CHE-

Digitized by Google

CHERO, tuebatur M. *Got. Friderici*, Lipſiæ 11 Maji anno 1721.

Inteſtina aliquando ſecundum naturam ex ſede ſua naturali dimoventur. Hoc accidit gravidis, quarum uterus, ſub graviditatis complemento, excreſcente ad umbilicum usque matrice, omnem tenuium inteſtinorum apparatum in utrumque latus compellit. Præterea ſitus tubi alimentoſi mutatus non ſemper noxius eſt, & præcipue colon a ſiniſtris haud raro in flexuoſos gyros, penes haud paucos, veluti poſt eorum fata compertum eſt, ſine ullo incommodo agitur. Inter morbos inteſtinorum, a mutato eorundem ſitu natos, primus eſt *intus ſuſceptio*, ſeu *Ileus*. Hujus originem ex PEYERO, *de uſu glandularum inteſtinalium*, Auctor in rana oſtendit, cujus inteſtina laceſſita acu, motu periſtaltico in contrarium procedente, facile invicem ſuſcipiuntur. Morboſa iſthæc inteſtini unius ab altero facta deglutitio, vario modo accidit. Tenuia ad invicem ſubeunt, & vel ſuperior pars inferiorem, vel hæc illam abſorbet. Si inferior pars inteſtini ſuſcipitur a ſuperiori, facile extricatur error, pondere ſpecifico medicamentorum, Mercurii maxime cum oleo epoti, globulorumque plumbeorum: ſi autem ſuperior pars deſcendit in inferiorem, omne medicamentum ponderoſum non poteſt non morbum augere. Deinde & coli primordium abſorptum ab Ileo finiente, atque ipſum quoque Colon in ſe ipſum ſuſceptum fuiſſe, obſervatur. Proponitur in gravi malo, omnem medicamentorum uſum eludente, *Sectio Barbettiana*, vulnus ſcilicet muſculorum ſuper locum, cui invaginatum inteſtinum ſubeſt. Accedunt Icones, exponentes ſtatum inteſtinorum ex vulnere abdominis pendentium.

LIX.

Diſſertatio medico-chirurgica, *de ἐντεροπεριστολῆ*, ſeu *inteſtinorum compreſſione*, quam tuebatur *I. H. Lavater*, Tigurinus, Baſileæ 18 Septembris 1672.

Tam vario græcæ eruditionis apparatu ornata, quam obſervatorum copia clara eſt hæc diſſertatio, quæ impedimenta

Digitized by Google

excernendis ex alvo purgamentis per inteſtinorum compreſſionem poſita, explicat, & media proponit. Sanis inteſtina premuntur, ſi foetu gravidus eſt uterus, ſi pinguedo luxuriat. Aegrotis hoc frequentius accidit, ex tumore vicino; ex ſitu inteſtini mutato; ex aquis intra cavum abdominis collectis: diſtenduntur inteſtina tenuia, cum faex per craſſa procedere nequit. Experimentum in cane captum eſt, cui, cum, filo ſubducto, ligatum colon eſſet, diſruptus finis Ilei eſt. Adnexæ ſunt breves ſententiæ varii argumenti: Empyema cauteriis ſanandum eſt: de apoſtemate meſenterii extra ventrem pendulo, pungendo, exſcindendo: Anevryſma cauteriis ſanatur potentialibus: Exoſtoſin trepanon ſanat: Ulcera ſerpentia ligatura frequente deſiccantur.

LX.

Diſſertatio medico-chirurgica *de Oſcheoentero & Bubonocele, Helvetiae incolis frequentibus,* quam palam tuebatur *Ioa. Henr. Freytag*, Tigurinus. Argentorati die 6 Maji 1721.

De herniis in genere cum multa erudite proponuntur, tum maxime modus varius, quo per Helvetiam hernias ſanant, proponitur. Namque & vulgatiſſimam illam, quæ exciſo una teſticulo, celebratur, Helveti exercent; & eam, quæ annulo aureo vel plumbeo in vulnus demiſſo perficitur, in uſu habent: frequentior tamen eſt ea, quæ recentior eſt, qua, inciſo ſacco, inteſtinum includente, eundemque ſubligando, inteſtinum reprimunt. Demum quoque moris eſt, ſanare feminas hernia afflictas filo cerato, tenui, vel alio, per muſculos diſſectos transducto, quo peritonæi proceſſum arctius ſemper atque arctius perſigendo adſtringunt, donec vulnus coeat. Damnatur merito prior methodus, utpote inhoneſta & virilitatem demens, & plebeja, & ſine ratione inſtituta ab ignorantibus; ſiquidem non opus eſt teſticulum exſcindere ſanaturis hernias, quandoquidem vaſa ſpermatica a ſacco hernioſo per ſeptum ſunt diſcreta, ita ut hic exſecari, illis manentibus, omnino poſſit.

Digitized by Google

LXI.

Diſſertatio medico-chirurgica *de Hernia incarcerata, nova encheireſi extricata*, quam Præſide ELIA CAMERARIO, tuebatur *B. D. Mauchart*, Tubingæ die 7 Ianuar. 1722.

Elapſam, per annuli inguinalis hiatum, inteſtinorum, vel omenti, vel utrorumque partem, in iſthoc, per quod exiverunt, oſtio detineri, comprimi, & preſſu ſtrangulari, omnique humorum circuitu privari, notum eſt. Igitur ſubito, ex quo hoc ita factum eſt, gangræna oboritur. Adhærere inteſtinum, quod elapſum eſt, & peritonæo accreſcere, morbi quidem longitudinem & perennitatem, ac difficilem repoſitionem, nullum tamen affert periculum: proxima vero ab accretione, ad herniam incarceratam, exinde natam, via eſt. Hac faecum & flatuum ad anum iter intercipitur, efficiturque, ut faex ſuperiora repetat, & vomitu ejiciatur. Poteſt hoc ipſum elapſæ omenti particulæ ſimiliter accidere, ut preſſu emoriatur, ſive illud ſolum, ſive una cum inteſtino in ſacco hernioſo contineatur. Hic, quo vetuſtior & laxior eſt, & quo plura inteſtina in ſe recipit, & quando anguſtum una annuli oſtium eſt, eo plus metuitur, ne inteſtinum elapſum ſtranguletur. Minus autem ſubeſt, ne hoc fiat, periculi, quod annulus uterque, tam qui ab externo, quam qui ab interno muſculo abdominis obliquo deſcribitur, late patet, & inteſtina faciliter ab amplo hiatu recipiuntur. Dilatandus igitur annulus vulnere eſt, & omnia perficienda, quæ ab herniotomis expediri notum eſt.

LXII.

Quæſtio medico-chirurgica, quam Præſide M. F. ROUSSIN DE MONTABOURG M. Doctore, tuebatur *C. F. Boutigni Deſpreaux*, ſub hac verborum ſerie: An in herniis inteſtinalibus, etiam cognita inteſtini prolapſi læſione, operatio celebranda? Pariſiis 6 Februarii 1742.

Accidit quandoque, ut inteſtinum in ſacco ſuo, qui peritonæi expanſi ſinus eſt, preſſum, ſtrangulatum, gangræna ten-

tentatum, atque abinde ruptum fuit, ut dubius hæreat medicus, debeatne ſub iſthac deſperatione tentare inciſionem, aperire ſaccum, portionem putridam inteſtini a meſenterio ſolvere, fæces effuſas & alia putrida liquamina emittere, & ſperare ut talis æger ſervetur. Fieri hoc oportere ſtatuitur, modus docetur, exemplis, in quibus hoc feliciter ab artificibus effectum fuit. Ipſe Auctor ſanationem a ſe præſtitam deſcribit: oſtendebat herniæ tumor mollis, cum phlyctænis ſuper tumorem naſcentibus, ſubeſſe rupturam inteſtini. Igitur inciſus locus eſt, apertura, in ſponte rupto inteſtino, copioſas eructabat fæces, quibus emiſſis, anulo vero dilatato, portio inteſtini ſana & ſuperior, ad muſculum obliquum externum iuxta leges vulnerum glutinata eſt, ſervato oſtio, ac ano aliquo veluti artificiali facto, ut fæces exirent, donec natura defectum ſubſtantiæ, conglutinata muſculi parte, ſarciret, hiatum clauderet, efficeretque, ut fæces ſolitam viam repeterent.

LXIII.

Proluſio invitatoria, in qua *de Entero-Epiploocele* agebat D. I. C. GVINZIVS. Lipſiæ 4 Martii 1746.

Quando inteſtinum in herniam deſcendit, durior tumor eſt, quam eſſe ſolet ubi epiploon deſcendit, tunc enim contactus eſt mollior. Fallax tamen hoc ſignum eſt, quandoquidem etiam epiploi ſolius deſcendentis volumen, haud raro rotunditate & aliqua duritie, quando ſcilicet inflammatio integumenta auxit, æſtimari poteſt. Saccus herniam comprehendens peritonæi elongati ſinus eſt, cuius duæ partes ſunt, *externa celluloſa*, *interna membranea*, quæ ipſum peritonæum rectius dicitur. Sunt igitur ſacci herniarum ſimiliter duo. Qui plures eſſe aſſerunt, ad id reſpiciunt, quod celluloſa peritonæi elongati tunica, expanſis, quæ eandem conficiunt laminis, in burſas aliquas, vitioſo humore turgidas, explicetur. Sunt qui tendinem obliqui externi ſimiliter in ſaccum efformari

mari dicunt: aſt hoc fieri omnino nequit. Epiploi, quodſi illud vel ſolum, vel una cum inteſtino deſcendit, ſingularis & iudicioſa debet eſſe exiſtimatio, ut ne illud, cum ſaccus herniæ inciditur, vulneretur, & ne, cum iam vitioſum eſt, reponatur, ſed ante repoſitionem explicetur, atque eius rugæ, in quas, cum deſcenderet, convolvebatur, penitus deleantur. Damnatur ligatura, ſatisque eſſe, quod ſubſecetur id, quod putridum eſt, dicitur; hæmorrhagia tanta exinde haud futura, quæ deligationem neceſſariam efficere poſſit.

LXIV.

Quæſtio medico chirurgica, quam Præſide M. I. FR. LE CHAT de la SOVRDIERE M. D. tuebatur *Ioa. Iac. Meſſence*, ſub hac verborum ſerie: *An chirurgicae herniarum curationi muſculorum ſterno-maſtoideorum tenſio noceat?* Pariſiis 29 Februarii 1748.

Sub illo tempore, quo annulus herniæ inciditur, ob erroris facilitatem, immobilis, quantum poteſt, æger præſtandus eſt, oportetque miniſtros abdomen fulcire manibus, ut motus muſculorum in ventre ſit minimus. Thorax quoque minimam reſpirationem exercere, & animam continere æger debet, & caput quoque immotum ſervatur: quod, quam ob rem conſultum ſit facere, illud in cauſa eſt, quoniam capitis motum, agentibus eius muſculis ſternomaſtoideis, ſequitur thoracis, hinc ventris agitatio. Horum igitur muſculorum anatome, cum uſu eorundem, deſcribitur.

LXV.

Diſſertatio medico-chirurgica *de Entero-oſcheocele, antiqua reſtitutione ſacci hernioſi feliciter peracta, abſque bracherio & ſectione curata,* quam Præſide MAT. GEORG. PFANNIO P. P. tuebatur I. B. SCHOLLER, Baruthinus. Erlangæ 7 Maji 1748.

Her-

Herniam, quæ vetuſta eſt, ſine ſectione ita revolvi in abdomen poſſe, ut, cum iam provectus ætate homo eſt, illa ſine bracherio, ſponte intra abdomen contineatur, rarum eſt; atque id quoque novum eſt, ſaccum ipſum una reponi poſſe, ut nullum eius porro veſtigium ſuperſit: namque conſultum ubique haud eſt, illam peritonæi partem, quæ elapſam inteſtini portionem circumit, penitus ad ventrem adigi, ſiquidem vitioſa eius pinguedo, ubi revolvitur ad ventrem, ægro minatur interitum, & volumen quoque hoc fieri impedit. Interea tamen ita factum eſſe, ut ſaccus hernioſus veteris herniæ, ſponte, & prorſus quidem fuerit deletus, deſcribitur: ſiquidem æger, cui antea morbus acutus pinguedinem abſumſerat, contracto nunc in ſe ſacco, ita elapſa ante inteſtina occultabat, ut ſine bracherio ſua obire munia deinde poſſet.

LXVI.

Diſſertatio chirurgica *de Epiploo-enterocele crurali incarcerata, ſphacelata, cum deperditione notabili ſubſtantiae inteſtini ſponte ſeparati, feliciter curata, alvo naturali reſtituta,* quam Præſide BVRCH. DAVID. MAVCHART P. P. tuebatur *Philip. Sigism. Palm*, Schorndorfienſis. Tubingæ, 20 Mart. 1748.

Singulare exemplum portionis inteſtinorum, ſub hernia incarcerata, per gangrænam abſumptæ, & ſectione ſanatæ, ſiſtitur, licet tubus alimentoſus, ad longitudinem duorum pedum, putredine corruptus eſſet. Inciſo enim tumore herniæ, quem maturius aperire chirurgus voluerat, quo minus autem hoc efficeret, moroſitate ægri, veluti in ſimilibus caſibus fieri ſolet, detinebatur, ſanies cum merda effluxit, totoque meſenterio inteſtinum ſeceſſit. Igitur ſuperiore eius parte in vulnus adducta, anus arte excitatus eſt, per quem materies diu flueret, & hoc novo oſtio per totam vitam fluxura videretur: attamen vis naturæ ſuperior morbo, inconſuetam hanc viam clauſit, iuſſitque inquinamenta per ordinarias vias ſece-

ſecedere. Renaſcebatur quidem ſub cicatrice novus fæculentæ materiæ cumulus, hinc novus dolor, nova ſymptomata, ruptura nova: aſt demum inteſtino penitus ad vulnus externum glutinato, vetus via conſtans manſit ac perpetua.

LXVII.

Diſſertatio chirurgica *de Exomphalo inflammato, exulcerato, & poſtea conſolidato*, quam Præſide D. D. HERM. ERID. TEICHMEYER tuebatur *S. Fr. Creiling*, Tubingenſis. Ienæ 28. April. 1738.

Argumentum prioris diſſertationis, cum illo præſentis, ſi aliquas circumſtantias ſingulares demas, coincidit, Namque hernia ſub umbilico, in quem inteſtini ieiuni portio infuſa fuerat ſimiliter, ab initio ſtrangulata, mox per gangrænam ſoluta fuit, quæ ovali magnitudine partem de inteſtino voraverat. Abſceſſus ſcilicet lege tumor ruptus fuit, potuitque, ablata inteſtini parte putrida, ſana eius pars repelli in ſedem ſuam, & locus cicatrice claudi. Id quod mira arte effectum in præſenti caſu fuit, ut virgo nobilis liberrimum ab illo tempore fæcum & flatuum iter adimpetraret. Magna ſane herniarum umbilicalium ſanandarum difficultas non poteſt non eſſe: namque difficulter, ob lineæ albæ tendinem, dilatatur aut finditur anulus umbilicalis, cumque locus haud quieſcit, difficulter quoque conſolidatur, oportet præterea rationem habere omenti, ne illud vel vulneretur, vel ad vulnus glutinetur, ſiquidem, ſi hoc ita contingat, non poteſt non ventriculus, cuius veluti frænum epiploon eſt, male haberi, ut ſe ab illo tempore penitus in ſe contrahere, ſuoque officio erga alimenta fungi nequeat.

LXVIII.

Diſſertatio chirurgica *de Hernia ventrali*, quam tuebatur *Beat. Ignat. la Chauſſe*, Bruntrutanus-Rauracus. Argentorati, 29. Octobris 1746.

F Her-

Digitized by Google

Hernia ventralis inter rariores eſt, a veteribus ſine dubio viſa, ſed non perſpecta aut deſcripta; eam inteſtinum excitat, poſtquam illud de ſede ſua, per fibrarum muſculi tranſverſi interſtitia erupit, & una cum omento expulſum ita fuit, ut peritonæum in tumorem attollatur, maiorem, minorem, unum, plures. Muſculus ſcilicet tranſverſus paſſim, maxime prope ad coſtas & ilei marginem, debilis eſt, & fibrarum ſtrata laxa habet, quibus diviſis vel ruptis fiunt herniæ ventrales, ſub reliquis duobus muſculis, obliquo externo ac interno occultatæ. Si ſua ſponte fiunt, ſaccus peritonæi integer manet, ſub quo, veluti in reliquis herniis, moles inteſtinorum latet. Quodſi autem ex vulnere pervadente triplex muſculorum abdominis ſtratum, hiatus ille natus fuit: ſi vulnus iſtud una peritonæum læſit, atque ex cicatrice male obfirmata hernia nata eſt: tunc vero ſaccus inteſtina claudens adeſt nullus, & nuda ſub muſculis, una cum epiploo, inteſtina iacent, poſſuntque illa, ſtrangulata, gangrænam contrahere, cuius avertendæ ſtudio tumorem incidere, inteſtina reponere & recte ordinare, epiploon deſuper explicare, eius rugas penitus delere, & omnia ad leges herniotomiæ communes efficere oportet, niſi quod, cum ſaccus ruptus eſt, opus ſit exercere gaſtroraphiam, & omnes muſculos, ipſumque peritonæum, ſutura comprehendere.

LXIX.

Diſſertatio medico-chirurgica, *de Hernia ventriculi,* quam tuebatur *Petrus Kirſchbaum,* Nentershuſanus. Argentorati, 25. Septembris anno 1749.

Non tantum errores inteſtinorum abdominis, poſtquam illa de ſede ſua verſus cutem receſſerunt, hernias appellant, ſed & illos, quando viſcus aliquod ventris ad ſuperiora recedit, & in thoracem provolvitur. Fit igitur, ut diaphragma in illis locis, quibus vel oeſophagum vel aortam admittit, fiſſum, viam pandat, qua poſſit ventriculus thoracem introire,

Digitized by Google

troire, inque illo aliqua parte occultari. Hoc herniam ventriculi vocant, rarum ſane morbum, & inſanabilem, aliquando derepente lethiferum. Poſſunt autem vel diaphragmatis appendices, vel muſculi ejus, qua parte oeſophagum deſcendentem ambiunt, eo usque dirimi, ut volumini ventriculi recipiendo ſatis pateant, ſi quando vomitu acriori, vel tuſſi aſperiori, organon iſtud vehementer diſtentum fuit. Longus iſte morbus eſſe poteſt, qui ægrum ſtatim haud jugulat, ſed illum difficili deglutitione & aſthmate ſenſim conficit. Diu autem ſupereſſe nequeunt, quibus ex vulnere diaphragma ita patet, ut ventriculum, &, veluti obſervatum fuit, aliquando colon & inteſtinorum partem admittat, atque illa viſcera ad thoracem procedere ſinat. Tale vulnus deſcribit *Bohnius*, in renunciatione vulnerum lethalium, quod ab illapſis abdominis viſceribus clauſum, & eventus mortifer hoc ipſo ad tempus dilatus fuit. Poteſt etiam ventriculus ad *exteriora* labi, quodſi muſculi abdominales vulnere patent in illo loco, qui ventriculo a ſiniſterioribus reſpondet. Si ventriculum in pectus prorupiſſe ſuſpicio eſt, aut nullum erit auxilium, aut hoc unicum eſt, Mercurio vivo deglutito gravare ſtomachum, illumque hoc modo in priſtinam ſuam ſedem compellere.

LXX.

Diſſertatio medico-chirurgica *de Hernia incarcerata, ſuppurata, ſaepe non lethali*, quam Præſide D. D. LAVRENTIO HEISTERO, tuebatur *Ioa. Adolph. Gladbach*, Moeno-Francofurtenſis. Helmſtadii 21 Martii 1738.

Abſceſſus lege rumpitur inteſtini pars, quæ ſub inguine, intra herniam latet, & a ſtrictura annuli ſtrangulatur. Namque, ſi quando viam ſtercoribus ac flatibus pandere ars haud poteſt, atque vel metus, vel pudor, chirurgi maturum auxilium repudiavit, efficitur tandem, ut tenſum a ſtercori-

 bus

bus inteſtinum, inflammatumque, ſua ſub cute effundat ſtercora. Tunc molleſcit tumor, dolores aliquantulum remittunt, in cute major inflammatio eſt, mox illa phlyctænas accipit, & vel ſponte rumpitur, vel inciditur, effluente ſtercore, novoque & veluti artificiali ano nunc elaborato, qui inteſtinorum purgamenta ejiciat. Igitur educendum inteſtinum, ejusque pars omnis, quam gangræna devoravit, eximenda eſt, ut ulcere, ſi vires ægroti ſufficiunt, ſenſim purgato, inteſtinum cicatrice claudatur. Aliquando, non quidem inteſtinum totum in herniam deſcendit, ſed illud in appendices elongatur, ac veluti varicoſum redditur, & ſaccum format, quem hernia recipit. In iſthoc igitur diverticulo faex moram nectens, putredine oborta, devorat canalem, eundemque pertundit; adjicitur icon, qui inteſtini in ejusmodi appendicem elongati ſchema ſiſtit.

LXXI.

Diſſertatio chirurgica *de Hernia Crurali,* quam tuebatur *Daniel Koch,* Crucenaco-Palatinus. Heidelbergæ 5 Sept. 1726.

Effunduntur etiam inteſtina in illum locum, per quem vaſa cruralia feruntur. Hoc morbi genus herniam cruralem appellant. Eſt enim inter muſculos ſub inguine ſinus pinguedine refertus, & ſatis patens, qui notabilem inteſtinorum molem in ſe recipere poſſit. Iſthæc hernia, præter communes herniarum affectiones, ſingularibus quibusdam momentis, ad quæ animus advertendus eſt, conſpicua eſt. Namque ſubeunt inteſtina illum annulum, qui partim a muſculi obliqui externi tendine & ligamento Poupartii, partim a levi ſinuoſitate inſculpta oſſi ilium deſcribitur, & per quem antea nominata vaſa cruralia deſcendunt ad femur. Deinde & hoc notandum eſt, quatenus ſaccus hernioſus hanc herniam comprehendens, ex ſola peritonæi membrana ſit contextus, tela autem peritonæi altera, utpote quæ in anulum inguinalem peni-

Digitized by Google

penitus progreſſa eſt, hic deficiat. Denique & gravius hoc malum eſt reliquis, quandoquidem ob arteriæ cruralis ramum externum, non niſi magna cum providentia ſaccus herniam continens inciditur, ſi quando ſtrangulatum inteſtinum fuit, & hernia cruralis incarcerata cruentam ſanationem poſtulat.

LXXII.

Diſſertatio medico-chirurgica, *de Hernia veſicae urinariae*, quam Præſide D. IOANNE SALZMANN, tuebatur *Ioan. Petrus Divoux*, Colmaria-Alſatus. Argentorati 12 Augusti 1732.

Veſica, quæ urinam recipit, etiamſi variis & validis ligamentis firmata eſt, loco tamen ſuo ſtabilis haud manet, ſed ex ſede ſua depellitur, & ad exteriora procedit. Per anulum ſcilicet inguinalem, eodem, quo inteſtina, loco, quandoque elabitur, fitque tumor, quem inteſtinalem herniam eſſe putares, niſi id eſſet, quod nec ventris adſint dolores, nec alvus moveri deſinat, nec murmura intra dolorem percipiantur; ſed adſit micturities, & impedimentum lotii, quod, preſſo hoc tumore, fluit liberalius. Cyſtocelen hunc morbum vocant, in quo iſtud quoque ſingulare eſt, quod viſcus elapſum nullo comprehendatur ſacco, utpote cum extra peritonæi ponatur limites. Obſervatum quoque eſt in feminis, veſicam in ſinum pudoris deſcendere. Anceps morbus eſt, quem ferrum haud ſanat, omnium minime ſi vetus malum eſt.

LXXIII.

CHRISTOPH. HENR. PAPEN, Phyſici Goettingenſis, Epiſtola ad illuſtriſſimum Virum, Alb. de Haller, *de ſtupenda hernia dorſali.*

Singulari aliqua via inteſtinalis tubus ſeſe ad exteriora profudit in femina, cujus morbus oppido rarus hic deſcribitur.

Digitized by Google

bitur. Tumor apparuit in illa, cum eam ſubitanea morte ereptam auctor incideret, a poſterioribus, atque ab ano ad ſuras propendebat. Hoc inciſo, reperta fuerunt inteſtina tenuia fere omnia, una cum meſaræo, cumque coli parte, de ventre effluxiſſe, ita ut abdomen contractum eſſet atque exinanitum, & ventriculus ex ſede ſua dimotus ad perpendiculum ſiſteretur. Proinde herniam hanc dorſalem dici oportuit. An peritonæum una eductum fuerit, & inteſtina effuſa in aliquo ſacco delituerint, non liquet. Elapſa autem inteſtina per foramen fuerant illud, quod in pelvi oblongum dicitur, atque inter hoc & ligamentum iſchiadicum ſacrum defluxerunt.

LXXIV.

IOANNIS CHRISTOPHORI POHLII, Medicinæ Profeſſoris, *de Herniis & ſpeciatim Sarcocele*, Programma, Lipſiæ anno 1739.

Falſo hernias appellant tumores illos, qui ſub inguine virorum intra teſticuli naſcuntur tunicas; namque inteſtinorum intra illos nihil eſt, & cætera herniarum verarum momenta tanto diſtant ſpatio, ut nec leviter quidem docti circa diſcrimen ſtatuendum hærere poſſint. Interea nomen durat, ut, qui cremaſteri teſticuli muſculo innaſcitur, vel ex indurato teſticulo ipſo creſcit tumor, *Sarcocele* & *hernia carnoſa*, aqua autem intra vaginalem ejus tunicam collecta *hydrocele* & *hernia aquoſa* appellentur. Mala ſcilicet caro circa teſtem luxurians, ſenſim aucta, ſcrotum replet, cujus cauſa mox violenta, mox ſpontanea eſt, & plerumque venerea. Salvus æger eſt, & maſculæ partis jactura vitam lucratur, quodſi infra annulum morbus ſubſiſtit; grave autem malum eſt, ſi altius ſerpit, & per vaſa ſpermatica ad ventrem excurrit, namque tunc nec ferrum auxilio eſſe poteſt.

LXXV.

Diſſertatio medico-chirurgica *de Hydrocele*, quam Præſide D.

D. LAVR.

Digitized by Google

D. LAVR. HEISTERO, tuebatur *Martin. Arnold. Butzer*, Embdanenſis. Helmſtadii 30 Decembris anno 1743.

Aqua vel in cellulis ſcroti colligitur, quod hydropem ſcroti dicunt, vel circa teſticulum ipſum effunditur, quod hydrocele eſt: hanc tactu & viſu facile dignoſcimus. Nec novum eſt, circa inteſtinum, quod elapſum de ventre eſt, ex transſudante ſero, effuſam aquam eſſe, ut adſit *hydroenterocele*. Illud autem mali genus præcipue hydrocelen appellant, ſi quando ex ruptis vaſis lymphaticis, vaſa ſpermatica comitantibus, humor prorumpit. Tumor ad imum eſt teſtem, nihilque intus eſt, quod inteſtini deſcenſum notare poſſit, nec alvus obſtipatur; præterea, ſi ſcrotum, maxime cum infans eſt, aut tenuis homo, lumini objicis, transparet folliculus; quibus ſignis aquam ſubeſſe intelligi poteſt. Nec tamen tumor ſemper diaphanus eſt, ſiquidem & ichor ſanguinolentus, quod *Paulus* obſervavit, quandoque ſubeſt. Poteſt etiam id evenire, ut caro mala humori juncta ſit, quod hydroſarcocelen dicunt. Educendus igitur eſt humor, ſi diſcuti nequit, idque vel punctura, vel vulnere, vel ſetaceo.

LXXVI.

Diſſertatio medico-chirurgica *de Sarcocele*, quam Præſide D. D. LAVR. HEISTER, tuebatur *Chriſtian. Daniel Heiſe*, Obisfelda-Magdeburgenſis. Helmſtadii, 15 Iunii anno 1754.

Servari nequit æger, ſi quando teſticulus, a mala carne in tumorem ſubinde majorem exſurgit. Namque, ne gangræna oboriatur, metus eſt. Quam ob cauſam, ſi vaſa cætera ſpermatica ſana ſunt, exſcindendum eſt vitiatum organon. Qua methodo iſtud efficiendum ſit, docetur exemplis. Aeger immotus præſtatur, vena illi ante ſecta; tum inciditur ſcrotum, minori metu, quam ubi hernia ſecanda eſt, ſiquidem, quod lædi haud debeat, nihil ſubeſt. Liberatur ab adhæ-

adhæſione teſtis, parcendo vaſis, quæ ſeptum ſcroti transcurrunt. Subter vaſa ſpermatica, propius ad annulum inguinis, ſubducto atque etiam transvecto filo cerato duplici, nodus figitur, interpoſito ſpleniolo, quo nodus firmiter teneat. Subſecatur ſcalpello vel forfice teſtis. Impletur ſcrotum filis carptis, atque de illo quoque cutis luxurians abſcinditur. Cætera ut vulnus ſanantur.

LXXVII.

CAROLI FRIDER. KALTSCHMID, Programma, *de neceſſitate exſtirpandi hernias ſpurias majores, imprimis Hydrocelem & Sarcocelem, vel Hydroſarcocelem.* Ienæ, 19 Octobris anno 1749.

Etiamſi Hydrocelen punctura, vulnere, ſetone ſanari poſſe, ſi recens & ab inſonte cauſa provenit, dictum fuit: ſupervacaneus tamen labor eſt ille, ſi vetus eſt morbus, & qui aliquoties jam reverſus fuit. Ideoque ferro medendum, eaque ipſa, quæ jam adducta fuit teſtem exſcindendi methodus, locum invenit.

Digitized by Google

NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipſiæ

Calendis Februarii Anno MDCCLVII.

DISPUTATIONES CHIRURGICAE SELEctæ; collegit, edidit, præfatus eſt, ALBERTUS HALLERUS. Tomus Tertius *&* Quartus.

Lauſanne, 1755. 4 Alph. Fig. æn. 23. in 4.

LXXVIII.

Diſſertatio medico-chirurgica, *de neceſſaria in praeternaturali partu inſtrumentorum applicatione*, quam tuebatur *Io. Andreas Deiſch*, Auguſtanus. Argentorati 9 Aug. 1740.

Pelvi mulieris deſcripta, quantæ utilitatis ſit ejus diverſas partes noſſe, eamque notitiam ad artem chirurgicam applicare, oſtenditur, & impedimentum a pelvi gravidæ male ordinata varium explicatur. Hinc, uteri naturali & vitioſo ſchemate, una cum ſecundinarum ſtatu naturali & morboſo expoſitis, foetus mortuus, quibus ſignis pro defuncto habendus ſit, ad examen revocatur. Mox de imminuendo eius capitis volumine per inſtrumenta, quibus fonticulus aperitur, verba fiunt, quo hamulus major intra calvariam admitti, ibidemque firmari poſſit, id quod tunc maxime efficiendum eſt, ſi quando caput foetus aquis tumet, quod morbi genus hydrocephalon dicunt. Adduntur alia inſtrumenta, quibus thorax, ſi quando brachium propendet, & educi nequit, aperiendus, & corporis volumen hoc ipſo imminuendum eſt.

LXXIX.

Diſſertatio medico-chirurgica, *de non differenda ſecundinarum adhaerentium extractione*, quam Præſide D. D. IO. CASPARO KUCHLERO, tuebatur *Io. Valentin. Harttramfft*, Lipſienſis. Lipſiæ d. 23. Decembr. 1735.

Expertiſſimus in arte chirurgica, maxime in illa, quæ nativitatem foetus procurat, Auctor, Lipſienſium medicorum decus, cui hoc ipſo parentandum eſt, quandoquidem eundem maturius nobis fata eripuerunt, artis obſtetriciæ frequenti exercitio edoctus, ſecundinas, etiamſi adhærentes ſint, ſubito educendas eſſe, rationibus evicit. Hoc unicum largitus eſt, relinquendas eas eſſe, ſi abortus tenerior emiſſus eſt, utpote cum oſtium matricis manum tunc admittere haud poſſit; arbitratus ſcilicet, placentulam tabo ſenſim ſolutam, ſponte effluxuram. Quodſi autem adultior foetus eſt, qui ſuam reliquit placentam, nihil eſt quod detinere debet chirurgum, quo minus oſtium uteri, etiam clauſum, immiſſis pedetentim digitis, veluti terebrando aperiat, manum inducat, & placentam deglubat: certo enim, niſi hoc ita factum eſt, puerperam perire oportet, vel hæmorrhagia diffluentem, ſi margo ſaltim placentæ de fundo uteri receſſit, vel febre putrida, ſi illa penitus adhæſit, abſumendam.

LXXX.

PHIL. CONRAD. FABRICII Med. P. P. Programma *de foetus vivi extractione utero prolapſo*. Helmſtad. 22 Novembr. 1748.

Quodſi id eſt, uterum gravidum elapſum & ex ſede ſua motum habere, ſi quando oſtium matricis, cum proxima ejus parte, quæ minimum totius matricis ſegmentum eſt, deſcenderit, ampla ſcilicet ſatis femina, ut hoc ita fieri poſſit; largiendum eſt, elapſo utero vivum foetum edi poſſe. Namque haud infrequens ille caſus eſt, ut, deleta omni vagina, os parientis, cum bona matricis ipſius parte, emineat. Rarior tamen omnino caſus eſt, qui hoc programmate evolvitur: cum major uteri moles inter oſſis iſchium ramos delapſa, majorem non potuit non pariendi difficultatem facere.

LXXXI.

Digitized by Google

LXXXI.

Diſſertatio chirurgica, *de Capite infantis abrupto, variisque illud ex utero extrahendi modis*, quam tuebatur *Io. Carol. Voigt*, Gieſſenſis. Gieſſæ 6 Septembris anno 1743.

Etiamſi Harvæus & Paræus volunt, oſſa, quæ pelvim conſtituunt, divaricatis eorum ramis, & ſynchondroſi pubis laxata, ſatis amplam largiri poſſe viam, qua exire foetus etiam grandior poſſit: hoc tamen fieri a multis in dubium vocatum eſt, iamque a Clariſſimo Auctore variis argumentis confutatur. Ideoque omni partui non poteſt non aliqua, etiam ſecundum naturam, quoniam oſſa haud cedunt, obvenire difficultas, eo ſemper major majorque futura, quo plura foetui ſeſe impedimenta objecerint, quæ vel ex obliquo uteri ſitu, vel ex infantis, maxime autem ejus capitis, volumine, vel ſuapte ſponte, vel per morbum aucto, obvenire poſſunt. Igitur caput, ſi quando grandius, foetus autem pedibus educendus eſt, atque major in extractione vis adhibetur, laxatis vertebrarum colli & occipitis vinculis, abrumpitur, inque utero remanet, magno ſane puerperarum, quibus hoc evenit, vitæ diſcrimine, tum maxime, ſi os matricis jam penitus clauſum fuit. Traduntur igitur modi, quibus ejusmodi caput relictum, dilatato, ſi clauſum eſt, matricis oſtio, apprehendi educique poſſit ac debeat. Et primo quidem tentandum eſt, ut, inſerto in os relicti capitis digito, educi illud inermi manu poſſit; deinde tamen & inſtrumentis utendum, ad accipiendum, tenendum, extrahendum caput, commodis, quæ a *Gregoire, Amnand*, aliisque inventa ſunt, & quæ Icone adjecta deſcribuntur. Hoc tamen notatum velimus, uterum, veluti depictus eſt, ſub ampullacea illa & æqualiter diſtenta ſpecie, nunquam per naturam eſſe poſſe, ſi infans eductus eo eſt, ut ſolum caput remanſerit. Namque, id quod in Iconibus Operis Smelliani videre licet, matrix, in ratione, qua foetus exit, ſtatim plicatur & corrugatur: quod ſcire oportet illos, qui vel ſecundinas, vel caput relictum ſunt educturi.

LXXXII.

Diſſertatio chirurgica, *de rupto in partu utero*, quam tuebatur

Digitized by Google

tur *Io. Frider. Behling,* Hoya-Hannoveranus. Altorfii 20 Decembris anno 1736.

Inter triſtes caſus, qui parturientibus evenire poſſunt, easque in extremum vitæ periculum adducunt, ille ſine dubio eſt, qui in rupto conſiſtit utero, ſi quando tanta foetus moles eſt, ut eam ſuperare omnibus nixibus ſuis matrix nequeat, atque illa, ultra quam fibræ ferre poſſunt, tenſa eſt. Non tamen aliter ejusmodi ruptura obvenire poterit, quam vel per externam illatam injuriam, veluti in hoc caſu eveniſſe videtur; vel per vim putreſcentis foetus mortui, qui, ſub iſta putrilaginoſa evolutione, ſummam acquirunt parietes matricis ad crepaturam usque diſtendendi efficaciam, tum maxime, ſi hoc quoque acceſſerit, ut ipſa matrix ex gangrænoſa mollitie ſuam reſiſtendi vim amiſerit.

LXXXIII.

Diſſertatio medico-chirurgica, *de rupto in partu utero,* quam tuebatur *Io. Iacob. Muller,* Helveto-Toggius. Baſileæ 26 Martii 1745.

Etiamſi uterus, ſub ſummo ſuæ extenſionis ſtatu, de ſuo robore & firmitate ac denſitate nihil quidquam amittit; utpote quem ad emittendum foetum facultates habere oportet excellentes; quam ob rem, ſi diametrum parietis matris vacuæ cum illo gravidæ compares, non tantum nihil quidquam illi de ſuo volumine deceſſiſſe, immo vero illum ab humore cellulos invadentium copia auctiorem redditum fuiſſe, clare perſpicies: evenire tamen poteſt, veluti in hoc exemplo contigit, ut, ſub inſuperabilibus, quæ parturienti ſeſe objiciunt reſiſtentiis, & ſub ſumma pariendi contentione, aliqua in parte, ad quam totius niſus vis tendit, oſculo ſcilicet uteri, ob ejus obliquitatem aperiri haud valente, paries uteri ſenſim extenuatus rumpatur. Hunc caſum ab excellentiſſimo artis obſtetriciæ Magiſtro, *Friedio,* recenſitum, erudite Clariſſimus auctor exponit.

LXXXIV.

Digitized by Google

LXXXIV.

Quæſtio medico-chirurgica, quam Præſide IAC. BENIG. WINSLOW, tuebatur *Guill. Ruellan,* Dinannæus, ſub hac verborum ſerie: *An ad ſervandam prae foetu matrem, obſtetricium hamatile, minus anceps, & aeque inſons, quam ad ſervandum cum matre foetum ſectio caeſarea?* Pariſiis 24 Iunii anno 1744.

An certo perituræ matri auxilium ferri debeat, occiſo & per inſtrumenta educto foetu, quæſtio ponderoſa movetur, & tam eductio embryonis ordinaria via, per hamos & uncos, quam nova via, per vulnus abdominis, mediante ſectione caeſarea, expenditur. Caſus ſane diſpar eſt. Namque, ventrem vivæ matris incidenti fiducia eſt, & matrem & foetum ſervari: ſed hamis utenti medico conſtitutum eſt foetum enecare, ut mater vivat. Quid hac de re ſentiendum ſit, decidant Theologi.

LXXXV.

Diſſertatio anatomico-chirurgica, *de novo artificio curandi procidentiam uteri*, quam Præſide ANDR. OTTOMAR GOELICKE, M.P.P. tuebatur *Io. Georg. Preunel,* Francof. ad Viadrum menſ. Novembris 1710.

Utero adhuc intra vaginæ limites hærente, *deſcenſus*, ejus autem oſtio, ac parte ejus inferiore, extra ſinum pudoris prominulo, *prolapſus* adeſſe perhibetur. Inverti uterum, ut, quod intus eſt, foris ſit conſpicuum, non niſi tunc probabile eſt, cum recens partus fuerit, & placenta fundo matricis tenaciter adhærens, fortiter adducta, ſequacem uteri fundum una extulit. Falſa autem eſt uteri procidentia, quodſi vaginæ muliebris tunica rugoſa, a ceteris tunicis ſeparata, ex cuno propendet. Nec facile quisquam ex ſapientibus chirurgis eſt, qui tumores ex vagina pendulos, ac ſarcomata, pro uteri prolapſibus forte habere velit. Quodſi igitur fundus uteri ex oſtio ejus prominet, qua ratione reponendus, inque ſede ſua peſſariis cavis firmandus ſit, expoſitum ab Auctore Clariſſimo

 fuit,

fuit, oſtenſique una fuerunt modi, quibus, ſi forte, quod prominet, gangræna tactum fuit, illud reſcindi oporteat.

LXXXVI.

Diſſertatio medico-chirurgica, *de prolapſu & inverſione uteri, ejusque vaginae relaxatione*, quam Præſide D. PHIL. ADOLPHO BOEHMERO, tuebatur *Frid. Benj. Wachter*, Nordhuſia-Thuringus. Halæ 18 Iunii anno 1745.

Paulo curioſius hoc negotium excuſſit Excellentiſſimus Auctor, quem in rebus phyſicis, ad uteri hiſtoriam pertinentibus, verſatiſſimum eſſe, ejus ſcripta de hoc argumento in lucem emiſſa docent. Varios enim modos tumorum, qui elapſo utero vulgo tribui ſolent, expoſuit, & ſub uno ſaltim caſu vere inverti uterum poſſe, cum ſcilicet placenta uterina poſt partum adhærens validius adducta fuit, declaravit, peſſosque adjecit in Icone, quibus, ad organon illud in ſede ſua obfirmandum, uti medentes poſſint.

LXXXVII.

Diſſertatio medica, *de Uteri delapſu, ſuppreſſionis urinae, & ſubſequutae mortis cauſa*, quam Præſide IOH. ADAM. CULMO, tuebatur *Ioh. Eilhard. Reinick*. Gedani 24 Aprilis anno 1732.

Conſentit Graviſſimus auctor, non niſi per violentam placentæ adhærentis extractionem matricem inverti poſſe, cætera autem uteri prolapſus exempla, ſaltem vel deſcenſum oſtii uteri, ejusque eminentiam, vel laxatam vaginæ muliebris tunicam oſtendere. In hoc exemplo, uterus gravidus demiſſior, uti eſſe quarto geſtationis menſe ſolet, præterea etiam infelici, qui gravidæ evenerat, caſu, e ſede ſua motus, occultaverat cervicem veſicæ, & urinarum iter penitus intercluſerat, quo, non allato debito auxilio, mulierem fatis cedere oportuit, iſchuria oppreſſam. Inventa veſica fuit ita extenſa & dilatata, ut catheteris miniſterio, viginti libræ lotii

ex

Digitized by Google

ex cadavere ducerentur, ipſius veſicæ pariete nihilo minus validido, immo validiore quam ſanæ eſſe ſolet.

LXXXVIII.

Diſſertatio medico-chirurgica, *de incontinentia urinae ex partu, globulis ligneis curanda*, quam Præſide SIM. PAVLO HILSCHERO, tuebatur *Ioh. Dan. Mittelhaeuſer*, Thusdorff. Thuring. Ienæ 4 Iulii anno 1716.

Violenti partus effectus cum varii ſunt, tum quoque urinæ incontinentia inter illos numeratur: ſiquidem vel ipſe fœtus, vel manus obſtetricis parum provida, laxare urethram feminæ eousque potuit, ut illa lotio tenendo impoſterum par haud eſſet, urinis, non tantum inhoneſte, ſed & nocenter effluentibus, & muliebria ſalſa adſpergine ſubinde erodentibus. Nihil autem auxilii contra hoc malum, quam in machinis eſt, ſphincterem veſicæ ita comprimere valentibus, ut lotia ſubſiſtant. Eiusmodi cum variæ enarrantur, quæ ex peſſariorum uterinorum ſunt numero, tum globuli quoque laudantur lignei, cura inducti, inque vagina muliebri ita collocandi, ut partes teneras haud graviter offendant.

LXXXIX.

Diſſertatio medico-chirurgica, *de Sarcomate e pudendo muliebri ſectione ſublato*, quam Præſide ABRAH. VATERO M. P. tuebatur *Iac. Dan. Behrens*, Torgavienſis. Wittembergæ menſe April. anno 1728.

Vagina muliebris rugoſa, ſi quando a ſubſtrata muſculari receſſit, atque humores mali in cellulas his interjectas ingreſſi fuerunt, vel ſicubi glandula aliqua ex muciparis huic organo interjacentibus intumuit, naſcuntur Sarcomata, quæ, cum de muliebribus propendent, matricis prolapſum adeſſe perſuadere multis poterunt, poteruntque videri matrices exſectæ fuiſſe, cum tumor ſaltem aliquis ex grandioribus ablatus eſſet. Præſens caſus ſiſtit Sarcoma ad gangrænam vergens, quod

quod experiente manu, ſubductis autem filis, feliciter e medio ablatum, ſine ullo gravioris hæmorrhagiæ diſcrimine, fuit.

XC.

IO. FRID. CRELLII Programma, *de Tumore fundo uteri externe adhaerente,* Wittembergæ die 5 Iunii 1739.

Ejusmodi, de quibus antecedens diſſertatio mentionem fecerat, tumoribus, auxilium parari poteſt; ceteri, ſi qui per interiores uteri locos, & intimos hujus viſceris receſſus eveniunt, vel ignorantur, vel, etiamſi cogniti eſſent, omne eludunt auxilium. Horum autem quamplurimos, in ſectis feminarum cadaveribus obſervatos, atque majorem partem ex ovariis diſtentis natos, adduxit Auctor, ſuamque his ſubnectit obſervationem, de tumore aliquo criſtam gallinacei capitis referente, qui ex uteri fundo, qua parte ille abdomen reſpicit, excreverat. Adduntur aliqua de veſiculis lympha turgidis, ad uteri oſtium internum reperiundis, quas Nabothus pro novo ovario venditaverat.

XCI.

Diſſertatio medico-chirurgica, *de polypo poſt febrem epidemiam ex utero egreſſo,* quam Præſide ABRAHAMO VATERO P. P. tuebatur *Caſparus Schunckius,* Flensburgo-Cimber. Wittembergæ 29 Maji 1739.

Naſcuntur etiam tumores intra matricis cavum, & ex ejus pariete interno propullulant, hinc uteros ſane immani mole diſtendunt. Hos, molas carneas, & Sarcomata appellant. Hæc ubi adoleverunt, effractis oſtii uterini interni repagulis, haud raro erumpunt, ut uterus prolapſus ipſe fuiſſe videatur. Nec infrequens hoc mali genus eſt. Aſt hoc apprime rarum eſt, veluti in hoc caſu, ſub febris malignæ fervoribus, tumorem longiuſculum, qui ex matrice & oſtio uteri externo propenderet, ſubito enatum fuiſſe, ſine latitudine gracilem & longum polypum matricis dici, nihil eſt quod impedit; quales mox ex reſidua placentula abortus cujusdam, mox ſponte natos,

tos, *Ruyſchius* obſervavit. Repoſitus ille tumor ſponte diſparuit, nec ferro reſectus eſt: cujus conſilii ratio redditur.

XCII.

Quæ Tomi quarti initium, partis autem quartæ continuationem ſiſtit.

Diſſertatio medico-chirurgica, *ſiſtens obſervationes rariſſimas, generationem calculorum in corpore humano illuſtrantes,* quam Præſide D. ABRAH. VATERO, tuebatur *Chr. Ant. Ziegenhorn,* Mittav. Curonus. Wittembergæ 19 Iulii 1726.

Quatuor ſingulares, de calculorum geneſi & ſitu, obſervationes in hoc libello continentur. *Prima* ſiſtit calculos veſicæ urinariæ, velamini membraneo involutos, & ſuperficiei veſicæ interiori affixos. Fieri hoc frequenter ſolet, eſtque ſumma calamitas, ante lithotomiam curioſius haud inveſtigaſſe, ſitne calculus liber, an vero, veluti in hoc caſu, veſicæ adnatus habeatur. Irrita enim eſt operatio, ſi calculus adhæſerit: evulſus enim, certam ei, qui ſectus fuit, mortem afferet. *Altera* obſervatio ſiſtit efficacem aquarum Pyrmontanarum, in depellendis calculis renalibus, uſum, eumque promtum. Namque cum æger calculos plures impetuoſius pepuliſſet, vulneratas urinarum vias, ut ſanguinem mingeret, exinde habuit; deinde illi ulcus in veſica natum eſt. *Tertia* agit de calculis veſicæ felleæ ſede rejectis: & *quarta* demum calculi in burſa Caſtoris reperti hiſtoriam ſiſtit.

XCIII.

Diſſertatio medico-chirurgica, *de calculis in locis inuſitatis natis, & per vias inſolitas excluſis,* quam Præſide D. ABRAH. VATERO P. P. tuebatur *Io. Aug. Schulze*, Freiberga-Hermundurus. Wittembergæ 30 Maji 1741.

Vix locus eſt, in quo calculi haud naſcantur. In veſica *biliſera*, *urinaria*, inque omnibus urinæ viis, hinc intra

ventriculum animantium eorum, quæ ægagropilas nutriunt, inque tubo alimentoſo compingi dura corpora, & ex aggregata ſenſim terra calcaria calculos gigni, frequens eſt. Sed nec exempla deſunt lapillorum in corde, pulmonibus, & venarum majorum oſtiis, naſcentium, quæ allegantur tanta cum cura, & id, quod fabulam ſapit, tanto ſtudio ab hiſtorica veritate dirimitur, ut theoriæ phyſicæ de calculi origine, hujus elegantis libelli lectione, magna lux non poſſit non accendi.

XCIV.

Diſſertatio medico-chirurgica, *de ſectione & felici curatione calculi veſicae exulceratae adhaerentis*, quam Præſide HERM. FRIDER. TEICHMEYERO, tuebatur *Paulus Philip. Scheler*, Coburgenſis. Ienæ 9 Maji 1738.

Uti antiquiſſima eſt calculum de veſica pueri educendi ratio, ita tamen haud liquet, an illa veterum Celſiana dicta methodus ea fuerit, qua bulbus urethræ inciditur; ut potius, ſi Celſum legas, haud obſcurum ſit, illos perinæum prope ad urethræ bulbum incidiſſe, & calculum ex vulnere, minimo inſtrumentorum apparatu, & ſolius diſcipuli miniſterio, eduxiſſe. Hanc methodum feliciter exſecutus eſt Auctor, inciditque puero locum, qui prope ad tuber iſchii ſiniſtri eſt, inter muſculos transverſalem, acceleratorem, & bulbocavernoſum, medius; utpote in quo, nec de viis ſeminalibus incidendis, nec de magnis ſanguineis vaſis deſtruendis, metus eſt. Nec detineri ſeſe a negotio ſuo ſemel ſuſcepto paſſus eſt artifex, etiamſi, immiſſo in anum pueri digito, expreſſa per urethram purulenta materies, abſceſſum ſubeſſe notaret. Extraxit tamen calculum hamulo, ſivitque urinam aliquamdiu per vulnus effluere, donec illud ſenſim clauſum, liberam ordinariam lotiis viam eſſe permitteret.

XCV.

Diſſertatio medico-chirurgica, *de inſolita calculi ingentis per ſcrotum excluſione*, quam tuebatur *Ioh. Guil. Frid. Iahn*, Avenſ. Hermundurus. Vitembergæ 2 Oct. anno 1750.

Cal-

Digitized by Google

Calculi, cum ad veſicæ cervicem accreverunt, lento attritu ſibi ipſis viam, qua exire poſſint, parant ſæpiſſime, & illis in perinæo naſcens abſceſſus pro medicina eſt, ſiquidem pus ex attritu calculi naſcens ſenſim perrumpit eundem locum prope ad tuber alterutrum iſchii, in quo ars naturam imitata, per vulnus calculos extrahit. Abſceſſus talis ſponte ruptus in puero, effudit in ſcroti caveam calculum inſignem, & natura, chirurgi auxiliatrices manus altero die præbere volentis, induſtriam prævertit. Hoc ſæpius ita factum eſſe, per ſimiles ex fide dignis autoribus excerptas hiſtorias commonſtratur, & brevis de variis calculum ſecandi modis commentatio adjicitur.

XCVI.

Diſſertatio medico-chirurgica, *de Calculo veſicae urinariae in urethram impulſo, & ſingulari encheireſi absque ſectione exempto*, quam palam tuebatur *Carolus Daniel Fiſcher*, Kesmarkio-Hungarus. Erfordiæ 17 Auguſt. anno 1744.

Singularis eſt hiſtoria, non tam objecti ratione, ſiquidem calculi in urethram protruſi, & in ea hærentes, ac contumacem urinæ obſtructionem afferentes, viſuntur frequentius; quam potius auxilii intuitu, quod feliciter & inventum & expeditum, educendi ejusmodi calculi cauſa, fuit. Namque, cum calculus ipſe ad usque urethræ caput, ubi anguſtiſſima ſolet eſſe urinarum fiſtula, progreſſus eſſet, inque illo glandis iſthmo hæreret, liberari autem nec flatu, nec injectionibus, nec ſuctione poſſet, nolletque artifex urethram vulnerare: de terebra cogitavit, quam in ſimili caſu per cannulam ferream in urethræ caput demittere, & calculum hac ipſa excavare *Paraeus* docuerat. Succeſſit experimentum feliciter, cumque in calculo ad oſtium anterius urethræ fixo, terebra mediante, foramen actum eſſet, quod tenuis forcipis roſtrum admitteret, diffractus lapis, & a lotio ipſo per partes ejectus fuit.

XCVII.

PETRI TARIN Epiſtola ad D. D. GVATTANI, ſummi pontificis

 Chi-

Chirurg. primarium, & Noſocomiorum Spiritus Sancti & Sancti Gallicani Romanorum Præfecto, *de Lithotomia.* Pariſiis 18 Iulii 1748.

Sectionem lateralem, quam a Monacho *Iacobo* inventam, a *Meryo*, *Ravio*, *Albino*, *Cheſeldenio*, *Morando*, *Senffio*, *Tulberto*, *le Cat*, variis modis correctam, & diverſo inſtrumentorum apparatu interpolatam, nunc omnes exercent, ſecure peracturi, & calculum veſicæ per vulnus educturi id potiſſimum in cura poſitum habent, ut cuſpis lithotomi, cum pervaſit externos locos, & ad veſicam pervenit, ſtatim occultetur in ſtria excavata ſpecilli curvi per urethram demiſſi. Oportet autem hanc ſtriam altam eſſe, & ad manubrium usque quod foris eſt, & a miniſtro tenetur, continuatam, ut in dirigendo iſthoc ſtylo miniſter haud aberret. Quo enim profundius lithotomi apex in iſthac fiſſura ſedet, eo ſecurius ſecabitur.

XCVIII.

Specimen medico-chirurgicum, *de operatione alti adparatus*, quam Præſide MATTHIA ERNEST. BORETIO, tuebatur *Michael Frideric. Tennigs*, Regiomonti-Pruſſicus. Regiomonti 17 Septembr. anno 1723.

XCIX.

Diſſertatio medico-chirurgica, *de alto adparatu*, quam Præſide D. D. LAVRENT. HEISTERO, tuebatur *Io. Georg. Frid. Weiſe*, Helmſtadienſis. Helmſtad. die 8 Decembr. anno 1728.

C.

Quæſtio medico-chirurgica, quam Præſide IACOBO BENIGNO WINSLOW, tuebatur *Cl. Th. Guil. Guilbert de Preval*, ſub hac verborum ſerie: An ad extrahendum calculum diſſecanda ad pubem veſica? Pariſiis 20 April. anno 1752.

CI.

Quæſtio medico-chirurgica, quam Præſide M. PHIL. DAVIER

DE

DE BREVILLE, tuebatur *Franc. Felic. Cochu*, ſub hac verborum ſerie: An educendo calculo, cæteris anteponendus altus apparatus? Pariſiis 15 Aprilis anno 1734.

Cum multæ difficultates circa ſectionem calculi, quæ vel in perinæo, vel ad iſchii tuber fit, offenderentur, *Nicolaus Francus*, Pariſiis, de via cogitavit nova, qua calculus per vulnus ſuper os pubis, inter muſculos pyramidales inflictum, educeretur, & cruda, primo ſub tentamine, hæc fuit methodus, cujus autor juſſit calculum a miniſtro, qui digitum oleo unctum in ægri anum demitteret, elevari, ut arripi a magiſtro ſecante poſſet. Correxerunt igitur illam *Douglaſſius* & *Cheſeldenius*, juſſeruntque veſicam repleri lotione per cannulam aptam epiſtomio claudendam, ne lotio efflueret, & veſica tenſa ſervaretur. Inciſa veſica, immerſo digito, apprehenſa, & in elevatione ſervata eſt, ut poſſent calculi, mediante cochleari, eripi. Sed, præterquam quod feminis, quibus urethra claudi nequit, hæc methodus haud quadret, nec pro univerſali proinde habenda ſit: accedit & hoc, quod vel lotio immiſſa foris, vel collecta per uberiorem potum urina, veſicam tendens, ex vulnere in peritonæi cellulas non poſſit non effluere, & vulnus corrumpere, ex quo mortem conſecutam eſſe, re etiam ceteroquin laudabiliter peracta, hiſtoriæ loquuntur. Si ab hac circumſtantia receſſeris, cetera bene ſeſe habent, nec artem ſcienti evenire poterit, ut diſſecta, quæ ſuper veſicam extenditur, peritonæi lamina, inteſtina devolvantur.

CII.

Diſſertatio chirurgica, *de Lithotomiae Celſianae praeſtantia & uſu*, quam Præſide D. LAVRENTIO HEISTERO, publice tuebatur *Io. Guil. Iſemann*, Cellerfeldenſis Cheruſcus. Helmſtadii menſe Novembris 1745.

Methodi veteris, a *Celſo* deſcriptæ, laudes, diſſertatio hæc deprædicat, utpote quæ non tantum pueris nono anno minoribus, ſed & adultis conveniat, quorum plures, *Illuſtris Heiſterus* hac via a calculis liberavit. Namque ideo ſaltim

viſa eſt hæc ſectio pueris ſolis convenire, quod illis veſica ab externo vulnere parum diſtet, utpote tenuioribus. Sed vero diſcrimen tanti non eſt, quod in ætate ponitur, ut propter illud, iuvenes ſecari hoc modo non oporteat, maxime cum, qui calculo diu afflicti fuerunt, graciles eſſe ſoleant. Nec eſt quod quis objiciat, in hujus antiquæ ſectionis exercitio vulnerari rectum inteſtinum poſſe; namque hoc evitari ab artifice poteſt. Deinde, minor apparatus inſtrumentorum, catheteris & conductorum & forcipis abſentia, hanc methodum commendant, quorum copia, lateralem omnem, maxime Fulbertianam & Catianam, onerat. Eſt igitur huic veteri maior ſecuritas, quo minus veſica vexatur, quæ etiam id laudis habet, quod lateralis nunc dictæ, quæ antea *Iacobiana*, mox *Raviana* dicta eſt, ſit filia. Convenit enim locus ſectionis & via ad veſicam, quæ utrinque inter *bulbo cavernoſum, transverſalem* & *acceleratorem* urinæ muſculos procedit, in quo ſcilicet ſpatio, præter aliquas *ani elevatoris* fibras, & vaſa bulbocavernoſa ac proſtatam, nihil occurrit. Igitur *lateralis ſectio calculi* eſt vetus *Celſiana*, in eo differens, quod inſtrumentis in hac peragitur, quod ibi ſecurius ſola manu, quæ calculum eripit, ad ſummum hamuli miniſterio, perficitur.

CIII.

Quæſtio medico-chirurgica, quam Præſide M. CAMILLO FALCONET, tuebatur *Petr. Iſaac. Poiſſonnier*, Divionnæus, ſub hac verborum ſerie: An educendo calculo, ceteris anteferendus apparatus lateralis? Pariſiis die 21 Maji anno 1744.

Quodſi cum adultis, atque ampliori pelvi donatis, rem chirurgus habet, quibus ſcilicet copioſa inter cutem & veſicam pinguedo interjacet, & quibus proſtata ad latus ita procedit, ut ſine vulnere manere nequeat, ſi veterem *Celſianam* methodum exercere velis: tunc circumſpectius omnino eſt, lateralem, quam *Ravius, Douglaſs, le Dran,* perpoliverunt, ſectionem inſtituere. Hanc ſecuriorem præſtat in adultis

Digitized by Google

ultis catheter ſulcatus, a *Ravio* adjectus, in quem ſcalper audacter ſine metu erroris adigitur, tactu antea exploratum, quo ipſo & proſtata evitari, & a vulnere immunis præſtari poterit. Cum enim antiqua *Celſiana*, vel ſolo digito, vel hamulo, ad extrahendum calculum utatur, eam ſane exerceri non poſſe, ſi veſica in adulto & craſſo homine profunde jacet, quilibet perſpicit: igitur forceps ad veſicam dirigi conductoribus debet, ne aberret a ſcopo, & omnia ſumma cum providentia pluribus inſtrumentis, a quibus hæc methodus *grand appareil* dictus eſt, peraguntur, quoniam paucioribus perfici nequeunt.

CIV.

Diſſertatio chirurgica, *ſiſtens Hiſtoriam & examen methodi Foubertianae pro ſectione calculi*, quam tuebatur *Ioan. Henric. Keſſelring*, Poruſſ. Halæ die 20 Septembr. anno 1738.

Clariſſimus *Petrus Foubert*, Chirurgus Pariſienſis, cum tot tantosque in exercenda ſectione calculi laterali ſibi obverſari difficultates intelligeret, & cumprimis violentam ſæpe catheteris ſulcati per urethram in veſicæ cervicem ferre intruſionem haud poſſet, cogitavit ſecum, poſſetne, ſine hoc, vulnus excitari, quod calculo reſponderet, poſſetne alio modo veſica tam proxime ad cutem apprimi, ut illa vulnere non multum alto incidatur, & proſtatæ vulnus evitetur. Igitur in veſica, quam cera repleverat, primo loco tentamina inſtituit, atque ea deinde ad vivos transtulit. Veſica calculoſorum ſemper contracta magis eſt, quam ſi ſana foret, & parum quoque lotii tenet, quare ægroti ſtrangurioſi ſunt. Iubet ergo ægrotum longo ante tempore ſeſe exercere, ut plus magisque urinam teneat, oportetque eum gnaviter bibere. Poſtquam ergo ſub ipſo operationis actu veſica potu plena eſt, collocatur æger & firmatur, deligata illi per inſtrumentum comprimens urethra, ne nolenti lotium effundatur. Præſto eſt cannula argentea per totum fiſſa, prælonga, & quæ acum triquetram ducit. Igitur prope ad tuber iſchii ſiniſtrum acus defi-

Digitized by Google

defigitur, quam in veſicam deſcendiſſe, lotium ſanguine tinctum, ſubito proſiliens, docet. Ut autem quam proxime veſica lotio plena ad cutem vulnerandam accedat, jubet, ut ex miniſtris alter epigaſtrium ægroti molliter premat, alter immiſſo in anum ægroti digito, veſicam e latere urgeat, ut illa exſurgere quam altiſſime, & eo certius attingi vulnere poſſit. Cum urina ex punctura ſalit, retrahenda acus aliquantum eſt, ne interiora lædat, mox ad crenæ, qua tubulus argenteus fiſſus eſt, tractum deſcendit culter globulo munitus, & in iſta crena gliſcit, atque ad veſicam deſcendit, poteſtque ſine metu ita duci, uti neceſſum eſſe videtur, ut vulnus ſit amplum plus aut minus. Educto cultro, eadem crena accipit inſtrumentum, quod Gorgeret dicitur. Reliqua eadem lege, qua fit in laterali, perficiuntur; atque illud excellentiæ habet hæc methodus, quod veſicam ſecuram præſtet a tenſione aliisque vellicationibus, quæ a reliquis lateralis ſectionis exercitiis abeſſe nequeunt. Accedunt Icones, quæ inſtrumenta methodo Foubertianæ propria delineant.

CV.

Quæſtio medico-chirurgica, quam Præſide M. IACOBO TRANT, tuebatur *Henr. Franc. Bourdelin,* ſub hac verborum ſerie: An ad extrahendum e veſica calculum, diverſa pro re nata debeat uſurpari chirurgia? Pariſiis die 20 Aprilis anno 1734.

Uti ſolent ſcriptiunculæ docimaſticæ eruditorum pariſienſium laconica brevitate concinnari, ita hæc exercitatio methodos ſecandi calculum, jam ante recenſitas, leviter deguſtat, & quid de ſingulis ſtatuendum ſit, proponit.

CVI.

Diſſertatio medico-chirurgica, *de variis calculos ſecandi methodis,* quam publice tuebatur *Auguſtus Frider. Pallas,* Berolinenſis. Lugd. Batavor. die 17 Iunii anno 1754.

Paulo plenius hiſtoria & fata difficilis illius experimenti, quo calculi de veſica extrahuntur, hac ſcriptione expoſita ſunt. An-

Digitized by Google

Antiquiſſima ſane eſt iſthæc cruenta eductio peregrini corporis, ægrotos ita affligentis, ut extrema experiri ſatius ducant: namque *Hippocrates* jam ſuos, ne eam inſtituerent, ſed illis, quibus hoc datum eſt, agendum relinquerent, juramento adſtrinxerat. Nulla autem alia operatio, omni, ante ſeculi XVI initium, tempore fuit, quam ea, quæ a *Celſo* dicitur, non quod ille hanc fecerit, ſed quod deſcripſerit; nec putandum eſt, alium, quam qui nunc lateralem lithotomiam exercentibus inciditur, locum, a veteribus vulneratum, quo calculum educerent, fuiſſe. Namque ſi *Celſum* legas, via patefacta ſectione eſt ea, quæ prope eſt ad tuber iſchii, qua nunc quoque laterali ſectione calculi educuntur. Illo autem, quo diximus, tempore, aliqua methodus a *Iohanne de Romanis*, Cremonenſi, non tam inventa, quam, quoniam ab Arabibus jam propoſita fuerat, magis exculta, & a *Mariano Sancto Barolitano* deſcripta eſt: qua, medio inter bulbum urethræ & inteſtinum rectum loco, cervix veſicæ inciditur. Eam methodum non potuerunt non omnes damnare, quandoquidem, niſi graviter vulneratis, & inſtrumentorum apparatu diremtis tenerioribus veſicæ partibus & proſtatis, exerceri haud poterat. Viſum igitur eſt *Petro Franco*, alia, minusque periculoſa via tentari extractionem calculi poſſe; incidit enim ſummam veſicæ oram, quæ ſub muſculis pyramidalibus jacet, ipſa veſica ante lotionibus extenſa, ut feriri curatius poſſet. Derelictam hanc ſectionem, a loco hypogaſtricam, vel cum apparatu alto dictam, recoxit *Roſſetus* in *Libello de partu Caeſareo* 1551. 8. Perpoliverunt illam *Douglaſſius* & *Cheſeldenius*, multaque adjecerunt, quæ ſecuritatem illi præſtare poterant. Ad veterem methodum reverſus eſt *Monachus Iacobus* 1697. & cum anatomiæ imperitus eſſet, multos corrupit, maxime feminas; cujus tamen erroribus doctior factus *Ravius*, qui ſecantem viderat, elaboratiorem fecit methodum, ante a Iacobo *Iacobianam*, mox a ſe *Ravianam* appellatam, quam autem nunc, quoniam plures de eadem bene meriti ſunt, *Albinus*, *Douglaſſius*, *Cheſelden*, *Dionis*, & ex recentioribus *le Cat*, & *Foubertus*, ne ulli quidquam derogetur meriti, *lateralem* in uni-

Digitized by Google

verſum appellant. Quid ſinguli ad perpoliendam iſtam methodum contulerint, ordinate proponitur.

CVII.

Quæſtio medico-chirurgica, quam Præſide Cl. THOM. GVIL. GVILBERT DE PREVAL, tuebatur *Henr. Iac. Macquart*, ſub hac verborum ſerie: An ſcalpello vagina recondito Cyſtitome lateralis perfectior? Pariſiis die 25 Aprilis anno 1754.

Laudatur *Foubertiana* methodus, quam jam ante Clar. *Keſſelring* deſcripſerat, & cultelli occulti in vulnus dirigendi proponuntur, qui iſtam novam ſectionem ſecuriorem præſtare poſſint, atque una depinguntur.

CVIII.

Ioan. Adolph. Wedelii Prooemium, *de Liquore non corroſivo lapides duriores abſumente.* Ienæ d. 3 Auguſti 1720.

CIX.

Diſſertatio medico-chirurgica, quærens, *an dentur medicamenta, quae calculum in veſica comminuant,* quam tuebatur *Io. Erneſt. Graberus*, Longoſaliſſenſis. Halæ menſe Iulii anno 1734.

CX.

Diſſertatio medico-chirurgica, *de calculo veſicae friabili,* quam Præſide GEORG. DETHARDING, tuebatur *Ern. Wilh. Schaumkell*, Megapolenſis. Roſtochii die 27 Octobris anno 1729.

CXI.

Diſſertatio medica, *de Lithontriptico nuper in Britannia publici juris facto*, quam Præſide IOAN. HENRIC. SCHVLZE, palam tuebatur *Georg. Ludovic. Ietzke*, Berolinenſis. Halæ die 20 Septembris anno 1739.

CXII.

Quæſtio medico-chirurgica, quam Præſide LVDOV. MARIA POVSSE,

Digitized by Google

POVSSE, tuebatur *Andreas Cantwel,* ſub hac verborum ſerie: An calculo veſicæ ſcalpellum ſemper neceſſarium? Pariſiis die 17 Februarii anno 1742.

CXIII.

Quæſtio medico-chirurgica, quam tuebatur *Iac. Albert. Hazon* & *Petrus Ioſephus Macquer*, ſub hac verborum ſerie: An in calculo renum & veſicæ, pro natura calculi, ætate & temperamento ægrotantis, remedium alkalino-ſaponaceum anglicum? Pariſiis 1742.

CXIV.

Ioa. Frid. Schreiber Epiſtola ad illuſtriſſ. *Albertum Hallerum,* de Medicamento a *Ioanna Stephens* contra calculum divulgato inefficaci & noxio. Götting. 1744.

Quandoquidem præclariſſimi iſti auctores, de eodem argumento, quod medicamenta lithontriptica concernit, ſcribunt, poterunt eodem conſpectu ſiſti. Namque ab omnibus id effectum eſt, ut conſtaret, deſperandum quidem de calculis renum & veſicæ ſolvendis haud eſſe, quia ſunt ſabuloſi & friabiles; vanam nihilominus eſſe fiduciam, cum calculi in marmoream aliquam duritiem concreverunt. *Wedelius* quidem multum fiduciæ in corticis quercus decocto, vel lixivio, poſitum habet. Poteſt etiam nonnihil promittere uſus Millepedum cum decocto radicum Aſparagi, Graminis, Glycyrrhizæ, ſeminum Ciceris, Alkekengi. Potiſſimum acida vegetabilia, atque illa acida dulcificata mineralia, ſi quando Alkohol ſpiritui acido minerali deſtillatione jungitur, haud parum promittunt; uti non abſonum eſt, Mercurii dulcis modeſtum uſum, aliquid ad extricandos de tubulis renalibus calculos conferre poſſe: ſiquidem & ſaponata alkalica in univerſum omnia, ſi quando lege circuli ad renes & veſicam ablegata fuerunt, poſſunt compagem calculorum terream ſolvere quam efficaciſſime, ſi illa adhuc rara & laxa eſt. Nemo tamen ex ſapientibus viris fuit, quin tenues admodum illi ſpecifico anglico lithontriptico, quod virgo *Stephens* ſe inveniſſe gloriata eſt, virtutes fuiſſe ſta-

tim intelligat. Etiamſi enim illud medicamentum, veluti ſaponatum & alkalicum eſt, aliquid in movendis urinis præſtare poſſit: levius tamen eſt, quam ut duros lapides comminuere poſſit. Ejus ingredientia erant ſequentia: 1) ad pulverem recipiebantur: Ovorum, & cochlearum, & naſturtii verrucarii, ad cinerem uſtorum, partes æquales; 2) ad pilulas, præter cochleas uſtas, ſemen bryoniæ, bardanæ, fraxini, arilli Cynosbati, fructus ſpinæ albæ, & ſapo cum melle, recepta fuerunt; 3) Decoctum erat: Naſturtium verrucarium, herbæ chamomillæ, foeniculi, petroſelini, apii, bardanæ, cum ſapone & melle. Nemo certe nunc eſt, qui magnam iſtis rebus fidem habere velit.

CXV.

Diſſertatio medico-chirurgica, *de Catheteriſmo,* quam Præſide HENRICO MEIBOMIO, palam tuebatur *Franc. Henr. Grubeling,* Helmſtadienſis. Helmſtadii menſe Novembris anno 1699.

Veluti efficax eſt auxilium, cathetere, ad impedimenta urinarum removenda, ſalubriter uti poſſe, ita noxium eſt, illo male uti. Eſt enim urethræ virilis, anguſtus, & tortuoſus ad veſicam aditus. Tunica eius interior rugoſa, tranſituro catheteri ſeſe facile objicit, & vi admota læditur. Eſt igitur artificis, encheireſes ſcire, quibus inſtrumentum illud recte ducatur, quod ab omni ætate, etiam apud veteres, magno in honore habitum fuit, quodque varium, & vel ſexui, vel ætatibus, vel ipſius urethræ diverſis capacitatibus, *gracilius, plenius,* ſemper tamen *flexile* eſſe debet, ex *cornu, plumbo, argento* effectum. Cum autem haud pauci ſint, qui in omni urinarum oppreſſione cathetere utendum eſſe cenſent, ne fallantur, ſcire oportet, quibus ſignis plenitudo veſicæ urinariæ indicetur; namque multi, ex impedimento lotii juxta renes ex ſeri ſanguinis, unde lotium fiat, penuria, ſat longo tempore urinas haud mittunt, quos, cum mejendi deſiderium abeſt, catheteribus vexare haud oportet. Deinde ſcire refert, quatenus ex conſenſu cum vicinis partibus, ex ſpaſmo veſicæ,

cervix

Digitized by Google

cervix & ſphincter veſicæ adſtringantur, qua in re, priori morbo obviam procedendum eſt. Hinc unctiones, clyſteres, balnea, ante tentanda ſunt, quam cathetere utaris. Difficilior omnino hujus inſtrumenti introitus eſt, quodſi calculus in urethra hæret, abſceſſusque, aut phyma, ſeu caruncula, aut inflammatio, vias urinæ occultat. In quibus omnibus, etiamſi ſub veſicæ plenitudine aliud auxilium haud ſit, caute, ſuſpenſiſque agendum eſt manibus.

CXVI.

Quæſtio medico-chirurgica, quam Præſide FRANCISCO MERY, tuebatur *Claud. Ioſeph. Gentil*, Biſuntinenſis, ſub hac verborum ſerie: An bubo venereus ſcirrhodes absque cauterio curandus? Pariſiis die 25 Nov. 1751.

Cum bubo venereus, mala medicina, vel propria ſua indole, induratus eſt, ut bona ſuppuratio ſperari nequeat, metusque ſit, ne malum in gangrænam erumpat; tunc vero audaciores medici, cauſticis, ipſiſque ferramentis ignitis utuntur, ut febrem excitent boni puris producendi gratia. Veluti autem ſcopum ſuum haud attingunt, qui hoc ita faciunt, cum gangrænam ex malis ſuccis natam excitant & augent: ita ſatius eſt illis uti medicamentis, quæ putridum ſubigunt, amaris ſcilicet, ſalſis, acidis, quibus id efficitur, ut morbidum ſecedat a ſano. Deinde ſcarificatione, & gummatibus acrioribus, ad vitam pars deſerta revocabitur.

CXVII.

Diſſertatio chirurgica, *de Fiſtula ani feliciter curanda*, quam Præſide FRIDERICO HOFFMANNO, tuebatur *Henricus Baſs*, Brema-Saxo. Halæ menſe Iulii anno 1717.

Fiſtula ani, quæ ulcus cavum eſt, dura cute inveſtitum, *cum* ex occulto abſceſſu, mala medicina corrupto, naſcitur, *tum* vario modo ſerpit. Namque vel occulta eſt, & vel anum, vel cervicem veſicæ, ſi vir eſt, transfodit; vel aperta eſt, uno quidem patente oſtio, altero autem in recti finem demerſo,

Digitized by Google

quandoque duplici foris conſpicuum eſt oſtio. Deinde ab uno oſtio plures procedunt ſinus, atque illi vel recto, vel obliquo procedunt itinere. Accedit & id, quod aliquæ fiſtulæ rectum inteſtinum, vel propiore ad ejus marginem loco, vel altius, tranſeunt. Exploranda igitur ulcerum ejusmodi ſinuoſorum via eſt ſpecillis, injectionibus, ſtercorum inſpectione: cumque ad curationem procedendum nunc eſt, triplex via ſeſe oſtendit; transjectus *ſeto*, qui ab uno oſtio ad alterum pertingat, & huc illuc ductus, callum abradat, & ulcus in vulnus vertat; *Cauſticum*, quod lino illitum, trans ſinum acu agitur; tandemque *ſectio*, cujus perficiendæ inſtrumenta & ſyringotomi deſcribuntur, & depinguntur.

CXVIII.

Quæſtio medico-chirurgica, quam Præſide LVDOV. IOAN. LE THIEULLIER, tuebatur *Olivarius Bougourd, Conſtantienſis*, ſub hac verborum ſerie: An dubio hepatis in abſceſſu, præmittenda incidendi loci perforatio? Pariſiis die 30 Martii anno 1744.

Naſcuntur abſceſſus in hepate, veluti nullum viſcus ab illis ſecurum eſt. Quodſi igitur aliquis ex illis, in hepatis ſuperficie, qua illud coſtas ſpurias ultimas hypochondrii dextri reſpicit, natus eſt; ſique ex ſignis, quæ abſceſſum maturum indicant, maxime ex fluctuante materia, adeſſe ille intelligitur: extrema tentanda omnino, & pertundendus locus eſt, ſub quo pus eſſe agnoſcitur. Cum autem in profundo malum illud ſitum ſit ita, ut ſcalpellum attingere folliculum, ſub quo pus eſt, difficulter poſſit, punctura, quæ acu triquetra fit, ſectioni præferenda eſt. Adducuntur exempla, quæ opinionem iſtam comprobant.

CXIX.

Quæ partis quintæ de Morbis Oſſium, eſt primordium.

Diſſertatio medico-chirurgica, *de Genuum ſtructura, corumque morbis*, quam Præſide LAVRENTIO HEISTERO, tuebatur

Digitized by Google

batur *Ioan. Guilielm. Widmannus*, Noribergenſis. Helmſtadii die 22 Decembr. 1744.

Genu, quo os femoris cum tibia & fibula interveniente patella uno articulo committitur, ob variorum organorum, tendinum ex muſculis, ligamentorum, cryptarum mucoſarum in ipſo articulo abſconditarum, copiam, & ob vaſorum ſub poplite procedentium magnitudinem, diverſis gravibusque morbis ſubjacet. Sunt enim ex illis aliqui, qui communes dici poſſunt, oſſium fracturæ, luxationes, omnes tamen malæ notæ, itidemque anevriſmata; ſiquidem aliquando arteria, quæ ſub poplite eſt, diſtenta, in tumorem extollitur ſanguine turgidum, cujus rei exemplum adductum eſt; tandemque ancyloſis, ſeu articuli immobilitas. Alii autem proprii ſunt, & ex ipſius poplitis ſingulari indole nati, præcipue Fungi, caro ſcilicet fatua, nullisque vitæ legibus enutrita, igitur ad necroſin propendens, & ſæpe ad cariem oſſium verſa. Omnium horum morborum auxilia ordinantur, & ſchemata eorum depinguntur.

CXX.

Diſſertatio chirurgica, *de Ancyloſi*, quam tuebatur *Wilh. Henr. Muller*, Sylv. Duc. Brabant. Lugd. Batavorum die 1 Novembris 1707.

Ancyloſin dicimus, ſi quando articulus, ſua, quam intra capſam articularem gerit, atque mediante illa mobilitatem ſervat, humiditate privatur; vel ſi tendines ac ligamenta, quæ articulum comprehendunt, eumque firmant, obrigeſcunt, atque in illorum interſtitiis malus humor, ſenſim ſpiſſeſcens ac indureſcens, denique colligitur. Hujus eventus cauſæ ſunt, jactura fluidi per decurſum annorum, quos vivere datum eſt, ſub extremæ ſenectutis confinio; deinde malus humor ex arthritide ſuperſtes, & prope articulum unum vel alterum induratus; tandemque vulnus, quo, ex cicatrice, ligamenta curtantur. Diverſum igitur quandoquidem morborum iſtorum genus eſt, alia atque alia etiam medicina utendum eſt, poſſuntque in genere utilia eſſe, quæ molliunt.

CXXI.

Digitized by Google

CXXI.

Diſſertatio chirurgica, *de pede marceſcente & indurato,* quam Præſide LAVRENTIO ROBERG, tuebatur *Alexander Ranie,* Salbergenſis. Upſaliæ d. 21 Iunii anno 1718.

Poſtquam ex eryſipelate pes extremus emacuiſſet, induratusque eſſet, & ipſa oſſa vitium accepiſſent, ut vivere ægra, niſi ablata parte vitium illud habente, non poſſe videretur, extrema tentata fuerunt, amputatusque fuit articulus. Deſcribitur chirurgice ille labor; ſed novi nihil eſt, quod circa illum occurrat, quodque ubique ſcriptum haud ſit. Singulare tamen hoc eſt, licet etiam ab aliis obſervatum, remanere amputati articuli ſenſum, ita ut, quæ hoc experimentum in ſe paſſa eſt, ſibi videatur pollicem digitosque movere poſſe, aliquando etiam imaginario circa iſtas partes amiſſas, memoria repetitas, dolore affici.

CXXII.

Diſſertatio medico-chirurgica, *de oſſibus tuberoſis,* quam Præſide LAVRENTIO ROBERG, tuebatur *Ericus Victorin,* V. Gothus. Upſaliæ die 1 Iunii anno 1717.

Cum in oſſibus leges nutritionis fuerunt abolitæ, cumque vel medulla illorum vitioſa eſt, vel perioſtium emotum fuit, vel cum vaſa ſanguifera, quæ ad os abeunt, illudque nutriunt, deſtructa fuerunt, cumque morbi alicujus virulenti vis ad oſſa verſa eſt, oriuntur tubera, quæ hyperoſtoſes dicuntur, ſuntque veluti occultus aliquis oſſium cancer, & ulcus abſconditum, ſuo tempore erupturum in phagedænam oſſium, & cariem, cum ulcere partium mollium, quæ os circumjacent. Solent aliquando eruditi Viri, ex obſervationibus circa ejusmodi oſſa vitioſa, voluptatem capere, & cimelii loco habetur, talium oſſium carie exeſorum poſſidere copiam. Non defuerunt Auctori opportunitates, ejusmodi tuberoſa oſſa colligendi, quorum ſchemata imagine explicantur.

CXXIII.

Diſſertatio medico-chirurgica, *de Vulneribus Oſſium rite curandis,*

Digitized by Google

randis, quam Præſide LAVRENTIO HEISTERO, tuebatur *Ioan. Gottlob Sturmius*, Lubena-Luſatus. Helmſtadii die 30 Maji anno 1743.

Sunt, qui oſſa vulnerari negent, quæ fracta rectius dicantur. Verum, quotidiana experientia docet, inſtrumentis ſecantibus vulnerari quoque oſſa poſſe, tubis eorum integris manentibus, aliquando tamen & præciſis, aut ablatis ictu eorundem perioſteis. Veluti igitur generalis aliqua omnium vulnerum idea eſt, & curatio conveniens; ita comparatione inter vulnus mollium & durarum partium inſtituta, quid de vulnere oſſium ſtatuendum ſit, explicatur.

En Lector ſchema nobiliſſimi operis, quo *Illuſtris Auctor* gratiam apud illos haud levem iniit, qui totius artis ambitum ſub aliquo compendio legere geſtiunt.

IOH. BENED. CARPZOVII, S. TH. D. EIUSdemque P. P. O. Græcarum item litterarum P. O. in Acad. Helmſtadienſi, Sacræ Exercitationes in S. Paulli Epiſtolam ad Hebræos, ex Philone Alexandrino. Præfixa ſunt Philoniana etc.

Helmſtadii in officina Weygandiana 1750. Alphab. 2. pl. 9. in 8.

In iis libris, quorum uſus atque diligens uſurpatio haud parum adjumenti ad intelligendum N. T. adferre exiſtimatur, merito ponendus eſt primo loco, hic, quem lectoribus noſtris commendamus, Carpzovii S. V. Commentarius. Etenim ut non dicamus, eum varia multiplicique doctrina refertum eſſe, quod non adeo mirandum eſt, propter nominis Carpzoviani celebritatem non hujus ſolum, ſed omnium qui in hac gente claruerunt: ut itaque prætermittamus id, quod ad commendationem harum exercitationum afferre opus non eſt, in tanta omnium exiſtimatione de Carpzovii gentilitio quaſi ingenio, magnoque, earum litterarum, quibus ſcientia theologica maxime continetur, ſtudio; in eo præcipue omnium, qui ſimilem in explicandis libris N. T. operam poſuerunt, ſuperare induſtriam videtur, quod ex Philone potiſſimum

mum interpretandi rationem petere, adeoque hunc cum Paullo componere inſtituit. Atque eſt omnino, quod miretur Vir S. R. qui evenerit, ut nemo ex iis, qui ex Scriptoribus externis libros N. T. illuſtrarunt, ſimile quid tentaret ex Philonis operibus, qui ſcribendi genere utitur maxime accommodato ei, quod familiare eſt ſcriptoribus ſacris, atque etiam rerum, quas tractat, gravitate, propius accedit ad horum majeſtatem ex rerum ſublimitate oriundam. Sed ſcilicet boni iſti viri, quomodo potuiſſent in interpretando N. T. Philonis uti opera, quem conſtat a pauciſſimis legi, quanquam, ut recte præcipit Carpzovius, omnes eum legere debebant, qui Novi Foederis libros interpretantur. Atque fuerunt quidem, quod non omnino negari poteſt, qui lecta a ſe Philonis ſpecimina quædam ederent, in quibus a Viro doctiſſimo numerantur, *Pricaeus*, *Grotius*, *Alberti*, *Mangaeus*, *Weſſelingius*. Sed his omnibus fortaſſe ea laus debetur, ut judicentur intellexiſſe, quam utilis futura ſit, neque fructu caritura, ejusmodi comparatio; ut majus aliquod iis tribuamus, Carpzovii in hoc genere eximia diligentia non permittit, qui primus hanc provinciam ſibi ſumſit, vel potius ſibi, tanquam qui eam optime tueri poſſet, delatam recepit, atque inprimis epiſtolam Paulli ad Hebræos delegit, quam ex Philone interpretaretur, quoniam forma atque genus dicendi huic proprium, cum illa maxime conveniret, adeo ut extiterint, qui lectum fuiſſe a Paullo eum ſcriptorem affirmarent. Neque vero unice ex eo exercitationum ſuarum materiem petiit, quin etiam Patres, Viros Apoſtolicos, atque Eccleſiaſticos conſuluit, multaque ex iis attulit, quibus facilior planiorque hujus Paullinæ epiſtolæ lectio redderetur.

Ad hanc vero eo, quem diximus, modo explicandam priusquam accedit V. D. placuit ei quædam præfari, ſuper Philone inprimis, atque ſcribendi generis, quo ille uſus fuit, cum Paullino in epiſtola ad Hebræos convenientia, aliisque, quæ quaſi adnexa atque adjuncta eſſent huic argumento. Atque his Prolegomenis, quæ a potiori parte inſcribuntur *Philoniana*, viam ſibi aperire valuit ad ipſas exercitationes propoſitas

poſitas, omninoque efficere, ut nemo in iis quæ deinceps di-ςturus erat hæreret. Ea autem diſputatio ſeptem libris comprehenditur, qui rurſus in capita ſua diſtinguuntur, ſeparati præterea, ab ipſo Commentario, alio litterarum charaςtere, diverſiſque paginarum numeris.

Ei, qui Philonem cum fruςtu legere, ejusque libros ad interpretandum N. T. adhibere velit, ante omnia hoc agendum eſt, ut huic ſcriptori neque ingenium neque doςtrinam defuiſſe planum faciat, contra eos, qui putant eum litterarum hebraicarum plane inſcium fuiſſe, ſine quarum tamen intelligentia nemo doςtus haberi poteſt. Atque ſic conſtat, hanc de Philone perſuaſionem plurimis fuiſſe, qui forte in eam ſententiam adduςti fuerunt, Hieronymi de Philone judicium ſecuti, ut erat vir ille hebraice inprimis doςtus. Itaque primo Carpzovius S. V. id agit, ut ab hoc tanto crimine liberet Philonem, & quoniam accuſationis hujus fundamentum Hieronymus poſuit hoc, ut diceret, diſcrimen inter Hebraicam Chaldaicamque linguam Philonem ignoraſſe, *libro primo* Auςtor doςtiſſimus contrarium edocet, atque hanc quæſtionem *tribus capitibus* abſolvit. In priori univerſe quædam, ſuper diverſa nominis Hebræorum atque Iudæorum ratione, monet, atque contra Salmaſium ex Philone evincit, illud de *religione*, hoc de *gente* atque *natione* uſurpatum fuiſſe, quanquam non neget, prius primariam gentis appellationem fuiſſe, antequam Iudæorum vocabulum reciperetur. Atque hoc ipſi accidiſſe videtur poſt abduςtionem decem tribuum in captivitatem, non vero, ut Mangæus ad locum quendam Philonis exiſtimat, in ſeparatione tribuum ſub Roboamo faςta. His poſitis, nunc deinceps capite ſecundo oſtendit exemplis luculentis, Philonem linguam Hebraicam promiſcue Chaldaicam, (minime vero hic eam Chaldaicam intelligi vult, quæ proprie Aramæa dicitur,) Hebræos Chaldæos nominare, & vice verſa: ex quo tamen, addit, non ſequi id, quod Hieronymus (ad Dan. cap. 1.) affirmat, nimirum Philonem exiſtimaſſe, Hebræorum linguam eſſe ipſam Chaldaicam, h. e. Aramæam; cum in multis aliis locis haud obſcure inter Hebraicum atque

Pag. III - X.

XI - XIV.

Digitized by Google

Chaldaicum diſcrimen ſtatuat, ut quando χαλδαϊκὴν ἐπιστήμην ὀνειρατικὴν commemorat, eamque ſtultam & prodigioſam vocat, quam ἑβραϊκὴν vocare non potuiſſet, & quæ ſunt reliqua hujus generis. Neque vero adeo obſcuræ cuidam eſſe poſſunt cauſæ, quæ moverint Philonem, ut aliquando Hebraicum pro Chaldaico, hoc pro illo uſurparet: quas ſi animadvertiſſet Hieronymus, nihil tale affirmaſſet. Eas cauſas capite tertio V. D. copioſe exponit. Ac primariam quidem in eo quærendam eſſe putat, quod in Chaldæa atque Babylonia, lingua Hebraica magnam mutationem experta ſit, multis verbis Chaldaicis intermixtis; quod quidem eam vim habet, ut haud male Hebraica Iudæorum lingua nomen Chaldaicæ adipiſci potuerit, adeoque etiam a Philone utraque promiſcue uſurpari. Præterea convenientia utriusque ſermonis tanta eſt, ut inde quoque ratio hujus Philoneæ conſuetudinis deduci queat; quanquam hoc tunc magis valeret, ſi pro Chaldaico Hebraicum poſuiſſet Philo, non æque contra. Nam ſic conſtat, linguam primariam, ex qua aliæ derivatæ fuerunt, tanquam matrem reliquarum aliquando nominari, quando una ex dialectis intelligenda erat, haud facile vero dialectus nominatur, cum de matre ſermo eſt. Neque ſatis valida videtur ratio hujus rei, quam quintam facit V. D. quamque ex conſuetudine Ioſephi petiit, qui Chaldæos eadem, qua Hebræos, ſtirpe genitos fuiſſe exiſtimat, adeo ut dicat, libro adverſus Apionem I, ſe omiſſurum eſſe in cauſa Iudæorum, quam eo loco defendit, *teſtimonia ſcriptorum Chaldaeorum*, quia eſſent τοῦ γένους Ἰουδαίων ἀρχηγοὶ καὶ συγγενεῖς. Auctoritate enim Ioſephi uti poſſemus quidem tunc, ſi in univerſum cauſa afferenda eſſet, promiſcue uſurpati a pluribus nominis Hebraici atque Chaldaici. Cum vero hic de Philone quæſtio agatur, hujus potiſſimum teſtimonium in hac re proferendum erat. Magis itaque placet cauſa, quam ſecundo loco poſitam reperimus, eam ipſam quoque ex Philone luculenter probatam, qui Abrahamum, patrem Hebrææ gentis, ortu Chaldæum fuiſſe, recte affirmat, unde ſuſpicio haud inanis oritur, eum propterea etiam Hebraicum ſæpius pro Chaldaico,

Pag. XV-XXI.

&

& contra, poſuiſſe. Ex quibus omnibus recte efficitur contra Hieronymum, diſcrimen inter Hebraicam Chaldaicamque linguam non ignoraſſe Philonem. Atque hoc quaſi fundamento labefactato, pergit Vir doct. *libro ſecundo*, quam eo niti atque ſuperſtructam eſſe diximus opinionem, quaſi litterarum Hebraicarum plane rudis fuerit Philo, evertere, atque Philonis in hac re exiſtimationi conſulere.

Ii, qui de eruditione Philonis Hebraica parum honorifice ſentiunt, quorum magna turba a Carpzovio adducitur, agmen claudente ipſo Mangæo, nupero Philonis editore, ad etymologias & allegorias ejus confugiunt, quas ſatis luculenter ejus in litteris Hebraicis ignorantiam demonſtrare clamant. Atque hic non negat Carpzovius, allegoriarum valde ſtudioſum fuiſſe Philonem, eumque hanc interpretandi temeritatem introduxiſſe, Photii teſtimonio probat. Sed ſi quis doctiſſimo viro propterea linguæ Hebraicæ inſcitiam exprobrare velit, is Carpzovio nimis invidioſe agere videtur, cum nemo de Origenis aut Hieronymi hebraica litteratura unquam dubitare auſus fuerit, quamvis uterque, atque inprimis Origenes, in captandis allegoriis plus aliquando ſibi indulgere reperiatur, quam ipſe Philo. Et quomodo hic dici poſſit ignarus linguæ hebraicæ, cujus liber de Hebraicis nominibus ab Euſebio aliisque laudatur, quo uſus fuiſſe etiam Heſychius videtur Martianæo, male propterea a Weſſelingio notato, ut Carpzovius oſtendit. Atque hic liber, niſi Hieronymi culpa periiſſet, clariora fortaſſe indicia doctrinæ Philonis nobis ſuppeditaturus erat. Sed ſi vel maxime in utramque partem, quod ipſe Carpzovius fatendum eſſe putat, nihil inde effici poſſet, tamen neque illud, allegoriarum contra ingenium linguæ Hebraicæ ut plurimum efficta rum, ſtudium, quod de induſtria aliquando ſectati ſunt, imperitiam linguæ arguit, ut recte vidiſſe exiſtimantur ab auctore, laudati propterea, *Fabricius, Reimarus, Bianconius.* Atque hæc tandem Philonis defenſio magis probabilis redditur ea diſputatione, quæ capite tertio proponitur. Etenim hic, ne quis opponere poſſet, Philonem ad ſtuporem usque adhæſiſſe Græcæ V. T. verſioni, quod manifeſto

(Pag. XXII-XXVIII. — XXVIII-XXXIV. — XXXIV-XXXVIII.)

niſeſto indicio ſit, eum hebraica non intellexiſſe, tres locos profert V. S. R. in quibus transferendis *κατὰ πόδα* ſequitur Philo textum Hebraicum, non græcam verſionem, quæ hic differre ab originibus deprehenditur. *Hodii* præterea teſtimonio confirmat, nominatim *librum Iudicum* ab eo Hebraice lectum fuiſſe, qui tamen, ſecundum ipſum Philonem, tunc non minus græce editus extiterit, quam reliqui libri V. T.
P. XXXIX-LII. quod contra Hodium monetur. Tandem id, quod in quæſtione eſt, omnino efficit in reliquis duobus capitibus, ex etymologiis Philonis, in quibus multæ reperiantur nominum expoſitiones eleganter ab eo redditæ, v. g. quando נוח per *ἀνάπαυσιν*, פסח per *διάβασιν*, nomen *Abrami* per *πατέρα μετέωρον* interpretatur, & id genus alia plura. Atque hæc Viri docti de eruditione Philonis hebraica diſputationis ſumma eſt, quam nunc proxime ſequitur de inſcriptione epiſtolæ ad
LIII-LXI. Hebræos diſquiſitio, quæ *libro tertio* continetur. Eam vero a Paullo ipſo derivandam eſſe, neque poſt de conſenſu eccleſiæ additam, inprimis fide Græcorum Codd. omnium, atque Verſionum, probat, omnino que ex ſubſcriptione, ubi *Ebraeorum* nomen rurſus occurrit, confirmat. Illi Hebræi quinam fuerint, maxime ex Cap. II, 3. V, 12. VI, 1. &c. probatum dedit, nimirum eos hoc nomine venire, qui relictis cerimoniis Iudaicis, Chriſtianam religionem ſequerentur. Hos Apoſtolum, ad ſervandam in profeſſione religionis conſtantiam adhortari, ut adeo tota hæc epiſtola vere ſit *λόγος τῆς παρακλήσεως πρὸς τὴν ὁμολογίαν*, Paullo ipſo hoc indicante com. 22. capitis XIII. His, atque paucis aliis, de Chriſtianorum cognomento & nominibus variis expoſitis, quæſtio illa de Auctore epiſtolæ ad Hebræos examinatur, quæ iam Origenis tempore tantam diſputandi materiem præbuit, ut ille eruditiſſimus Vir, cum eandem ſibi tractandam ſumſiſſet, non tamen auſus fuerit aliquid certi ſtatuere, in extremo orationis ſuæ libere profeſſus: *τὸ μὲν ἀληθὲς θεὸς οἶδα*. Poterat itaque cuidam nimis confidenter pronuntiata videri ſententia Carpzovii, quam ab initio ſtatim *libri quarti*, qui totus huic examini deſtinatus eſt, his verbis proponit: *Divum Paullum*

Apo-

Digitized by Google

Apoſtolum haud cunctanter epiſtolae ad Hebraeos auctorem nominamus. Sed enim facile veniam huius ſuæ perſuaſionis impetrabit ab iis, qui cogitent, argumentis Virum doctiſſimum non deſtitui, pondere atque gravitate ſuperantibus Origenis in tractanda hac quæſtione tenuitatem. Ac primo quidem nobiliſſimus conſenſus antiquitatis, Patrum græcorum atque latinorum, Conciliorumque teſtimonia, Paullum Auctorem huius epiſtolæ efficiunt: quibus indiciis externis interni characteres plurimi ſuperaddi poſſunt. In his primo numeratur a Carpzovio, eruditio Paulli, in variis epiſtolæ huius locis conſpicua, tum eloquentia ſumma, cuius illuſtria quædam exempla ex capite decimo, undecimo, atque duodecimo profert, & hos locos cum 2 ad Cor. capite VI. inde a commate quarto ad decimum conferre iubet: porro allegoriæ frequentiſſimæ, quarum uſum in ſcholis Iudæorum didicerat Paullus, elegantiam earum exercitatione maximam aſſecutus. Atque præterea modus ſcripturam ſacram citandi, Paullo proprius, hic adducitur, qui cum inveniatur in hac epiſtola non minus quam in reliquis idem eſſe, dubium non eſt Viro Celeb. quin huic quoque argumento aliquid ſaltem in hac re tribuendum ſit, quanquam ipſe non adeo urgendum cenſeat, cum adſint alia luculentiora Paullinæ ſcriptionis documenta, quibus quinto loco adponit, ſimilitudinem loquutionum in hac aliisque epiſtolis Paulli obviarum. Atque hic uberiorem collationem locorum quorundam inſtituit, contra Grotium inprimis diſputans, cuius inſignem admirandam eſſe ait temeritatem, qui, ut Lucam huius epiſtolæ auctorem faceret, nuſpiam in ea loquutionis Paullinæ veſtigium apparere affirmat. Satis quidem pro imperio, ſi Carpzovio credimus, (debemus ſane,) qui aperta locorum ſimilium comparatione contrarium edocet. Sed ipſe quoque, (nam & hoc argumentum Vir S. R. ad cauſæ ſuæ præſidium affert,) ordo, locum aliquem doctrinæ Chriſtianæ tractandi, quem Paullus alibi conſtanter tenet, in hac tota epiſtola apparet. A deſcriptione rei, ad exhortationem pietatis progreditur hic non minus, quam in ea quam ad Romanos atque Galatas dedit epiſtola. Quibus omnibus tandem

Pag. LXII-LXVII.

LXVIII-LXXIII. ſeqq.

dem accedit parallelifmus plane egregius loci Hebr. XII, 25-29. cum 2 Petr. III, 10-15. qui ſi recte ſe habere viris doctis deprehendatur, ſpes eſt A. celeb. ut omnis hæc cauſſa ἀποδεικτικῶς abſolvatur, & Paullus communi omnium conſenſu auctor huius epiſtolæ conſtituatur. Sed quoniam ſemel hanc quæſtionem attigerat induſtria Viri Cel. aliam huic valde adnexam non ſine examine dimittendam putabat. Itaque *libro quinto* Prolegomenorum de lingua, qua epiſtola ad Hebræos
Pag.LXXX- ſcripta fuit, diſputat. Græce ab ipſo Paullo eam editam fuiſſe,
LXXXV. probat primum ex Clementis Alexandrini contemnenda auctoritate, qua contrariæ opinionis fautores nitantur, cum is ponat tantum fieri potuiſſe id, quod mox alii factum eſſe putarunt. Idem deinde demonſtrat argumento hiſtorico, cuius ratio hæc eſt, ut dicat probabile non eſſe, hebraice ſcriptam ab origine extitiſſe hanc epiſtolam, cum in omni antiquitate exemplar hebraicum nemo unquam viderit. Poſtremo utitur argumento in hanc rem ab ingenio eorum deſumto, quibus ſcribebatur hæc epiſtola. Etenim, cur tandem hebraice ſcripſiſſet Apoſtolus iis, quorum pars tantum hebraica intelligebat, cum contra omnes Græce ſcirent, nemo hanc linguam, quæ tunc Hieroſolymis communis erat, ignoraret. Hæc ſufficere V.C. videntur ad demonſtrandum, originalem linguam huius epiſtolæ græcam fuiſſe, quanquam plura ab aliis adhiberi ſoleant argumenta, de quibus quid ſentiendum ſit paucis
LXXXVI- oſtendit. Primo, paronomaſiæ aliquando in hac epiſtola uſur-
XC. patæ, non ſatis probant eam græce ſcriptam eſſe primitus, quoniam eaedem ab interprete afferri potuerunt. Multo minus id arguit vocis διαθήκη ambigua ſignificatio. Potuiſſet enim Apoſtolus, ſi hebraice ſcripſiſſet, quamvis vel maxime vocabulum ברית *foederis* tantum notionem habeat *teſtamenti*, tamen mentionem alio quodam vocabulo facere, v. g. per דבר, quod οἱ ὁ per διαθήκην transtulerunt Deut. VIIII, 5. Sed his longiori recenſendis oratione facile ſuperſedere poſſumus, cum iis refutandis ipſe V. Cel. pauca tantum oppoſuerit. Non minore fructu atque ſuavitate ſe commendant ea, quæ *libro ſexto* proponuntur, quorum nunc quoque rationem

Digitized by Google

tionem declarabimus. In univerſum, magna ſtylo Paullino in Pag. XCI-
hac epiſtola, præ eo qui reliquis communis eſt, elegantia tri- XCV.
buitur, ob pauciores Hebraismos, elegantiorem uſum particularum, poſitum verborum valde venuſtum, atque id genus alia. Eius rei ratio quæ ſit, non obſcurum eſt. Apoſtolus, cum Alexandrinis potiſſimum Iudæis ſcriberet, qui græce peritiſſimi erant, ad eorum ſermonem & elegantiam propius accedere ſtudebat; ut vel inde epiſtolam ſuam commendaret. Quare mirum non eſt, eius ſcribendi genus cum Alexandrinis ſcriptoribus, nominatim cum Philone, valde convenire; etſi certum ſit, hunc a Paullo minime lectum eſſe, quod quoniam fuerunt qui affirmarent, ut Grotius, Clericus, & ipſe Mangæus, pauca contra hanc ſententiam a Carpzovio adducuntur. Si aliquan- XCVI-CL
do phraſibus ſimillimis Philoneis utitur Paullus, non ſtatim eum legiſſe exiſtimandus eſt, cum hæc ſimilitudo potius tribuenda ſit rerum nonnullarum in utroque convenientiæ, atque fieri poſſit, ut duo ſcriptores eandem rem iisdem fere verbis commemorent, quorum neuter tamen alterum legerit. Deinde non apparet, quinam adeo ii libri Philonis ſint, quos legiſſe putandus ſit Paullus. Nam certum quidem eſt hoc, in iis plurimos parum aut nihil omnino continere, quod propoſito Apoſtoli inſervire potuerit. Et ſi tandem poneremus, legiſſe Paullum Philonem, quid inde? Scilicet, inde hoc conſecutus eſt, ut eum tam accurate potuerit imitari? Enimvero, qui hoc ſibi perſuadere poteſt, is Ciceronem aliquando adeat, eum bis vel ter legat, atque tunc experiatur, an Ciceronem ſic referre poſſit, ut pateat eum a ſe lectum fuiſſe. Itaque certum manet hoc, elegantem epiſtolæ ad Hebræos ſcriptionem, Paullum minime lectioni Philonis, quin potius diuturnæ conſuetudini debere, quam cum Alexandrinis Iudæis habuit. Quod hoc maiori veritatis ſpecie V. Cel. dicit, quo maior eſſe ſolet perpetuæ conſuetudinis vis in linguis ediſcendis, elegantiisque alicuius in dicendo aſſumendis, præ lectione vel maxime aſſidua atque diligente. Quin etiam recte ſe habent, quæ addit, CII. ſeq.
neque opus adeo fuiſſe Alexandrinorum Iudæorum ad eleganter ſcribendum viva inſtitutione Apoſtolo, qui dono lingua-

L rum

rum a Sp. Sancto largiter inſtructus, ipſum quoque verborum ornatum ab eo accepiſſe cenſendus ſit. Reſtat liber ſeptimus Prolegomenorum, de λόγῳ Philonis, diverſo a Iohanneo, agens; a quo, cum iam olim ſigillatim editus, eaque omnia, quæ hic leguntur, in libello academico propoſita fuerint, ſtatim ad ipſam exercitationum enarrationem orationem proferemus. Atque in his quid præſtiterit V. Cel. quoniam nimis operoſum eſſet ſingula percurrere capita, atque omnino difficiliores locos, paucorum tantum exemplorum fide docebimus.

Pag. 17. Cap. I, 3. verba ὃς ὢν ἀπαύγασμα κ. τ. λ. ſic transferuntur: *Filius abſoluta imago gloriae Patris, & perfecta ſimilitudo eſſentiae eius eſt.* Sive, quod idem eſt, *Filius, eſſentia & gloria, idem eſt qui pater Deus.* Ἀπαύγασμα, itaque ipſi eſt *exemplar plane expreſſum:* χαρακτὴρ vero ὁμοίωσις κατ᾽ οὐσίαν. Huius utriusque ſignificationis exempla ex Philone plura proferuntur, Heumannus quoque reprehenditur, qui vertit ἀπαύγασμα τῆς δόξης, *der Ausglantz ſeiner Herrlichkeit,* quod vocabulum Weigelio atque Boehmio

44. familiare eſſe ſoleat. In eodem capite, quod com. 10. occurrit κατ᾽ ἀρχάς, bene græcum eſſe, ex Philone oſtendit, qui ſæpius tamen pro illo habeat ἐν ἀρχῇ ἐπ᾽ ἀρχήν, aut nude ἀρ-

49. χήν. Com. 12. verbum ἑλίσσειν, quod proprie ſignificat *complicare*, retinendum cenſet, quoniam veriſimilius ſit, librarios hoc verbum, tanquam minus frequens, in ἀλλάξεις mutaſſe, propter ſequens etiam ἀλλαγήσονται, quam hoc in illud. Itaque valde probat Heumanni verſionem, *und wie einen Mantel wirſt du ſie zuſammen wickeln.*

60-65. Cap. II, 1. παραῤῥυῶμεν cum Heſychio interpretatur per ἐξολισθῶμεν, *elabamur*, neque hic Lamb. Boſium vim vocis intellexiſſe putat, qui explicet per *praeterfluere.* Sumta ipſi metaphora in hoc loco videtur ab ὀργάνῳ ὑδρηλῷ, quo utebantur veteres ad tempora deſignanda, quæ ad dicendum a iudice dabantur, quo ſenſu Philo verbis διαῤῥυεῖν, ἀποῤῥυεῖν, utatur, illud prius de aquaria quadam machina ab Archimede excogitata adhibens, libro de confuſ. linguarum p. 325. D. (ſecundum edit. Pariſienſem anni 1640. qua per integrum librum

uſus

Digitized by Google

uſus eſt). Totum itaque verſum ſic παραφράζει V. Cel.
Quae cum ita ſint, quia tanta eſt I. C. dignitas, & præ ipſis An-
gelis *ἐξοχή, iuris & debiti noſtri eſt,* magnam illius apud nos
auctoritatem conſtituere, &, quæ nobis ab eo ſunt tradita, *cu-
rate audire, ac ſollicite conſervare, ne tempus effluere ſinamus, at-
que ne divina gratia excidamus.* Eiusdem capitis com. 6. ad Pag. 79.
verba, διεμαρτύρατο δέ που τὶς, λέγων, obſervat, hanc alle-
gandi ſacrum codicem & alios ſcriptores formulam ſæpe oc-
currere apud Philonem, & quemadmodum hic, licet vage ali-
quando dicat τὶς, non propterea ignoraſſe auctores cenſendus
eſt: ſic valde aberrare Grotium, qui Apoſtolum propterea
tam vage citaſſe τινα exiſtimat, quia Pſalmorum Scriptor ſæpe
ignoraretur. Eadem ratione illud καὶ πάλιν, quod commate 104.
decimo tertio iterata vice legitur, ex Philone illuſtrat, qui inter
duo, quæ ſe in S. Codice excipiunt, commata, ſimiliter καὶ
πάλιν interiicit, idque alibi interpretatur per καὶ εὐθὺς λέ-
γει, εἶτ' ἐπιλέγει, aut εἶτ' ἐπιφέρει: ut itaque illud in hoc
commate repetitum, καὶ πάλιν, male a multis interpretibus
ſic acceptum fuerit, quaſi non ex Ieſaia, quemadmodum pro-
xime antecedens locus, ſed ex Pſ. XVIII, 3. ab Apoſtolo ad-
ducta fuerint, quanquam iisdem verbis apud Ieſaiam repe-
riantur.

Cap. VII, 22. vocabulum ἔγγυος ex Philone explicatur per 338.
ſponſorem, fideiuſſorem, διαθήκη hic *foedus,* quemadmodum
capite ſequente *teſtamentum,* denotat, quanquam apud Philo-
nem huius poſterioris ſignificationis nullum exemplum repe-
riatur. Senſum autem huius totius commatis hunc conſtituit
V. Cel. *Et quatenus iusiurandum adeo accedit, eatenus foedus
a Pontifice Ieſu ſancitum ac promiſſum eſt excellentius: eatenus
ipſe ſponſor ac mediator Ieſus* ὑψηλότερος *eſt ſponſoribus ac me-
diatoribus V. T.*

Cap. XI, 1. vocabula ὑπόστασις atque ἔλεγχος ex Phi- 494.
lone egregie explicat, illud per *exiſtentiam, eſſentiam,* hoc
per *demonſtratam, certamque rei cognitionem:* atque ſic ſenſus hic
foret, *Fides eſt eorum quae futura ſperamus propoſita in an-
teceſſum quaſi praeſentia atque certitudo: eſt rerum, quae oculis*

 cer-

Digitized by Google

cernuntur nullis, cognitio demonſtrata ac longe veriſſima. Placet tamen magis altera illa vocis ὑποςάσεως ſignificatio, vulgo recepta, qua fides hic *fundamentum* rerum ſperandarum dici exiſtimatur. Nam ὑφίςημι ſcriptoribus græcis utplurimum eſt *ſupponere, ſubſtituere*, neque adeo videmus, quid nos cogat, ut cum V. Cel. communem atque auctoritatibus græcorum confirmatam ſignificationem relinquamus. Sed ſatis habemus, hæc ſpeciminis loco ex multis longe doctiſſimis interpretationibus V. Cel. attuliſſe. Atque vel ex his, intelligens lector, facile ad reliqua iudicium facere poterit. Nobis ſane hic Commentarius, quemadmodum ab initio diximus, pluribus de cauſis commendandus videtur, inprimis iis, qui grammatice interpretari neſciunt, & in linguis mirifice philoſophantur. His ſi adire placuerit Carpzovium, eos docebit, ut hoc utamur, quid ſibi velit Apoſtolus per illud ἔπρεπε γὰρ Θεῷ, ex Philone, atque omnino uſu linguæ græcæ, non argumentis ſubtiliter excogitatis atque ratiunculis, quas certum eſt, Paullo, dum hæc ſcriberet, non in mentem veniſſe. Neque minorem ex interpretandi ratione, quam ſecutus eſt Carpzovius, fructum capient ii ipſi, qui ab iſta recentiori philoſophia hermenevtica longe abſunt, quando vanas atque ridiculas emphaſes, in compoſitis quæſitas, exploſas, veram contra vim particularum atque præpoſitionum explicatam legent: quæ res aliquando tam ſubtilis eſt, ut vel acutiſſimum interpretem fugiat, vel ab aliis tanquam minutum quid negligatur, etſi in minimis hiſce aliquando maxima vis interpretationis lateat. Ut itaque hic idem in Carpzovio admirati ſimus, quod in Erneſtio noſtro toties admiramur, quoties eum locum quendam ex N. T. interpretantem legimus. Et quemadmodum huius ſcripta omnia magno cum deſiderio ab hominibus doctis expectari ſcimus, ita dubium non eſt, quin itidem omnes nobiſcum optaturi ſint, ut S. V. Carpzovius, promiſſi ſui memor, ea, quæ in varia N. T. loca ex Philone collegit, quam primum fieri poſſit, iuris publici faciat.

III.

Digitized by Google

HISTOIRE CIVILE, ECCLESIASTIQUE, ET litteraire de la Ville de Niſmes,

h. e.

DE URBE NEMAUSO HISTORIA CIVIlis, eccleſiaſtica, & litteraria, cum adnotationibus & probationibus atque diſſertationibus hiſtoricis aeque ac criticis, de eius antiquitatibus, variisque in hiſtoriam eiusdem naturalem obſervationibus, Auctore M. MENARDO, conſiliario iudicii præſidialis ibidem, ſodale adſcripto academiæ regiæ inſcriptionum ac humaniorum litterarum. TOMVS II.

Pariſiis, apud Hugonem Danielem Chaubert & Claudium Heriſſant. Cum adprobatione & privilegio Regis. 1751. 4 Alph. in 4.

Complectitur hic Tomus annos 65. exorſus ab anno 1313. & deſinens cum fine anni 1377. Copia monumentorum & actorum, eorumque prorſus ineditorum ac manuſcriptorum, in cauſſa eſt, cur Volumen hoc ita excreverit, quamvis ab eo, quæ momentum haud trahunt, fuerint ſeiuncta. Coeperunt ſeculo XIV recenſiones partium, quas tenuerunt ex beneficio *vaſalli*, ſcripto conſignari, ut inde æſtimari poſſet magnitudo argenti feudalis, domino *directo* perſolvendi. Exactiones reliquæ pecuniariæ ſubditis impoſitæ fuerunt, ratione *focorum* ſeu domuum ſingularium habita. Reges deſignarunt viros, quibus cura huius negotii conſtituendi fuit demandata. In chartis illius temporis dominatur corrupta latinitas, cui intelligendæ Auctor gloſſarium adornavit, huic Tomo ſubiunctum. In *Gloſſario Cangii* ſæpius ea vocabula deſiderantur, quæ Auctori viſum fuit non ſine labore interpretari. Provinciis ſingulis propriæ fuerunt formulæ dictionis, & propria quoque multa vocabula, quibus colligendis vix centum Galliæ philologi ſuffecerint. Monumenta pleraque, ab Auctore in lucem protracta, ad hiſtoriam regni Galliarum conferunt adiumenti non

 parum.

Digitized by Google

parum. Et quis ad eam illuſtrandam facere negaverit expoſitiones de armis & armaturis Gallorum, de ipſorum modis muniendi caſtella ac urbes, de numorum pretiis, de rerum vendibilium æſtimatione, de veſtitu, de moribus ac conſuetudine? P. Berthier Auctori in *Ephemeridibus Trevultienſibus* 1750. m. Iul. quasdam obiectiones, ad Tomum I. referendas oppoſuit. Suo igitur tempore edere Noſter conſtituit ſupplementorum nonnihil, & emendationum, ſoli litaturus veritati, ſoli humanitati. Iudicem regium adſtrictum fuiſſe ad iusiurandum per conſules urbis Nemauſi, ac promiſiſſe coram his, ſe partes muneris ſui eſſe expleturum, memoratu haud eſt indignum. Inſtitutum fuit xenodochium, quo pauperes ægroti fuerunt recepti, ex teſtamento 1313. Domus ipſa in hunc diem ſuperat. Philippus Pulcher Seneſchallatum Belloquartenſem (Beaucaire) & Nemauſenſem, unum antea, a. 1313. in Nemauſenſem ac Lugdunenſem, dividere inſtituit; loca, utrique
Pag. 4. ſubiecta, Auctor indicat. Diviſio hæc vel effectui haud fuit data, vel exiguo temporis ſpatio perſtitit. Seneſchalli fuit convocare nobiles provinciæ, ut bello a Rege gerendo ſe accingerent, ac locis definitis convenirent. Rex, ut equitatum nobilium augeret, ac Comitem Flandriæ coerceret, Pentecoſte ipſa centum equites creavit. Auguſto menſe Rex cum Flandro reparavit pacem, Atrebati. Ne aurum argentumque in vaſa converteretur, vel extra fines regni deportaretur, Rex Philippus cavit edictis ſeverioribus. Abbati S. Ægidii ceſſit tertia redituum, a Iudæis ſolvendorum, intra Abbatis dioeceſin. Mercatores Italici merces ſuas pleraſque Montembellicardum advexere: ſed iuſſi a Rege ſunt, eas & Nemauſi venum exponere. Ludovicus Rex, ſucceſſor Philippi, numarias ſanxit conſtitutiones, regno utiliſſimas, a. 1315. ac obiit 1316. ſine herede, relicta uxore gravida, cui Clementiæ erat nomen. Comiti igitur Pictavienſi demandata traditaque fuit regni adminiſtratio, donec Clementia foetum edidiſſet. Hæc peperit ad 15 Nov. Iohannem, ſed nonniſi dies octo ſuperſtitem. Philippus igitur Longus, ex Prorege factus Rex, isque ſapientiſſimus, qui commerciis amplificandis multum

curæ

Digitized by Google

curæ tribuit. Iudæi uſuris immodicis oneraverant & conſumſerant Provinciæ ac Languedociæ incolas. Iuſſit itaque Rex, ut intra cancellos legum manerent, ac ob prævaricationes admiſſas punirentur ita, ut reſtituerent pecunias, quas ultra modum prædefinitum extorſerant miſeris. Falluntur itaque illi, qui Seculo XIII. Iudæos omnes e Galliis fuiſſe eiectos, memoriæ nuper prodiderunt. Conſtat, Iudæos a. 1319. Lunellæ, die Veneris ſacratiſſimo ante Paſcha, crucem ligneam per plateas geſtaſſe, per coenum traxiſſe, ac tandem, ut illuderent Chriſtianis, confregiſſe. Homi Pag. 23.
nes de eccleſia, feudis, hoc Rege, ampliſſimis potiti ſunt, neglectis legibus regiis, & pecuniis inde pendendis. Iuſſit Rex in eam rem inquiri, ac feuda in integrum reſtitui, anno 1320. Multitudo paſtorum & agreſtium utriusque ſexus, vexillum crucis præferri ſolitum ſecuta, inundavit Languedociam, perhibens, ſe ire recuperatum terram ſanctam. Sed alia omnia patrarunt. Spoliarunt ditiores, ac regioni admodum fuerunt graves, dicti *paſtoureaux*. Seneſchallus Carcaſſonnenſis eos invaſit tandem armis, ac diſſipavit. Ad templum Abbatiæ S. Ægidii, & illud quod erat Mariæ Deiparæ in loco *Vauvert* ſacratum, peregrinationes religioſæ augeſcebant in dies. Epiſcopo Nemauſenſi, Benardo IV. a. 1327. Ioannes XXII. indulſit licentiam, de bonis ſuis per teſtamentum pro lubitu ſtatuendi. Leproſorum lues Galliam vehementer afflixit. Leproſi, contagioni vitandæ, extra urbem hoſpitio excepti ſunt. Philippus Valeſius, Rex, ut ſeſe voto liberaret, peregrinationem religioſam Maſſiliam ſuſcepit. Votum id nuncupaverat S. Ludovico, Epiſcopo Toloſenſi. Redux ex itinere, inviſit a. 1330. Ioannem XXII. Papam, Avenione commorantem, ut cum eo communicaret conſilium ſuum, de expeditione in Palæſtinam ſuſcipienda. Inde ab initio Seculi XII. peregrinationes eiusmodi in Galliis invaluerant. Ob eas paſſim *domus* 54.
peregrinorum ſtructæ, ac reditibus donatæ, ne peregrinatoribus in via foret inopia gravis. S. Antonii Eremitæ honori paſſim xenodochia fuerunt ſacrata. Equites S. Ioannis Hieroſolymitani, prope Nemauſum, domum fundosque & agros

circa

circa a. 1331. tenuerunt. Carmelitæ a. 1333. Nemauſum convocarunt ſuos ad *Capitulum generale*. Formulam, quam promulgarat *Officialis* Epiſcopi Nemauſenſis, ad eos *excommunicandos*, qui Clericos ad partem tributorum ferendam cogi vellent, ſuſtulit, irritamque declaravit a. 1334. Seneſchallus. Philippus Valeſius, conſilium expeditionis cruciatæ a. 1335. ſibi cordi eſſe, declaravit. Numos ſubſidiarios eam ob cauſam terris ſuis indixit. Contulit rationes cum Benedicto XII. cum veniſſet in Languedociam anno ineunte 1335. Toloſa abiit Carcaſſonnam, Beſieriam, Montem peſſulanum, dum veniret 22 Febr. Nemauſum, comitibus, Ioanna Burgundica, uxore ſua, Ioanne Normandiæ Duce, filio ſuo natu maximo, Carolo Rege Bohemiæ, Philippo Rege Navarrenſi, ac Burgundorum Duce. Mox, ut fidem faceret deſtinationi, iuſſit portum Aquismortuis reparari, per mare mediterraneum iter quaſi ingreſſurus navale. Lombardis collybiſtis ac uſurariis ſeveras oppoſuit leges. Pecunias, peregrinationi ac expeditioni cruciatæ adtributas, impendit bello, cum Anglis, de regno ſuo eiusque poſſeſſione gerendo. Eduardus III. in Anglia armavit multitudinem numeroſiſſimam. Philippus a. 1337. iuſſit equites ad Pentecoſten anni proxime ſecuturi præſto eſſe, quamprimum a Rege vocarentur ad bellum. Cauſarum patroni ac procuratores contulerunt ad id bellum, partem bonorum ſuorum. Quæſtio in eos habita, qui fundos ad *manum mortuam* transtulerant, vel acceperant, qui conſtitutiones Regum violaverant, qui per uſuras bona viresque exhauſerant. Numi undique conquiſiti. Epiſcopi preces publicas pro Rege, eiusque exercitu, recitare, & recitandas curare iuſſi. Eduardus in foedus ſuum illexerat Reges Caſtiliæ & Arragoniæ, Ludovicum Bavarum, Comites Geldriæ & Iuliacenſium, bellum moturus in Gallum, cui tamen ob terras quasdam, in Gallia ſitas, ſacramento fidelitatis obſtringebatur. Angli, navibus in Aquitaniæ terras traducti, proximas regiones videbantur infeſtaturi. Rex a. 1339. Ioannem, Bohemiæ Regem, ſuum militiæ ductorem per Languedociam conſtituit, tradito ei ad arbitrium caſtello Penne,

in

Digitized by Google

in tractu Aginnenſi (*Agenois*), quod ab Anglis iam obſidione premebatur, in terram Vaſconum effuſis, eamque inundantibus. Eduardus III. per Flandriæ oram exercitus alios in Gallias ire iuſſit. Contraxit adverſus eum Philippus copias ſuas ad Compendium. Simulavit pacem Eduardus, impenſurus eo maiores bello ſumtus, quorum pars nondum erat in promtu. Incolæ Montispeſſulani recuſarunt ire militatum Compendium. Inſtitit tamen Seneſchallus, vim adhibiturus. Rex Maioricæ tandem vacationem iis ab ea expeditione obtinuit. Hic erat Iacobus II. in cuius poteſtate fuit pars urbis Montispeſſulani. Vaſallorum reliqui acciti Compendium, ad Regem Philippum veniunt. De parte Maioricæ idem adſerit Auctor. Guilielmus Rollandus, dynaſta Montisfalconii, ſucceſſit in Seneſchallatu Belloquartenſi, adprobans ſeſe Reginæ dono ſerici 12. librarum Gallicarum, cuius libram, in Provincia, a. 1345. emerat 66. Solidis Turonenſibus (Sols). Ne imposterum vinum Nemauſum peregre adveheretur, publice fuit prohibitum a. 1346. Subſidiariæ pecuniæ ad bellum contra Anglos continuandum ſollicite collectæ. Belloquartenſis Seneſchallus a. 1351. profectus eſt Pariſios, inde in Normandiam, ac porro in agrum Pictavienſem, militaturus contra Anglos, ductu Caroli de Hiſpania, Comitis Engolismæ, & dynaſtæ Lunellenſis, Comitis ſtabuli per Gallias. Iudex regius Nemauſenſis peræque abiit militatum. *Politiae* inſpectores Nemauſenſes vetuerunt venæſectionem equorum in urbe, a paſcha ad S. Michaelis diem, excoriationem beſtiæ mortuæ, & collectionem ſtercorum intra muros, nutritionem item porcorum, hircorum, & caprarum, &c. Princeps Walliæ a. 1355. irruptionem fecit in Langedociam, bello reſumto. Seneſchallus Belloquartenſis eum repulit. Auguſtiniani Eremitæ recepti intra Nemauſum. Monachi iſti, ineunte ſæculo XIII. orti, in varias congregationes diſtributi, in unam legem coire iuſſi a. 1256. per bullatas Alexandri IV. litteras, qui ipſis Lanfrancum præpoſuit primum *generalem* antiſtitem. Eodem anno Rex Ioannes, in prælio ad Pictavium victus a Principe Walliæ d. 19. Sept. in captivitatem miſſus eſt. Commilitones eius Nemau- Pag. 150.

M ſenſes

Digitized by Google

ſenſes prodit Noſter nonnullos, alias incognitos. Prædatores Angli ad Nemauſum usque progreſſi. Comes Armeniacenſis, per Langedociam rebus calamitatem minantibus ſuccurrit, & in Normandiam feſtinavit, occurſurus machinationibus Caroli, Regis Navarrorum. Cogitatum inter hæc de pretio redemtionis quærendo, ut Ioannes Rex redderetur libertati. Exteris omnibus, ut fit, Gallia excedere præceptum publice. Anno 1358. Carcaſſonnæ combuſtus fuit homo hæreſeos accuſatus. Eodem anno Ioannes Rex cum Rege Anglorum reconciliavit pacem, & id ipſum Nemauſenſibus ſignificavit. Nemauſum Innocentius VI. interdicto ſacrorum corripuit, ſiquidem urbis cives Purpuratis recuſabant vinum ſecundum pondera doliorum vendere, ut antea, propterea quod ab his debita nondum eſſent perſoluta. Ordines provinciarum in Angliam traiiciunt ad Ioannem Regem redimendum. Angli bellum reparant, induciis iamiam exſpirantibus. Rex Daniæ Gallis obtulit auxilia, ex quo Rex Angliæ a. 1359. 12. Aug. bellum declaravit. Ioannes interea Londini tenebatur. *Waldemarus* III. Danus, in Angliam voluit irrumpere, prædisque ac incendiis Regem Anglorum ad Ioannem ſuis reſtituendum adigere. Hiſtoriographi ignorant hoc conſilium. Menardus tamen teſtimoniis fide dignis comprobavit. Numerus Iudæorum crevit in dies, ringentibus incolis. Angli Gallias infeſtant. A. 1360. carnes vendibiles in macellis fuerunt veneno infectæ. Pax Bretiniaci ad 8. Mart. firmatur inter duos Reges, ac Ioannes Eduardo ceſſit aliquot regni ſui provincias. Quatuor menſibus poſt, Rex Ioannes Londinum miſit ex pacto, & ad pacis firmitatem, filios duos, Comitem Andegavenſem & Pictavienſem. Milites ab Anglis dimiſſi Gallias impleverunt rapinis. His Gallici prædones ſe adiunxere, obſidendis ac expilandis caſtellis urbibusque intenti. Innocentius VI. ut ſeſe adverſus eos tueretur, promiſit indulgentias easdem, quæ militantibus in terra ſancta dari alioquin ſolebant, univerſis, qui expeditionem cruciatam in prædones hoſce eſſent ſuſcepturi. Idem ſollicitavit auxilia Regis Aragonum. Expeditioni cruciatæ ceſſerunt

Pag. 209.

Digitized by Google

runt prædones ſua ſponte a. 1361. numero quippe inferiores. At agmine uno diſcedente, non defuit alterum. Ioannes Rex a. 1361. 23. Dec. venit Nemauſum, honorificentiſſime exceptus. Tandem hic Rex obiit Londini 1364. 8. Apr. quo redierat aliquot ante menſibus, ut exſequeretur pacta Bretiniacenſia nupera. Carolus V. ei ſucceſſit, qui fratrem ſuum Ludevicum conſtituit per Langedociam proregem, a quo Nemauſenſibus corroborata privilegia fuerunt. Portus aquarum mortuarum reparari denuo coepit. Exarſit recens cum Anglis bellum. Ad Nemauſum usque perruperunt Angli. Ius civile & canonicum, calamitoſiſſimo hoc tempore ardenter cultum fuit Nemauſi. Dux Lancaſtrienſis Caletum exercitum traduxit, ſuos per Piccardiam & Campaniam effundens. Carolus VI. Rex ei occurrere armatus ſuſtinuit 1373. licet Dux Britanniæ partes Anglorum ſequeretur. Peſtilentia incubuit Langedociæ. Frater Regis, Dux Andegavenſis, inviſit Toloſam, Nemauſum, Avenionem. Rex, cui ſuſpectus erat, ipſum revocavit in aulam, atque iureiurando adſtrinxit 1374. pro more ſæculi, ſuper euchariſtia & evangelio. Gregorius XI. ſedem ſuam Avenione Romam a. 1376. Pag. 321. transtulit, d. 13. Septembr. Maſſiliam petens, navi Romam profecturus. Lugebat Nemauſus eum diſceſſum, ſiquidem per 72. annos, quibus Papæ ſederant Avenione, mercibus permultis poterat ſeſe exſolvere, ad Papam eiusque comites mittendis. Ne Rex quidem valebat Papam, ut Romam rediret, commovere. Opus feminarum, redeundi conſilium illud fuit. Brigitta Suecica, & Catharina Senenſis, Papam oraculis ſuis, Deo adtributis, ut Romam rediret, impulerunt. Epiſcopi Nemauſenſes ſolebant Papæ recens electo, vicino ſuo, donum mittere. In libris ærarii Vaticanis id adpellarunt *Servitium.* Exortæ ſunt inde ſenſim penſiones, ex debito & officio ac iure ſolvendæ, *Libro obligationum* Romæ mox inſertæ, etſi non eſſent primum dona. Servitia hæc coeperunt Romæ ſub Benedicto XI. ac uſu pleno gaviſa ſunt ſedente in cathedra Clemente V. Avenione. Antiquisſimum iſtius *ſervitii* exemplum legitur ad a. 1306. hunc in Pag. 6. Not. ad Hiſt.

modum: *Bertrandus, epiſcopus Lingonenſis, ſolvit VI. Februarii,* M. CCC. VI. Sed obligatio ad ſolvendum ſervitium ex debito coepit a. 1316. ſub Ioanne XXII. Primum exemplum fuit ita memoriæ proditum: *Iohannes, epiſcopus Abrincenſis, promiſit camere* M. CCC. XVI. XVII. *Novembris.* Secuti ſunt morem eum Epiſcopi Galliarum reliqui. Nemauſenſis a. 1324. idem ſervitium promiſit, teſte hac ſcriptura: *Armandus, Nemauſenſis epiſcopus, promiſit 1. Martii* M. CCC. XXIIII. Liber ille *obligationum,* & alius *ſolutionum* huius pecuniæ, ſcriptus fuit Romæ per D. Claudium Etiennot. Ex indicibus ſeu libris hiſce, qui nunc ſunt inter manuſcripta Abbatiæ S. Germani in pratis, Pariſiis n. 467. Auctor hæc deſcripſit. Epiſcopi aliquot ſolverunt id ſervitium etiam pro prædeceſſoribus ſuis, ſcilicet commendationis cauſa. En Etiennoti teſtimonium: *Magalonenſis Gancelinus epiſcopus recognovit pro Petro, mediato predeceſſore, & pro eccleſia Nemauſenſi, cui praefuit, promiſit XV. Martii* M. CCC. LXVII. Mos ſcribendi hic Romæ deductus eſt ad finem ſeculi XV. Baluzius Romæ inciderat in alia *Regiſtra* copioſiora, unde patuit, Papas impoſuiſſe epiſcopis officium ſe inviſendi, & ſolvendi ideo certam ar-
Pag. 7. genti ſummam. Ægidius, archiepiſcopus Bituricenſis, pro officio conveniendi Papam, per biennium ſolvit a. 1305. 5 Nov. trecentas libras Turonenſes, teſte Baluzio in *Notis ad Vitas Paparum Avenionenſium* To. I. p. 666. Pacem, quæ a. 1326. Pariſiis inter Carolum pulcrum & Flandros quoſdam, qui Ludovico Creſſiaco obedientiam denegaverant, conſtitutam, ignorant Froiſſardus, P. Daniel, alii. Eius notitiam hiſtoricam dedit Noſter. Emendat deinde nomina Epiſcoporum Nemauſenſium, quæ ex parte in *Gallia Chriſtiana* minus cu-
9. rate exſtant, in recentiſſima etiam editione. Ex mercibus, e Langedocia deportatis, penſi eo tempore quinque groſſi firmi. Ius illud ſolvendi adpellatur *le droit de reve,* quod iam a. 1332.
14. in uſu fuit, & adhuc viget. De ſigillis Seneſchallorum Nemauſi, & Belloquartenſium, Auctor etiam differit. Quadrageſimale ieiunium, docet, anno 1335. inchoatum fuiſſe 27. Febr. finitum die undecimo Aprilis. Illo anno Paſcha incidit in 16. Apr.

Inde

Digitized by Google

Inde ſequitur, d. 27. Februarii fuiſſe diem Lunæ poſt Quinquageſimam. *Provincialibus*, ad meridionalem Galliæ pla- Pag. 16.
gam habitantibus, hæc conſuetudo, exordiendi ieiunium quadrageſimale a die Lunæ, fuit familiaris, teſte Durando in *Rationali divinorum officiorum* VI, 28. n. 5. Ita die viridium deſiit illud ieiunium. Ieiunatum tamen fuit biduo poſt, æque ob dierum ſanctitatem. Auctor deinceps gloſſarium ſuppeditat, vocabula ignota medii ævi latina exhibens. Ita e. c. *Bada* ſignificat 31.
excubias, *banaſto* qualum craſſum, *barrium* murum, *Calende* feſtum Ieſu natale, *canaſtellus* corbem minorem, *cariſtia* caritatem annonæ, *cartale* menſuram frumenti, *civata* avenam, *cordurare* nere acu, *crida* clamorem publicum, *diſſacere olivas* molere olivas, *eſcobare* ſcopis purgare, *logaderius* elocatorem operæ ſuæ diurnum, *manobra* manoeuvre, *pagamentum* ſolutionem pecuniæ, *gardianus* paſtorem, *privata* ſeceſſum ad requiſita naturæ peragenda &c. Probationes huius Tomi hiſtoricæ conſtant chronicis duobus exiguis, diplomatum copia ſatis numeroſa, ac gloſſario, diplomatibus intelligendis accommodato. Ex hoc multis in locis augeri ac ſuppleri poteſt Gloſſarium du Freſnianum. Chronico priori, ex commentariis quæſturæ Pariſienſis hauſto, anni emortuales Regum ac Principum Galliæ, nec non alii eventus ab a. 1299. usque ad a. 1304. recenſentur. Ultima in eo ſunt hæc: *Terra ducatus Aquitanie fuit in manu regis Francie ab omnibus ſanctis 1299. usque ad tertiam diem poſt omnes ſanctos 1304. qua fuit reddita regi Anglie.* Index tandem, operis clauſula, lectori offertur elaboratiſſimus.

Das neue gelehrte Europa ꝛc.

i. e.

EUROPA ERUDITA NOSTRÆ ÆTATIS, edita per IOH. CHRISTOPH. STRODTMANNUM. Pars V. VI. VII. VIII.

Wolfenbütelæ, apud Io. Chriſtoph. Meiſnerum. 1754. 1755. 1756. Alph. 3. in 8.

Operis huius tam utilis, quam iucundi, mentionem in his *Actis* A. 1756. pag. 277. fecimus, de quatuor

prioribus eiusdem partibus loquuti. Noſtrum iam eſt, de poſterioribus quatuor faſciculis Lectores noſtros ſimili ratione informare, cum æque laudabili zelo in continuando iſto verſatus Auctor celeberrimus fuerit, quo id evulgare coeperat. Dolemus autem, ipſo eo tempore, quo prelum pars octava exercebat, humanis rebus ereptum optimum Virum fuiſſe, fatis nimirum d. 11. Aprilis 1756. functum, longiori certe vita, præ multis aliis, digniſſimum. Non defuit & in hoc ſecundo volumine, (id enim conſtituunt quatuor indicatæ partes, uno eodemque paginarum ordine continuatæ,) deſcribendis eiusmodi virorum eruditorum vitis ac operibus, quorum memoria conſervanda pariter poſteritati erat.

Pars quinta igitur continet res geſtas *Philippi* Baronis *de Stoſch,* Magnæ Britanniæ Regis Legati ad Italos miſſi, ut & Poloniarum Regis Conſiliarii: *Petri Burmanni,* Iurium Doctoris, & Hiſtoriarum, Eloquentiæ, Linguarum, Poeſeos Profeſſoris in Gymnaſio Amſtelodamenſi: *Arnoldi Drakenborch,* Iurium Doctoris, & Eloquentiæ Hiſtoriarumque Profeſſoris Ultraiectini: *Theodori de Schelluyne,* coetus reformati eccleſiaſtæ Amſtelodamenſis: *Georgii Henrici Werndli,* qui tum Gymnaſii Lingenſis profeſſorem, tum in Batavia verbi divini miniſtrum egit, d. 23. Aug. 1744. demortui: & *Chriſtoph. Bernhardi Ioſephi Schückingii,* Iurisconſulti Monaſterienſis. Brevior ſuccedit relatio de *Hieronymo van Alphen,* eccleſiaſte Amſtelodamenſi: *Iacobo Henrico Croeſero,* Medicinæ Doctore & Profeſſore Groeningenſi, d. 13. Ianuar. 1753. defuncto: *Cornelio de Velzen,* Theol. Doct. & Prof. Groeningenſi, d. 19. Aprilis 1752. mortale, quod habebat, deponente: & *Davide Knibbe,* eccleſiaſte Lugdunenſi in Belgio, d. 4. Aprilis 1748. mortalium numero erepto. Amplior eſt, quæ ſequitur, narratio, de *Carolo Henrico Rappolto,* Phyſices Profeſſore Regiomontano, d. 23. Octobris 1754. mortuo: & M. *Ioh. Chriſtoph. Dommerich,* Scholæ Wolfenbuttelenſis Rectore. Breviſſima autem ſunt additamenta ac ſupplementa, ad vitas eruditorum olim traditas, quæ leguntur ſub finem huius partis, nimirum, *Abrah. de Humbert, Samuelis Formey,*

Digitized by Google

mey, Ioh. Andreae Segneri, Geo. Dethardingii, Chriſti. Korthol-ti, Martini Knutzen, Chriſtoph. Horchii, Ludov. Holbergii, Conyens Middleton, Magni Cruſii, Eman. Martin, Phil. Doddridge, Iodoci Herm. Nunningii, Laur. Reinhardi, Iac. Burckhardi, Iac. Phil. d' Orville, Ludov. Ant. Muratorii, Petri Roques, Ioh. Iac. Wetſtenii, Reinh. Frid. de Sahme, & *Conr. Ikenii.*

Quæ in *Parte ſexta* recenſentur biographiæ, quoad maximum numerum novæ ſunt, ſequentes ſcilicet: *Antonii van der Os,* eccleſiaſtæ Zwollenſis: *Ioh. Targioni Torezzi,* Philoſ. & Medic. Doct. & Botanices Profeſſoris Florentini: *Alberti Schultens,* Theol. Doct. & Oriental. Linguarum Profeſſoris Lugdunenſis: *Auguſtini van Staveren,* Scholæ Lugdunenſis Rectoris: *Ioh. Friderici Iacobi,* eccleſiaſtæ Hanoverani: *Frid. Sam. Bock,* Theol. Doct. & Profeſſoris Regiomontani: & *Ioh. Mich. Herbarti,* Scholæ Oldenburgenſis Rectoris. Præter hos viros doctos, in vita S. R. *Bockii* anſam quoque arripuit beatus *Strodtmannus,* varia de *Paulo Scalichio* diſſerendi, quæ hiſtoriæ eccleſiaſticæ amicis non poſſunt non gratiſſima eſſe, inprimis cum documenta plura ἀνέκδοτα ſubiunxerit. Sub finem huius partis iterum ſupplementa addita ſunt, ad vitas olim deſcriptas *Ioh. Andreae Buttſtett, Gottfr. Schütził,* atque *Antonii van der Os,* cuius biographiam præſentis partis initium ſiſtit.

Pars ſeptima complectitur ſymbolas biographicas ſequentes: *Paulini a S. Ioſepho,* generalis clericorum ſcholarum piarum regularium Romani: *Davidis Millii,* Th. Doctoris & Linguarum orientalium antiquitatumque Profeſſoris Ultraiectini: *Ioh. Lulof,* Iurium Doctoris, Aſtronomiæ, Matheſeos, & Ethices Profeſſoris Lugdunenſis: *Ioh. Arnzenii,* Eloquentiæ, Hiſtoriarum & Poeſeos Profeſſoris Franequerani: *Caroli Conradi Reitzii,* Literaturæ Profeſſoris, & Gymnaſii Rectoris Harderovicenſis: *Ioh. Booskoop,* coetus reformati doctoris Amſtelodamenſis: *Iacobi Tyken,* in eadem urbe verbi divini miniſtri apud reformatos: *Iodoci Schomakeri,* Iurium Doctoris, & præpoſiti urbis Borkeloo in Zütphania: *Gabr. Guil. Goettenii,* Theol. Doctoris, Magnæ Britanniæ Regis in Conſiſtorio Hannoverano Conſiliarii, & eccleſiaſtæ aulici: *Caroli Gerh. Guil. Lodtmanni,* Philoſ.

&

Digitized by Google

& Iurium Doctoris, illiusque Profeſſoris Helmſtadienſis: *& Ioh. Henr. Danielis Moldenhawveri*, Theol. Doct. & Profeſſoris Regiomontani: Supplementa ſequuntur ad vitas olim enarratas *Ioh. Gottfr. Hauptmanni*, & *Ioh. Henrici Pratienii*, nec non documenta aliquot ad *Pauli Scalichii* hiſtoriam, quam in antecedenti parte cum cura dedit concinnatam Auctor celeberrimus.

Ultima huius voluminis *pars*, octava nempe, non tam novis conſtat biographiis, quam additamentis ad recenſiones vitarum, ante iam publici iuris factas. Neque tamen prorſus deſunt novæ. Tres ſub initium leguntur, *Gregorii Maianſii*, Generoſi Valentini, idiomate latino adornata, *Ioh. Philippi de Loys de Cheſeaux*, Aſtronomi Galli, & *Emonis Lucii Vriemoet*, Theol. Doctoris, & Linguarum Orientalium hebraicarumque antiquitatum Profeſſoris Franequerani. Reliqua huius faſciculi pars ſupplementa tradit, ad vitas Purpurati *Quirini, Conr. Frid. Erneſti Bierlingii, Ioh. Bernh. Haſſelii, Ioh. Friderici Noltenii*, & *Paullini a S. Ioſepho*. Agmen claudit *generalis index alphabeticus*, omnes viros doctos enumerans, de quorum vitis, fatis, ſcriptisque, in octo partibus *Europae eruditae novae* dictum fuit. Commodis Lectorum hoc indice inprimis conſultum fuit.

Quanam ratione opus hoc impoſterum continuandum ſit, latere orbem doctum noluit bibliopola, præmiſſa octavæ parti præfatione, qua ſignificavit, doctiſſimum Lingenſis Scholæ Rectorem, *Ferdinandum Stoſchium*, qui iam vivo *Strodtmanno* varias ſymbolas ad laborem hunc biographicum largo cumulo attulerat, curam porro illius edendi ſuſcepturum eſſe. Facili hinc coniectura Lectores noſtri aſſequi poterunt, qui factum ſit, ut tot eccleſiæ reformatæ doctores, Belgiique lumina docta, in hoc opere meritorum ſuorum nacti ſint præcones. Neque enim diffitendum, præſertim in quatuor poſterioribus faſciculis, a nobis iam recenſitis, perpaucos ex Lutheranæ eccleſiæ membris, plurimos ex reformati coetus ſociis, fuiſſe in ſcenam productos. Si quid ergo conſilii dare nobis licet, optamus, ut impoſterum, absque ullo religionis diſcrimine, dicetur eruditorum virorum meritis opus, per ſe & ſua natura omnino univerſale.

Digitized by Google

NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipſiæ

Calendis Martii Anno MDCCLVII.

Pars I.

SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI BENE-DICTI XIV. Epiſtola ad Nobilem Virum FLAMI-NIVM CORNELIVM, *Senatorem Venetum.*

Romæ 1753. typis Generoſi Salomoni, plag. 2. in 4.

Pontificis Maximi, qui nunc præeſt Eccleſiæ Romanæ, amorem in litteras, quo illud faſtigium honoris, in quo conſtitutus eſt, inprimis illuſtrat, ſi non ex operibus eius in univerſum, de quibus dictum a nobis ſæpe & honorifice eſt in his Actis; profecto vel ex eo abundantiſſime cognoſcas, quod eruditos homines fovet, tuetur, immo præmiis & laudibus ad enitendum incitat. In quo ille nobis, ſummorum, doctæ antiquitatis, virorum, ſequi ſenſum videtur; probe gnarus, iacere ea ſemper, quæ apud quosque improbentur, neque eſſe præter gloriam, quo magis accendantur ad ſtudia homines. Recens, præclari iſtius in bonas litteras ſtudii, monumentum, hac ipſa Epiſtola edidit Benedictus XIV. laudando *Flaminio Cornelio*, Senatore Veneto, Viro doctiſſimo, quo nemo unus adhuc Eccleſiarum Venetarum hiſtoriam, aut inveſtigavit ſollicitius, aut facundius ediſſeruit. Sedecim Voluminum Auctor eſt diligentiſſimus Flaminius, quorum XIII. ſunt de Venetæ, tria poſtrema de Torcellanæ urbis ſacris Ædibus; quibusque omnibus, & magnam doctrinæ copiam, & acumen iudicii præclarum, adprobavit le-

ſtoribus. Hunc igitur Virum indefeſſæ induſtriæ, ut excitaret ad enitendum amplius, commendaretque poſteritati, omnibus iis argumentis, quæ eo pertinere videbantur, hac Epiſtola uſus eſt Pontifex Maximus, cui nos iam recenſendæ aliquantulum immorabimur. Ait, primum, fuiſſe & patrum noſtrorum, & noſtra memoria, ſummos viros, qui ſimilem ſpartam ornarint, magnamque inde apud eruditos quosque gratiam inierint. *Marcum* quidem *Antonium Guerinum*, Ferrariæ urbis, cuius civis fuiſſet, totiusque dioeceſeos Ferrarienſis eccleſiaſticam hiſtoriam ſcripſiſſe, quæ prodierit Sæculi præteriti anno XXI. *Ioannem Baptiſtam Blancolinium*, aliquot voluminibus, eccleſiarum Veronenſium habitum expoſuiſſe, modeſto nomine, Notizie Storiche delle Chieſe di Verona, hoc opere ſuo uſum. Ipſa urbis Romæ templa, pæne innumera, ſuos habuiſſe, e doctiſſimorum virorum numero, diſertiſſimos præcones. In his *Panvinium* eſſe, & *Severanium*, primo loco nominandos: quorum ille de Lateranenſi, deque Vaticana Baſilica, libros, moriens reliquerit, in Vaticana adſervatos; hic ſeptem templorum hiſtoriam proſecutus ſit. Etſi vero ſint qui exiſtiment, Flaminium Cornelium, utpote Laicum, admovere manus haudquaquam debuiſſe operi, quod rectius ſperari a monacho aliquo debebat: tamen ita ſemper ſe iudicaſſe, ait Pontifex, „neque Eccleſiaſticos, neque laicos „homines, ad eiusmodi opera accedere oportere, qui non ſint „ſatis ab ingenio, eruditione, doctrinaque inſtructi atque pa„rati; quibus autem ea ornamenta inſint, & facultas operi „non impar reperiatur, eos, ſive ſacris, ſive laicis hominibus „adnumerentur, æque in eiusmodi inſtituto verſari, æque Ec„cleſiæ ſanctæ tali ſcriptorum genere prodeſſe, convenire.“ Id ut exemplis demonſtret, varia doctorum virorum, ex omni ævo, nomina excitat, Iuſtini philoſophi, Athenagoræ Athenienſis, Arnobii Africani, Didymi Alexandrini, Lactantii Firmiani, Proſperi Aquitani, Severini Boetii, Caſſiodori, Evagrii Epiphanienſis, qui de rebus Eccleſiaſticis, in nullum ipſi eccleſiaſticum ordinem cooptati, libros egregios ſcripſerint. Recentiori ætate, *Franc. Mariam Florentinium*, Lucenſem, Medi-

Digitized by Google

Medicum, in martyrologium Romanum egregias adnotationes vulgaſſe typis; & *Philippi Bonarottii*, Florentini, inſigne opus, Oſſervazioni ſopra alcuni frammenti di vaſi antichi di vetro, ornati di figure, trovati ne' Cimiterj di Roma, apud eruditos homines in magna laude eſſe. Multum debere Canonicum ius ipſum laicorum hominum diligentiæ & ſtudio; neque ignorare quemquam Ioannis Andreæ, Io. Calderinii, Ioannis Lignanenſis, Petri Ancharanii, Antonii Butrienſis, celebratiſſima nomina. Ipſos Actor. Sanctor. Bollandianos collectores non pudere, ſe Maſinii atque Zani Comitis, qui tamen laici fuerint, laboribus egregie uſos, fateri. Reliqua exempla non adſcribimus. Sunt enim multa alia, Bononienſium, Venetorum, & ſic porro. Eum locum præterire tamen non poſſumus Epiſtolæ pag. XIII. quo redarguuntur, qui excutere e laicorum manibus omnem laborem geſtiunt, rebus ſacris illuſtrandis deſtinatum. Verba Pontificis hæc ſunt. *„Sed qui eiusmodi tractationem ſolis Clericis & Monachis adiudicare ſua ſententia volunt, eos uno illo Canonicarum Conſtitutionum Capite* Quicunque, de hæreticis, in ſexto, *non recte, neque ut par eſt intellecto, niti exiſtimamus. Canonis haec verba ſunt:* Inhibemus quoque, ne cuiquam laicæ perſonæ liceat, publice vel privatim, de fide catholica diſputare: qui vero contra fecerit, excommunicationis laqueo innodetur. *Cuius Canonis interpretationem illam a Gloſſ. relatam, ſimulque improbatam, Nos quoque improbamus:* Forte intellexerunt de laico ad modum Ultramontanorum, qui illitteratos laicos vocant, & litteratos clericos vocant. *Cardinalis Caietanus in Comment. ad art. 7. quaeſt. 10. 2. 2. S. Thomae,* Leges, *inquit*, feruntur ſecundum id, quod eſt in pluribus. Communiter autem laici non ſunt docti in fide adeo, ut ſunt Theologi, ſufficientes ad hoc. Unde poſſet licite contra hanc legem diſputari a laico, quando caſus eſſet, ut, non ſecundum verba, ſed intentionem legis, agendum eſſet. *Luculentus item Auctor, Penia, diſerte docet, interdictum laico nequaquam eſſe, diſputationem de rebus fidei cum haeretico homine inſtituere, modo ille doctrina excellat, & Catholicorum dogmatum contra huius ſophiſmata, in fidelium*

 peri-

Digitized by Google

periculum atque perniciem excogitata atque iactata, defendendorum rationem norit." Hæc Pontifex, Nos cum Gloſſa, quam ille improbat, facimus. Sub finem Epiſtolæ legitur, Clerum Venetum, numo honori Flaminii Cornelii cuſo, memoriam viri de ſe præclare meriti poſteritati commendaſſe: quam nos, ipſius ſapientiſſimi Pontificis honorificentiſſimo iudicio abunde commendatam, Flaminio Cornelio, Viro doctiſſimo, ultro & libenter gratulamur.

DE INDOLE IURIS PRIVATI PRO HAbitu Imperii Danico-Norvegici Libri Duo. L. I. de forma, indole, & principio Imperii Danico-Norvegici. L. II. de indole iuris civilis enati ex forma Imperii Danico-Norvegici.

Hafniæ, Typis directoris S. R. M. & Univ. Typogr. Io. Ge. Hoepfneri.

Operis liber primus, quem manibus verſamus, continet Alph. 1. plagulas 3. Epiſtolæ ad Sereniſſimum Daniæ Regem, nomen ſubſcripſit Auctor P. *Kofod Ancher*, Iurium Profeſſor Hafnienſis. Occaſionem ſcripto præbuerunt, quæ D. de Monteſquieu in libro de cauſſis legum (*de l'eſprit des loix*) contra monarchiam abſolutam dixit: hæc cum non poſſint vera eſſe ſine aliqua formæ imperii Danico Norvegici contumelia, patriæ ſuæ inſerviturum ſe exiſtimavit Cl. Ancher, ſi ſpecioſa Galli ratiocinia diluendo, oſtenderet civibus ſuis, non minus eos aliarum rerumpublicarum incolis beatos eſſe; cæterum, magni ſe facere ingenium & eruditionem D. de Monteſquieu, profitetur. Sunt autem Libri huius capita ſeptem. Primum, finem & inſtitutum ſcriptorum explicat, tum gallici, tum huius, illi oppoſiti. Secundum imperium Danico Norvegicum deſcribit, abſolute monarchicum, non deſpoticum. Tertio, vera indoles & æſtimatio imperii abſolute monarchici definiuntur. Quarto, imperium Danico Norvegicum ad ſimilitudinem patriæ poteſtatis accedere exemplis domeſticis oſtenditur. Quinto, dubia potiora adverſus imperium monarchicum tol-

Digitized by Google

tolluntur. Sexto, principia imperiorum Monteſquiana examinantur. Ultimo, illorum loco commendatur principium æqualitatis. Speciminis loco, ſecundi capitis contenta enumerabimus. Notum vero eſt, Status qui vocantur, imperii civilis olim participes, regiam ſponſionem vernaculo nomine *Haandſaeſtning*, cui ſubſcripſerat Rex ſub auſpicium imperii, die 8. Maii 1648. antiquaſſe, & antiquatam in manus regis Friderici III. die 17. Octobr. 1660. tradidiſſe, regem religione ſacramenti olim dicti ſolventes, & ſine omni exceptione liberum declarantes; iuratam etiam fidem dantes regi regiæque domui d. 18. Octobr. & in perpetuum teſtimonium iuris in regem regiamque ſtirpem translati, inſtrumentum publicum conficientes. Inſtrumentum iſtud ſubſcriptum die 17. Nov. e. a. Abrogabantur ſimul nomine principis Chriſtiani d. 18. Iunii 1650. datæ litteræ obligatoriæ, nec non diſpoſitio illa proviſionalis ſignata a. 1651. ut & omnia, quæ in receſſuum libris, aliisque conſtitutionibus, cum regio iure hereditario & abſoluto imperio pugnantia, inveniri poterant. Regis autem arbitrio permiſſum fuit, adminiſtrationem regni impoſterum ordinare, & de ſucceſſione regia ex proprio arbitrio ſtatuere. Iuſtiſſimo igitur titulo, cuius vix aliud exemplum reperiri credit noſter, imperium abſolutum regi Daniæ paratum eſt. Monteſquium vero in limine ſtatim aberrare adſerit Danus, dum duas ſaltim formas monarchicas ſtatuit; illam vero, quam unice monarchiam appellat, ita deſcribit, ut limitatam eſſe oporteat, & deſpotiſmum, oblitus monarchiæ limitatæ, inter hæc duo extrema mediæ. Igitur Sectione I. capitis huius, quæ ſequitur, oſtenſum it Cl. Ancher, perperam monarchiam ſolam appellari, quæ limitata ſit, abſolutæ exſiſtentia negata. Ipſa quidem monarchiæ vox, ſecundum grammaticæ leges adhibita, limitatæ convenire non poteſt, quæ uni poteſtatem integram non tribuit; rectius de abſoluta dicitur ſimplici imperii forma, cum limitata in mixtam incidat. Abſoſolutam vero monarchiam agnoverunt iam Grotius, Puſendorfius, Huberus, Conringius, Thomaſius, Wolfius, Koehlerus, innumeri alii, ſi nomina his minora excitare libeat, & ii

 etiam,

Digitized by Google

etiam, qui rerumpublicarum liberiorum ſtudioſiſſimi ſunt. Ariſtoteles certe, quatuor regni ſpeciebus L. III. c. 11. Pol. enumeratis, quintam addit cap. 12. παμβασιλείαν, monarchiam abſolutam. Exempla autem formæ huius adhuc ſubſiſtunt, & quidquid forte ceteris opponi queat, imperium Danico Norvegicum monarchiam abſolutam exhibet, natura ſua a deſpotiſmo quam maxime alienam. Eſt autem, ex noſtri finitione, *monarchia abſoluta* imperium civile, quod uni plene competit, & ſoli: *deſpotiſmus*, ſeu herile imperium, quando imperans, præter ſummam in cives poteſtatem, iure ſimul fruitur domini in ſervos. Huius ergo notio ex duabus componitur, ſummæ poteſtatis, ſine qua nullum imperium civile; & poteſtatis dominicæ. Diſcrimen hoc Sect. II. noſter uberius explicat. Igitur in logices regulas peccant, ſingularem illam ideam poteſtatis dominicæ, quæ abeſt a ſpeciei, monarchiæ ſcil. limitatæ notione, notioni generis, monarchiæ, adſuentes; æque ac dictionarii encyclopædiæ collectores, qui voci *deſpotiſme* explicationem *gouvernement tyrannique* ſubiungunt, & ſic in formis imperii enumerandis, vitium, quod facti eſt, cum ſpecie, quæ iuris eſt, confundunt: quaſi idem ſit, iuſti imperii ſpecies enumerare, & vitioſa regimina percenſere; cum prius ſaltim ad doctrinam iuris publici pertineat, alterum magis ad prudentiam civilem, res facti potiſſimum ante oculos habentem. Deſpoticam vero formam in imperia Chriſtiana non cadere, noſter fatetur.

Arbitrarium autem imperium abſolutum non eſt, quod lege divina & rationis continetur, *abſoluti* epitheto, ex uſu claſſicorum ſcriptorum, *plenum* & perfectum ſaltim indicante, ut princeps de negotiis ad rempublicam ſpectantibus, proprio unice arbitrio & iudicio, non alieno ſtatuat, & *monarchia* abſoluta audiat, non *voluntas* monarchæ, & ſtet quidem pro ratione voluntas, ſed reſpectu ſubiectorum, non imperantis. Si voluntas principis, propter facultatem abſolutam obligandi ſubditos, abſoluta dicatur, prædicatum hoc æque cadit in omnes alias formas: cum voluntas ſummi imperantis, in quocunque imperio civili, tam populi in ſtatu populari, & optimatum

tum in ariſtocratia, quam monarchæ in regnis, fons ſit obligationis civilis, & ſubiectos abſolute conſtringat. Fruſtra autem, monarchiæ *plenae*, (hac enim voce noſter, propter *abſolutae* odium, uti mavult,) hoſtes, amplitudinem poteſtatis regiæ in illa horrent, cum non minus illimitata poteſtate fruantur, qui alibi ſummam rerum adminiſtrant. Exemplo eſt inſignis auctoritas conſulum, dictatorum, & tribunorum plebis, ſub ſtatu Romanorum populari. Sæpe, nomine regis repudiato, res permanſit, & regia poteſtas, alio ſaltim titulo, integra ſtetit. Igitur, invidioſe monarchia ſola imperii abſoluti nomine traducitur. Summa poteſtas in omnibus ſtatuum formis eſt; ſubiecto ſaltim differt, quatenus vel uni competit, vel pluribus. Non reges, limitatus & illimitatus, inter ſe comparandi ſunt, ſimplices utique perſonæ: ſed limitato adiiciendi ſunt conſortes imperii, qui cum illo unicam perſonam moralem efficiunt. Sed qui de limitato Principe loquuntur, civibus ius externum adverſus eum tribuunt, ſi limites imperii ſui excedat: de his autem limitibus, obſcure, dubie, & ſic, ut vix applicari poſſint adſerta illorum, differunt. Nam ſi cives, vel ordines in monarchia limitata, non ſint obſtricti ad tolerandam licentiam principis, violantis legem & normam imperii ſui pactitiam, quæritur, quale ius eo caſu competat civibus? multum enim differunt, ius *non obediendi*, ius *reſiſtendi*, & ius *puniendi:* quorum limites non facilius definiuntur, quam caſus quibus exerceri poſſunt, an ob qualemcunque, vel exiguam legum fundamentalium violationem? an in re etiam dubia? denique oborto inter regem & ſubiectos, de exercitio ſummæ poteſtatis diſſenſu, quis iudex eſſe debeat, omnino non apparet. Ceterum, ne nimium metuatur principis pleno imperio gaudentis poteſtas, facit generalis præſumtionis regula, principes nec optimos futuros, nec peſſimos, docens. Igitur, mediocri principi collata ſumma poteſtate, magni eius abuſus periculum nullum erit; contra, eadem poteſtate pluribus tributa, periculum erit maius, vitiis pro numero perſonarum creſcentibus. Reliquum capitis huius, redarguendo Monteſquio, quod monarchiam cum deſpotiſmo confuderit, abſolvitur.

Et

Et eandem telam pertexere pergit caput ſequens, in quo primum oſtendit noſter, univerſum ſyſtema Monteſquii ſolis niti quæſtionibus facti, quæſtionem vero de optima Reip. forma inutilem plerumque & periculoſam eſſe, cum nulla ſit omni ex parte beata, incommodorum autem in quavis reperiundorum calculus difficulter ineatur, & ſi iniri queat, ubique fere ad æqualitatem deducat. Hæc in aliorum potius gratiam, quam civium ſuorum, dicere ſe noſter profitetur: illos enim in ea eſſe hæreſi, degere ſe ſub tutamine imperii, quod ſit enti divino ſimillimum, & ad perfectionem etiam divini regiminis proxime accedat. Immediatam vero iuris regii a Deo originem, quam tanto fervore olim quidam propugnarunt, non credit; neque ita monarchicam regiminis formam tueri vult, ut alias ceu vitioſas traducat; quæſtionem de optima reip. forma, ad indolem animi de imperantibus probe ſperandam pertinere, oſtendit. Cur argumentis utatur a priori potiſſimum, nec imitetur adverſarium in rerum geſtarum monimentis excutiendis, cauſſam hanc reddit, quod ultimo hoc demonſtrandi genere uſurus, omnia plene percenſere debeat omnium civitatum commoda & incommoda, omnium gentium mores & leges in numerato habere, teſtimoniorum valorem ponderare, quæ omnia prolixiſſimam hanc ratiocinationem efficiant, & erroribus obnoxiam. Argumentum vero pro imperii monarchici præſtantia, ita in ſummam contrahit: „Summo imperanti, ut officio ſuo bene fungatur, & pu„blica negotia ad normam ſalutis publicæ attemperet, opus „eſt prudentia, ſtudio boni publici, & actione denique con„formi. Pro natura autem imperii monarchici, iuxta regulas „præſumtionum, cum magis ſit probabile, unum imperantem „quam plures inſtructum fore pleno hoc apparatu imperii „boni, felicis, & ſalutaris: colligo, imperium monarchicum, „hoc ſaltim reſpectu, ſi non optimum omnium & præſtantiſ„ſimum, bonum tamen, & fini imperii civilis conforme eſſe. „Concludo porro, cum fundamentum imperii monarchici ſi„tum ſit in ipſa natura humana, hoc imperii genus naturale „eſſe, & vel ideo magni habendum.“ Hoc in ſequentibus

magis

Digitized by Google

magis explicat. Prudentiam civilem ponere ſcientiam ſyſtematicam eorum, quæ tam ad rempublicam in genere, quam ad indolem civitatis, de qua adminiſtranda agitur, pertinent. Hanc in unum imperantem potius cadere, quam in plures coimperantes. Conſtituto etiam ſyſtemati ſervando & continuando, monarchiam eſſe aptiſſimam; quod gentes omnes pluralitati votorum tribuerunt, ut finem negotiis darent, neceſſitas litium abſcindendarum effecit, non ea exiſtimatio, melius eſſe quod plures probent. Conſiliis autem bonis uti poteſt monarcha, immo nemo melius eo, cui conſilia ſunt, non ſuffragia. Publici autem boni ſtudium ab imperante hoc minus ſperandum eſt, quo magis apud eum privatæ res publicis opponuntur; fit autem hoc in monarchiis limitatis magis, quam in plenis. Maxime vero in democratia bonum publicum ſæpius cuiusvis privato repugnat, nec minus in ariſtocratia: cum monarchæ, ſtudium boni publici privata ſua utilitas iniungat. Nec aliorum, quibus præſtat monarchia, noſter obliviſcitur, ut promtitudinis agendi, &c. Quam autem non dominos, ſed patres populi ſe geſſerint reges Daniæ omnes, qui abſoluto imperio gaviſi ſunt, quarto capite ex hiſtoria noſter docet, inprimis Sereniſſimi Regis, qui iam imperat, curam & munificentiam debitis laudibus merito extollens.

Sub finem, principiis imperiorum Monteſquianis, *aequalitatis* quod vocat ſubſtituit, ut ſcilicet „æqualitati iurium & „obligationum inter cives ſtudeant imperantes, quam fieri „poteſt maxime, neque ab hac norma diſcedant amplius, quam „id poſtulet neceſſario ratio ſalutis publicæ.“ Hoc ſtudium cum æquo & æquabili Dei in homines omnes amore comparat: æqualitati autem hominum morali etiam ius naturæ favere obſervat, cum inæqualitas moralis præcipue ſtatui civili originem debeat, in quo ipſo tamen quantum fieri poteſt æqualitati ſtudendum A. docet. Denique, hoc æqualitatis principium optime quadrare in ſtatum monarchiæ abſolutæ, oſtendit. In ſtatu populari, in quo omnium maxime poſtulatur, minime exſpectandam eſſe æqualitatis conſervationem, ex frequentiſſimis illis contra inæqualitatem declamationibus, & legibus, ut impe-

 diatur,

Digitized by Google

diatur, latis, oſtendit. Quæ glaucomata romanæ plebi obiecerint, ut primas tenerent patres, prætores, alii, neminem latet. Statum ariſtocraticum, ſi iuſta fuerit, nec immoderata æqualitas inter optimates & plebem, magis laudat ipſe D. de Monteſquieu. Donec autem optimates erunt, vel non ignari poteſtatis, vel non incurioſi rei ſuæ privatæ, ab iis vix exſpectari poteſt indelibatæ æqualitatis ſtudium. Hoc autem maxime omnium in Monarchiam abſolutam quadrat. Cura privatarum utilitatum, ſaluti publicæ contraria, eo magis nocet reipublicæ, quo plures ſunt qui de imperio participant, privati commodi ſtudioſi: princeps autem abſolutus, quantumcunque ſibi etiam & ſuis laute proſpiciat, unicus tamen eſt, & hinc parum inæqualitatis naſcitur. Favere poteſt princeps indignis, ſed eidem errori populus etiam ſubiectus eſt. Nexus autem inter imperantem & ſubditos, in monarchia abſoluta admodum favet æqualitati, cum æqualiter ſubditi omnes a regio faſtigio diſtant, eademque ſunt civium, qua talium, iura & officia. Libro primo auctor finem imponit verbis ex Codice Legum Chriſtiani V. quæ ita latine vertit: „Poſtremo, cum legem ad cuiusque utilitatem compoſitam eſſe conveniat, æque benignam, æque tolerabilem omnibus, ne „alius præ alio ex illa vel commodum ferat, vel damnum ſentiat, idcirco etiam omiſſum eſt, quidquid damni aut commodi, ſive illud in verbis, ſive in re conſiſtat, alius præ alio ad ſe „pertinere exiſtimaverit.“ Hoc ſcilicet inter diſcrimina iuris Danici antiqui & recentioris refertur, paterni, quo Reges Daniæ in ſingulos ſubiectos, nullo perſonarum diſcrimine, ducuntur, adfectus teſtimonium.

Ita vero noſter prima parte officii, quod ſibi ſumſit, defunctus eſt, ut tum philoſophiæ ſolidæ & utilis peritum, tum egregie in iure & monimentis rerum geſtarum verſatum ſe oſtenderit, ſicque libri II. deſiderium excitaverit, qui ſpeciatim magis de iure Danorum acturus, non poteſt non & civibus Scriptoris utiliſſimus eſſe, & exteris gratus.

DEL-

Digitized by Google

DELLE VIZIOSE MANIERE DEL DIFENDER le cauſe nel foro.

i. e.

DE VITIOSIS AC PERVERSIS CAUSArum in foro orandarum modis ac viis, Liber IOS. AUREL. IANUARII.

Neapoli 1744. apud Felic. Carol. Moſcam.

Non temere fit, quod inter celeberrimos ſæculi huius ICtos *Ill. Ianuarium* ponimus, qui, quam ſapienti nexu Iurisprudentiæ ſubtilitatem cum bonarum litterarum elegantia coniungeret, iam pluribus ſcriptis ita declaravit, ut Muſarum ex Themidis regno fugientium ſtator haberi non immerito videretur. Novum huius laudis argumentum is, quem iam indicatum imus, de vitiis in cauſarum defenſione cavendis, liber ſuppeditat. *Decem* maxime ſunt, quæ vitiorum nomine a Iurisprudentiæ ſtudio removenda cenſet. *Primum* eſt, quod *ſimplex ſtudium forenſe* adpellat, nil aliud intelligens, quam vulgarem illam, quæ noſtra quoque fora obſidet, percipiendæ atque exercendæ Iurisprudentiæ rationem; quæ linguarum & hiſtoriæ oculis orbata, veteriſque elegantiæ ſcriptores & cane peius & angue averſata, Commentariorum, Reſponſorum, ac Deciſionum vaſtis molibus, aut Gloſſarum ineptiis, aut Compendiorum & Syſtematum minutiis, adhæreſcit, turbidamque ex iſtis rivis aquam haurire, quam ex ipſis fontibus limpidam bibere, mavult. In cuius quidem pravitatis origine exponenda, elegans admodum & iucundus eſt Auctor Ill. Nam cum ex barbariei ſordibus & caligine, ſero tandem Iuris Romani lumen effulſiſſet, quaſi veterem dominum in iura ſua poſſeſſionesque reverſum, timidi, & velut muſſantes excipiebant, ne quid, quod minus gratum ei aut commodum foret, loquerentur. Hæc timoris & admirationis quaſi infantia, gloſſarum brevitatem peperit, e quibus deinde remoto pudore & metu, commentariorum magna volumina nata, quæ, ubi in immenſum crevere, Reſponſorum, Deciſionum, aliisque Pag. 21.

que Operibus contexendis materiam præbuerunt, quorum
abſurditatem ipſa plerumque nomina ſatis arguunt. Tandem,
cum, vaſtitate & prolixitate iſta fatigati homines, compendia
& epitomes concinnare aggreſſi fuerint, his omnibus
turbatum magis & corruptum iuris ſtudium, quam excultum
atque adiutum, recte monet. Nec tamen idcirco eam rationem
probat, quæ iſta omnia, moribus præſertim atque uſu
recepta, abiiciat atque ſpernat: ſed ita cum accurato atque eleganti
Iuris ſtudio jungenda cenſet, ut huic quaſi fundamento
ſuperſtructa, firmiorem uſum intelligentiamque maiorem ha-
Pag. 45. beant. *Altero* loco *ſubtilitatis atque acuminis in iudicando inopiam*
queritur; quæ ex Dialecticæ ſanioris, Geometriæ, &
Meditationis neglectu oriunda, & in explicandis, & in adhibendis
legibus, detrimenti plurimum affert. Itaque Ciceronis
potius philoſophiam in Iuris ſtudio magnopere commendantis,
quam ſpernentis eam Gravinæ auctoritatem ſequendam,
cenſet. Et hac ipſa quidem quaſi ad προπαρασκευὴν eius
ſtudii, quod in forum profertur, præmiſſa, iam ad ea progreſſus,
quæ in ipſo foro cauſisque defendendis perverſe ac vitioſe
64. fiant, *affectationem* ante omnia vituperat, quæ in contorto &
laborioſo genere dicendi, in figurarum troporumque profuſione,
in formularum ac verborum antiquitate ſectanda, &
puerilibus a re ac tempore alienis argutiis cernitur; non minus
iudicum dignitati, quam cauſarum gravitati obnoxia, perſpicuitati
autem quam maxime inimica ac pernicioſa. Nec tamen
ideo nullum eloquentiæ locum in noſtris cauſis relinqui,
cum Ren. Rapino probat *; cum privatarum cauſarum patrocinia
non minus, quam olim regum ac reipublicæ iudicia, oratoris
& copiam atque ubertatem, & ſententiarum acumina ac
pondera, non modo non capere, verum etiam requirere, vel
Ciceronis ac Demoſthenis exemplo, appareat. Quæ quidem
cauſarum ratio haud multum diſſimilis ſit ſolis ſplendori, cui
nihil decedat, cum privatorum tecta, aut agreſtium caſas, quam
81. cum regum turres illuſtret. Sed *prolixitatem* graviter reprehen-

* in Libro, cui titulum fecit: *Rifleſſioni ſull' Eloquenza del foro.*

hendit, nugis & minutiis immorantem, centies dicta repetentem atque inculcantem, explicare planiſſima ſatagentem, non ſine temporis diſpendio, iudicumque & auditorum tædio, quod audiendi attendendique negligentiam atque impatientiam inepto oratori iure optimo pariat. Neque tamen eum ſe eſſe vult, qui amplificandi atque illuſtrandi artificium ſpernat, ubi aut obſcuritas cauſæ, aut ſententiæ gravitas, aut alius rei uſus ac neceſſitas exigere illud videatur. *Audaciam* poſtea & *confidentiam* longe abeſſe ab oratore & cauſſidico iubet, ne aut offendat iudices, aut fori regnum ſibi aſſumere videatur, aut alius animo & audacia turpiter repellatur. Quo loco, elegantiſſime Aiacis confidentiam ab Ulyſſis verecundia ſuperatam, ex Ovidio affert atque illuſtrat. Sed non minus, ne cum ſtultis, dum vitamus vitia, in diverſa incidamus, *timiditatem* atque *ignaviam* caveri vult, quæ ſæpe optimas cauſas defendi aut ſuſcipi prohibuit, potentiorumque inſolentiæ cedere ſerviliter, & verum aut æquum ſilendo vel detorquendo prodere, homines coegit. Ea tamen, quo pacto a prudentia, circumſpectione, & modeſtia differat, Ciceronis exemplo egregie docet; qui quam non timide, ſed caute tamen, periculoſas illas Ligarii, Deiotari, & Flacci, a Græcis impugnati, cauſas tractaverit, ita perſequitur, ut ipſe eius artificii callidiſſimus eſſe reperiatur. *Inconſtantiam* deinde in inchoandis probandisque cauſis, in explicandis adhibendisque legibus, in defendendis impugnandisque hominibus, graviter deteſtatur, oririque demonſtrat, partim ex doctrinæ idoneæ atque accuratæ penuria, partim ex iudicandi ac meditandi ſocordia, levitate, & temeritate, partim ex perverſo & improbo doctrinæ uſu, praviſque conſiliis. Quo loco, mirari ſatis non poſſumus, Ciceronem a V. C. notatum, vel potius excuſatum non fuiſſe, quem huius inconſtantiæ ac varietatis artificem & profeſſorem vulgo ferunt. Rectius profecto illud attingeret, quam ut noſtra ſacra admiſceret, doctrinæque Evangelicæ inconſtantiam, ab Huetio reprehenſam, gloriaretur. Quod etſi, ut ipſe mediis de iure diſputationibus Theologicas controverſias immiſcuit, nos item commiſſuri non ſumus: facile tamen effi-

Pag. 96. 111. 126.

ceremus, ut ei in mentem veniret incredibilis rixarum turba, quæ inter ipſos Romani coetus ordines dudum exarſere, nec dum ab ipſis Pontificibus extingui potuere. Quin facile paginas ipſorum Pontificum nominibus impleremus, quorum alter alterius & famam laceravit, & acta reſcidit, & decreta anathemate abolevit. Sed hæc Theologis vindicanda relin-
Pag. 142. quimus, etſi dudum vindicata. *Pertinacia* & libido in quacunque re defendenda aut impugnanda, in offendendis hominibus, quam exitioſa Iuris ſtudio & fori uſibus ſit, Ciceronis exemplo oſtendit, qui graviter cauſæ ſuæ nocuiſſet, ſi Agrariam legem, populo gratiſſimam, aperte ac præfracte
158. impugnare aggrederetur. *Fraudulentiam* atque *aſtutiam*, ſive aperta illa & impudens, ſive tecta & callida ſit, ſive in aſſen-
175. tationem compoſita, non minus, quam turpem *lucri cupiditatem*, ſicut ab honeſto viro, ita a cauſſidici moribus alieniſſimam eſſe oportere, graviter docet.

Hæc fere ſunt, quæ in defendendis cauſis prave admitti, Auctor Doct. monuit. Clauſulæ atque Epilogi loco, poſteaquam recte eleganterque addidiſſet, non minus arduum eſſe & periculoſum vitæ doctrinæque modum, qui prave & perverſe, quam qui recte inſtituatur: formulam præſcribit, qua ad accuratam Iuris ſcientiam perveniatur, quæ ex hiſtoriæ reliquisque Iuris civilis fontibus repetenda potiſſimum Iuris ſtudioſo videatur. Benedicto XIV. P. M. inſcriptus liber ab ipſo Auctore, cui & humaniſſime reſpondit Pontifex. Ioannis Antonii Sergii, Editoris, præfationem de fatis Iurisprudentiæ Romanæ, liber præfixam habet. Ad calcem autem, teſtimonia Virorum Eruditorum de Carminibus Ianuarii, Epiſtolæque ad eum, ac de eius laudibus, complures ſubiectæ ſunt.

PRODROMUS PRÆVERTENS CONTInuata Acta Medica Havnienſia, quæ per clementiſſima regia auſpicia, ad veneranda maiorum exempla, in ſincera incrementa quarumcunque ſcientiarum, quæ ullo modo forum medicum ſpectant, quotannis a Collegii medici Regii membris, ex ſuis, & ſociis aliorum operis, publici iuris fiunt.

Digitized by Google

Hafniæ, 1753. 1 Alph. Fig. æneæ IV. in 4.

Magnam ſane iacturam res literaria paſſa erat, ex quo Actorum Hafnienſium Medicorum & Philoſophicorum, immortalis Viri, *Thomae* BARTHOLINI, ſtudio, ab anno MDCLXXII. ad MDCLXXIX. Voluminibus quinque aditorum, filum continuari deſiit. Erat enim in iſto Theſeuro rerum mira utilitate commendatiſſimarum inexhauſta ſuppellex, cuius continuationem orbi literato fata tunc invidebant. Tanto maiorum ſuorum exemplo excitati, & ut damni præmium ſtatuerent *Eruditi Collegii Medici Hafnienſis Sodales*, animum ad Collectiones illis deperditis ſimiles inſtaurandas, & quotannis continuandas, magno ſtudio appulerunt; atque cum experimentum edere vellent, operis primi complementum fere dederunt, promiſſiones ipſa re ſtatim expleturi. Ut eas conſilii rationes inirent, præter imitationis ſtudium, atque neceſſitatis & utilitatis momenta, impulit illos Sereniſſimi Regis voluntas, & *Amici Regii* BARONIS DE GÜLDENKRONE auctoritas, quem Mæcenatem, & ad res præclare agendas inſtigatorem habituri, non poterant non proficere: non tam illecti præmio, quod optime inter multos ſcribenti a *Generoſiſſimo Statore* novi inſtituti poſitum, numo viginti aureorum ponderis; ſed recte agendi libidine, ad ingenii foetus tantorum Virorum memoria dignos edendos, compulſi. *Generoſiſſimus D. Balthaſar de* BUCHWALD, Collegii Medici Hafnienſium Decanus, poſtquam erudita ſcriptione ad inſtitutum illud novum præfatus eſt, methodum, febres quartanas, aliasque intermittentes, cito, tuto, & iucunde curandi, ſibi familiarem, proponit. Poſtquam enim primæ viæ, in quibus plerumque mali fomes hæret, vomitorio & laxantibus purgatæ fuerunt, illis utendum eſſe cenſet pharmacis, quæ debilitatem ſolidorum, ex qua febris ipſa nata eſt, corrigunt: igitur, quem in compertis habet, *crocum Martis*, commendat. Eiusdem hiſtoria monſtri gemelli, coaliti, lectu digna eſt. Puellæ duæ, quas caſus in matrice adunaverat, illisque cohærentem thoracem, duplicis germinis mixtione, dederat, mortuæ natæ, uberrimam de ſtructura organorum compoſiti illius corpo-

corporis cogitandi materiam ſuppeditabant. Una illis vena umbilicalis, nutrientem a matre ſuccum adduxit. Altera ex illis provectior, altera parum nutrita & marcida erat. Diaphragma, a ſiniſtris, illi, quæ minor erat, defuit, aſt maiori erat plenius. Utriusque hepar concreverat; atque hoc in univerſum annotatum eſt, viſcera, quæ naturæ operis deſtinantur, diſtincta & gemina, illa autem quæ vitam procurant, cor cum pulmonibus, mixta extitiſſe. Et pulmones quidem in utroque foetu aderant, aſt contiguo opere confecti, ſed cor ad maiorem foetum plus pertinere viſum eſt, ita tamen, ut ſuo apparatu arterioſo, tam pulmonibus utrisque, quam reliquo corpori gemellorum concretorum, reſponderet; cuius admirabile ſchema, & multiplex arteriarum ſuppellex, Icone exprimitur. Venæ cavæ erant geminæ, arteria aorta una, vaſto trunco, mox in duas diviſa eſt; venæ pulmonicæ utrique ventriculo reſpondebant, & tam ſingularis naturæ in hoc quoque conformationis errore providentia extitit, ut ad vitam & augmentum nihil deeſſet, eſſetque in ipſo errore admirabilis ordo, & vaſorum concinna ſeries, quæ duplici concreto ſub una perſona comprehenſo ſatisfaceret. Mererentur ſane Excellentiſſimorum Virorum labores ſinguli, ut exſcriberentur, & orbi litterario a nobis communicarentur: ſed inſtituti ratio, ut omnibus ſatisfiat, haud fert, ſatisque erit unum atque alterum ex multis floſculum decerpere. *Clariſſ. Vir, Andreas* THUE, ſalem communem deſcribit, ſpiritus acidi cuiusdam ſingularis participem, qui a vitriolico & nitroſo omnino diſcrepat, atque illis efficacia ſua ſuperior eſt, utpote qui, Mercurii ſublimati & Butyri Antimonii exemplo, metalla quoque in ſublime rapere, & volatilitatem ſuam illis communicare poſſit. Eſt autem præter ſpiritum in ſale communi terra alkalica calcaria, acido illi mixta. Terra ſeſe prodit, quando in ahenis, intra quæ muria excoquitur, vaſis parieti adhæret, quæ, cum aeri admota eſt, eiusmodi mutationem patitur, ut ſalem ſubeſſe conſtet, & tam ſal cubicus, quam una ſal glauberianus ſeſe oſtendat; id quod argumento eſt, ſalem alkalicum illi terræ ineſſe, qui acido univerſali aereo noviter iunctus, utrumque illum

illum ſalem vel reſtituerit, vel fecerit. Namque oriri glauberianus ſal, niſi illi terræ verum infuiſſet alkali fixum, non poterat: uti etiam fieri novimus, ut ſub frigore, ex ſale alkalino aliquo vegetabili, ſal glauberianus aliquis naſcatur. Cum autem varius ſit, ex diverſis Europæ locis advectus ſal communis, quibus bonitatis ſignis, ille, qui præſtantiſſimus cenſendus ſit, cognoſci debeat, exponitur. Laudatur magis ille, ex quo plus ſpiritus ſalis habetur: ille autem inferior eſſe cenſetur, qui vel minorem ſpiritus quantitatem fundit, vel ſal glauberianum reddit copioſius; quod argumento eſſe poſſit, alkalinam partem in illo prævalere. Inſunt præterea huic commentationi alia ſcientiæ documenta haud vulgaria. Docetur modus, ſalem culinarem in nitrum convertendi, cum alkali, calx viva, & excrementum animale acceſſerunt, atque hæc omnia fermentatione ſubiguntur. Magneſia Salis docetur; habenturque plurima de ſale Ebshamenſi nativo & factitio. Ille ipſe *Auctor* ſub cenſuræ ſuæ limam vocat propoſitum ab aliquo Boracem conficiendi modum, quo Malabares uti viſi ſunt. Dicitur enim, in illa provincia Borax ex alumine & ſuccis plantarum, maxime ſucco lacteo plantæ, quæ Euphorbii ſpecies eſt, & Schedida-calli in horto Malabarico appellatur, confici. Hoc confutat *Auctor*, illoque, ut neget alumen compoſitionem Boracis ingredi, fundamento nititur, quod, quia Borax eſt vitreſcibilis, alumen eiusmodi terram, quæ vitreſcat, habere haud poteſt. Eſt autem Boracis materies terra aliqua alkalica ex Malabaris advecta, variis artibus in illum ſalem excocta, in quo alkali eſſe exinde præ ceteris conſtat, quod ex illo, una cum oleo Vitrioli, Sal Glauberianus obtineri poteſt. Ceterum, integrum quoque eſt laudatisſimis Iuvenibus, etiamſi dignitatibus academicis nondum ſint ornati, Excellentisſimorum Virorum intereſſe coetui, & ſuæ eruditionis documenta edere: quod laudabile omnino eſt, nec poteſt non iuniorum animos ad res academicas præclare agendas porro accendere. Iucundum ſane argumentum, ex hiſtoria inſectorum naturali depromptum, illud eſt, quod P. ASCANIVS, *Norwegus*, Medicinæ Cultor, ad leges a celeberr. LIN-

NAEO propoſitas, exhibet, de Inſecto illo immobili, quod ſuper variarum arborum folia, maxime ſuper illa populi albæ invenitur, & Gallinſectum REAVMVRIO, Aphis LINNAEO, dicitur. Ex eadem ſtirpe inſectorum gignuntur cocci, immota ſcilicet corpora, quæ ex ſe dimittunt inſectula plura. Namque ea, quæ inter Aphidas mater eſt, ſuo, quem ſemel occupavit, loco, firmiter inhæret, & parit frequenter, atque intra horam quinquaginta foetus edidiſſe viſa eſt, donec pariendo ſeſe exhauriat, & vacuum involucrum poſtea ſiſtat. Sed proles, ex hemipterorum gente, tota vagatur arbore, & annuam vitam vivit. Ne autem ignorent Lectores, quid de lectione primi huius miſſus ſibi polliceri poſſint, en illis ſcriptorum illorum catalogum, qui in hiſce primitiis continentur.

Conſpectus contentorum in hoc volumine, Auctoribus modo nomine tenus indicatis.

Obſ. I. Anonymi Delirium hypochondriacum, in plurimis ægrotis per veſicatoria ſublatum.

II. Venæſectionem in brachio inſtitutam, tumor pedum ſubito inſequens.

III. Fonticulus intempeſtive occluſus, auctor febris continuæ.

IV. Febris maligna.

V. In hydrope draſtica conveniunt.

Balth. Ioh. Buchwaldi Methodus, cito, tuto, & iucunde curandi quartanam.

Hiſtoria monſtri gemelli, coaliti, & compoſiti.

Andreae Thue Salis communis vulgaris deſcriptio phyſica, & examen chymicum.

Excuſſa quæſtio, an Sal commune ſit Sal primigenium?

Sam. Cnoll Literæ, de Boracis artificiali compoſitione.

Andr. Thue Epicriſis in nuper allatas literas Cnollianas.

Obſervatio de diſcrimine Salis Anglici, & Salis mirabilis.

Chriſt. Lodb. Friis Pertractatio, de convenientibus methodis tractandi dubie mortuos.

Ioh. Chriſtoph. Lincke par caſuum clinicorum.

Severin. Hee Cephalagra pelle medicata, Gallis peau divine, retropulſa, & lethalis. *Wil-*

Wilhel. Hannaei Caſus ſingularis, de miris abdominis contentis.
Rarior partus hiſtoria.
Obſervatio de tumore in capite recens nati infantis, a defectu cranii.
Rara calculoſi hiſtoria.
Obſervatio de ſingulari abortus cauſa.
Obſervatio de adamantibus ſilici innatis.

Petr. Rudolph Wandeleri Obſervatio anatomico-practica, de ſteatomatibus cerebri & pulmonis, in cadavere iuvenis cuiusdam repertis anno 1744.
Obſervatio de calculis veſicæ felleae, qui, licet molis egregiæ, per ductum choledochum tranſierunt, feliciter inde excreti.

P. Aſcani Aphis populi tremulæ abdomine ecorni deſcripta.

H. W. *Heilman* Caſ. I. Affectus Scorbutico-arthritico-hyſtericus, ex cacochymia verminoſa ortum trahens.
Caſ. II. Affectus epileptico-hiſtericus a vermibus ortus.
III. Os ſacrum in infante recens nato perforatum.
Problema chymicum:

I. Andr. v. Oſten Tentata ſolutio ſuperioris Problematis.

Henr. Frid. Peters. Hiſtoria & cura herniæ cruralis.

Carol. Ienſenii Meletema, de ſingularis cuiusdam formulæ emeticæ indole, & modo agendi.
Obſervatio de fluore albe, ſilente per tuſſis humidæ periodum.

ANTHOLOGIÆ GRÆCÆ A CONSTANtino Cephala conditæ, Libri tres, duo nunc primum, tertius poſt Ienſium iterum, editi, cum latina interpretatione, commentariis, & notitia poetarum.

Lipſiæ, in Bibliopolio Gleditſchiano 1754. in forma octava minori plagulis 20.

Continuavit atque abſolvit hoc opere, Vir, cum aliarum, tum inprimis græcarum literarum peritiſſimus, *Io. Iac.*

Reiske, inchoatam iam ante aliquot annos in miſcellaneis Lipſienſibus, partem Anthologiæ, quæ, quod nondum typis in vulgus data eſſet, inedita dicitur: adeoque nunc complexus eſt duos libros poſteriores, quartum puta, & quintum, Codicis Lipſienſis, dedicatoria & ſepulcralia comprehendentes. Inſcribitur itaque carmini primo huius editionis, numerus non primus, ſed trecenteſimus nonageſimus ſextus, qui eſt primus Libri quarti Cod. Lipſ. His, mantiſſæ loco, adiecit carmina, ab editore Ienſio, gymnaſii Roterodamenſis Rectore, dicta Ienſiana, ab eodem, cum lucubrationibus Heſychianis publici iuris facta. Vulgo autem Ienſiana dicuntur ἐπιδεικτικα, ideo fortaſſis, quia res quas deſcribunt vivis quaſi coloribus depingunt, nova ſane ſignificatione: cum ἐπιδεικτικος uſurpetur de ſermone, & omni eo, quod coram populo agitur, & recitatur, ut placeat. Quæ ſignificatio cum minime in Ienſiana cadat, V. Cl. potius ea ἐκφραστικὰ vult nominari: idque patere demonſtrat ex notis *Henr. Valeſii* ad Socr. hiſt. Eccl. VII. 25. qui ibi inſcriptionem in monumentum Attici, ex Anthologia Conſtantini Cephalæ nondum edita profert, quod in Ienſianis n. 91. legitur, & hanc pertinere ad ἐκφραστικὰ Conſtantini Cephalæ, quæ ſeparatum caput conſtituiſſe, & ſepulcralia excepiſſe, eſt veroſimillimum. Sunt autem ἐκφραστικὰ ea, quæ continent rationum alicuius rei expoſitionem. Continuavit etiam in Ienſianis V. Cl. numeros ſuos; tamen, ne quid impedimento eſſet, additis numeris Ienſianis.

In præfatione libri, hiſtoria huius ineditæ & editæ Anthologiæ breviter a V. Cl. explicatur. Eorum enim, qui ad nos pervenerunt, Anthologiæ collectorum, vetuſtiſſimus fuit *Meleager* Godarenus, ſeculo ferme a C. N. geminæ Anthologiæ conditor; cum minoris, quæ puerorum amores caneret, tum maioris, quæ res & caſus pæne omnes complecteretur. Deinde Meleagrum imitatus eſt *Philippus* Theſſalonicenſis, Adriano Aug. æqualis, qui maiorem Meleagri Anthologiam auxit. Hunc excepit *Strato*, quem V. C. ab aliis doctis diſſentiens, ad Severi Aug. ætatem deprimit, quique Muſam minorem puerilem non quidem condidit, ſed a Meleagro conditam locupleta-

pletavit, ut, Meleagri nomine eiurato, in huius titulum & peculium tranſiret. Poſt eum *Agathias*, ſexti ſeculi homo, maiorem a Philippo auctam locupletavit, idemque magiſtris in ordinandis carminibus diverſus, poetarum nomina, non ad alphabeti ordinem, ſed ad ſeptem argumenta & materias diſponens.

Poſt Agathiam fuere duo, eundem diſponendorum carminum ordinem ſecuti, *Conſtantinus Cephalas*, & Maximus *Planudes*, quibus omne debemus, quod ex Anthologiis Meleagri, Philippi, & Agathiæ hodie ſupereſt. Planudes ſec. XIII. non auxit, ſed exſecuit veterem anthologiam, i. e. pudendis carminibus mulctavit. Quod quidem conſilium eum non per omnia exſecutum fuiſſe, apparet ex multis carminibus eius Anthologiæ, Muſæ Stratonis ſimillimis. Sed multo tamen locupletiorem exhibuit, quam Conſtantinus Cephalas noſter, tribus ſeculis illo vetuſtior, qui interdum pauca tantum e vetuſtis Anthologiis excerperet, adeoque maximam Planudæ meſſem relinqueret; ſed & interdum augeret, quod apparet ex nominibus Poetarum Agathia recentioribus, & ex quibusdam carminibus Cephalæ, quæ in Agathiæ collectione Goetziana, & ea qua uſus eſt Kuſterus, non inveniuntur. Neque tamen probabile eſt, Planudem & Cephalam, omnes Meleagri, Philippi, & Agathiæ operis partes tradidiſſe: nam præfationes Meleagri & Philippi nomina poetarum edunt, quæ in his nuſpiam apparent, niſi ea in formulis, carminibus præfixis, *ἄδηλον, ἀδέσποτον*, ſepulta iacere putemus.

Hanc itaque Conſtantini Cephalæ Anthologiam, cuius particulas quidem paſſim docti ediderunt, & cuius edendæ ſpes ſæpe a multis, & nuper a Cl. Dorvillio cum adhuc viveret fruſtra facta eſt, V. Cl. Reiskius noſter totam edidit, quantum eius exſtat in Codice urbis Lipſienſis publico; quo quidem unico, eoque valde corrupto, uſus eſt. Qua in re vehementer optandum, ut conſecutus eſſet, quod vehementer per litteras laboravit, Codicem Pauwianum a Cl. Weſſelingio, & ab eminentiſſimo Cardinali Quirino collationem Cod. Vat. e quo cum alii omnes, tum Codex Lipſ. manaſſe videntur.

 Nihi-

Nihilominus tamen multum & egregie in veteri lectione reſtituenda verſatus eſt, quod eo minus fraudi eſſe poteſt, cum in commentariis ſemper C. L. lectionem indicet, ne in veterum dictis coniecturas ſuas pro Codicum lectione venditaret, quod notavit V. Cl. in Salmaſio, qui in brevi carmine, quod Eroticis Achillis Tatii præpoſuit, & quod in Ienſ. n. 32. legitur, tres coniecturas ſuas, non adeo neceſſarias, exhibuit, codicum lectione ſuppreſſa.

Plerumque autem in hac editione omiſſa ſunt ea carmina, quæ iam extant in Anthologia edita, vel in Callimacheis, & Diogene Laertio, vel quæ ſæpius edita & notiora ſunt; interdum etiam alterum ex duobus, quæ eiusdem ſunt ſententiæ, ne lectori faſtidium creetur; denique ea, quæ nimis longa pro epigrammatibus forent, e quo genere eſt 622. Meleagri præfatio ad collectionem epigrammatum, quod iam extat apud Vaſſorem, it. Fabr. Biblioth. Gr. T. II. & Martinum in Epiſtolis; item Pauli Silentiarii Ecphraſis Eccleſiæ magnæ apud Conſtantinopolin, & alia eiusmodi, quæ extant in ſepulcralibus C. L. quæ ſine dubio a Bibliopego folia turbante, ut & alia ſæpe loco ſuo ſunt translata. Nihilominus tamen V. Cl. in commentariis nomina eorum, qui ediderunt, indicavit, & numeros C. L. ſervavit, & ſi opus videretur obſervationibus novis quibusdam illuſtravit.

Actum ageremus, ſi, quantam laudem V. Cl. Anthologia hac edenda meruerit, ab omni Anthologiæ utilitate repeteremus. Etſi enim non ſubſcribimus Emmanuelis Martini, Hiſpani, iudicio, quod eſt in quadam epiſtola ad Alexandrum Zandadarium, cum dicit: „Anthologia vix aliquid ad nos perveniſſe antiquitatis eruditæ monumentum, vel utilius, vel illuſtrius": conſentiunt tamen de eius præſtantia virorum doctiſſimorum temperantiores laudes, & omnium ætatum in colligendis & ſervandis epigrammatibus ſtudium, non ad vanas quasdam res, ſed ad antiquitates, hiſtoriam, & omnes litteras elegantiores pertinens. Et vel ad hanc doctrinæ partem accuratius tractandam, excitabunt lectorem hi flores ex omni antiquitate decerpti, & eximia doctrina Editoris Cl. in ea egregie

gie

gie verſata. Delectabit itaque lectorem ſtatim primum carmen ſ. 397. ubi gemma, cui ſacra Bacchi inſcripta ſunt, τελετὴν πολύμορφον habere dicitur, ſi ablegatur ad gemmas aere excuſas, quæ paſſim occurrunt, v. c. in fronte Perſii a Caſaub. curati, ubi alii clamant Evoe Bacche, alii fiſtulis canunt, alii thyrſos quatiunt, alii alia agitant. Retinebitur lector, ſi n. 407. θρῖναξ ruſticorum vocatur χεὶρ θέρευς, de quo quidem multæ ſunt doctorum etiam contortæ interpretationes; optime tamen illuſtratur, cum ex edita Anth. ubi p. 419. tridens nominatur ξύλιναι χεῖρες ἀρουροπόνου, tum ex tridente aere cælato, quem videre licet in Heſiodo Clerici p. 261. ubi λικμητήριον non quidem trinis, ſed quinis radiis, manui fere ſimilis conſpicitur, quocum frumentum humo attollatur, & ab auris adverſis paleæ a frumento diſſipentur, quod exprimat & h.l. epitheton παλινουροφόρον. Itaque cum crucem figeret interpretibus, hic explicatur per ἐξ ἐναντίας τοῦ ἀνέμου φερόμενον, vento adverſarius tridens. Quamquam non negandum eſt, in brevibus hiſce carminibus, ſæpe impeditas latere antiquitates, & incertis tantum coniecturis niti; ut 500. cum nominantur dona Mercurio a Callitele quodam donata: ex iis V. Cl. colligit, Callitelem fuiſſe ludi gymnaſtici aut magiſtrum, aut certe frequentatorem; quia dedicat pileum, quem repando orbe geſtabant gymnaſtæ, ſolis ab oculis arcendi gratia, quod ſub dio verſarentur; fibulas, ut veſtes, quibus verendæ partes velarentur, adſtringerent; ſtrigile, quod oleo ungerentur luctantes; arcum, quem in gymnaſiis diſcebant tendere, & metam ferire; veſtes inquinatas oleoſo muco; ſchidia ligni, quæ videntur fuiſſe rudes, quibus batuebant qui gymnaſium colerent; pila, quæ pars erat exercitationum gymnaſticarum; quia denique hæc omnia nominantur dona φιλευτάκτου ἐφημοσύνης, imperii vel regiminis boni ordinis amantis. Ita cum 767. (Ienſ. 116.) commemoratur ritus quidam Philopragmonem heroem colendi, quo qui grave negotium expedire vellent, antea de eius ſucceſſu ex Philopragmone quærerent; hic autem Philopragmon dicitur in Edit. Ienſ. πρόσθε ποτ' ἰδαίης κείμενος, repoſuit V. Cl. uno verbo

ποτι-

ποτιδάιης, & hunc ritum Potidæatis patrium fuiſſe colligit. At rerum ignari poterant de Potidæatis dubitare, cum V. Cl. ex nullo alio Scriptore hanc emendationem confirmet.

Ad proprias potius huius libri, & Editoris doctiſſimi, virtutes feſtinabimus. Primum itaque in Cod. L. corrupto ut diximus, nomina propria non ſolum Poetarum carminibus paſſim præfixa, ſed & aliorum ſæpe non ſolum manum criticam, ſed & uberiorem expoſitionem deſiderabant. Quo in loco arduo ſæpe maximam diligentiam adhibuit V. Cl. cum in commentariis, tum in indice ſeparato, quem „notitiam poetarum Anthologiæ Cephaleæ" appellat, ex ipſo contextu, & ex aliis editæ Anthologiæ carminibus, characterem temporis, & verum poetam inveſtigando. Neceſſe hic tamen erat, interdum ex uno duos diverſæ ætatis facere: ideo, præter veterem Simonidem alium iuniorem, quippe qui n. 470. commemoret ſacra Gallorum, quæ demum poſt Olymp. 125. cum barbaris illis in Græciam translata ſunt, & qui in edita Anthologia multa recentioris temporis prodat. Quo in loco mirabamur imperitiam librarii, aut quisquis illa nomina appoſuit, qui, quod de veteri illo celeberrimo Simonide non cogitaret, nullo epitheto aut additamento illum ab hoc diſtingueret. Veterem Simonidem V. Cl. non cum Fabric. B. G. Olympiad. 78. obiiſſe contendit, cum celebret duobus carminibus felicem Athenienſium contra Perſas pugnam, duce Cimone, quæ contigerit anno tertio Olymp. 82. Aliis locis emendat, ut 446. Θυηλαος, quod erat in C. L. pro quo mavult *Ευηνος* aut melius Θάλλος, poetarum nomina nota, reſtituere. Eandemque conſuetudinem, nota nomina revocandi, ſervat etiam in aliis, ut 702. (Ienſ. 52.) ubi Ienſius *Βιώ*, unde Heringa *Βιὼ*, ſed V. Cl. *Βιτὼ*, non infrequens feminarum nomen; 704. Ienſ. habet Θυμωλης, quod vertit in Θυμοκλῆς, nonnulla probabilitate; quamquam concedit, multa rara in nominibus propriis eſſe, & multa ab imperitis græculis inprimis in inſcriptionibus perturbata, ut in C. L. 414. *χερεδαϊλοχος*, ubi margo C. L. ſuadet *Δαίλοχος*; itaque cum ibidem v. 3. occurrat *γυγερωχερεδαιλοχος*, non improbabili coniectura mutat in *Βριαρεὼ χέρε Δαίλοχος*. Cor-

Digitized by Google

Corruptelas Cod. Lipſ. cum alia, tum & hoc, ut putamus, illuſtre exemplum demonſtrat n. 636. ubi in carmine Leonis pagani cuiusdam philoſophi occurrit *γενετήσιος ὁρμὴ*, de quo V. Cl. ait, ſi ſit ſanum, non eſſe peccatum originale, ſed illam nemini non facile deprehendendam ad mala propenſionem. Itaque ſæpe ignorantiam profiteri coactus eſt, ut 586. uno diſticho conſtans, ſic erat in C. L.

οἰνοβόρον Βακχή με κατέκτανε θηροτρόφον πρὶν
ἐ κρίσει ἐν ςαδίοις, γυμνασίοις δὲ κλυταῖς.

ubi nil attingit, niſi primam vocem, optando *οἰνόμορον* infelicem; nos coniiciebamus, *αἱμοβόρον*, ut melius reſponderet τῷ *θηροτρόφον*. Eodem modo verſatur in quibusdam ante eum iam editis. Nam 481. eſt in C. L. *ὄχναι ὑελοκυκάδες*, Kuſt. ad Suvid. in voce. *Γελγίδες*, habet *ὑελακυκάδες*, ſine dubio deſperans de hoc verbo, cum nil moneat; & Suidas hanc forte ob cauſam omittit. Editor doctiſſ. emendat per *ὑετοκυκάδες*, pyra aquoſa, tanquam *ὑέτῳ κυκώμεναι*, quamquam nec huic emendationi magnopere confidit; quapropter ſæpe ea modeſtia utitur, ut lectionem C. L. aut Ienſii retineat, in latina tamen interpretatione aliud quidpiam, quod proxime ad litteras accedit, referat.

Sed age videamus alias, egregias, elegantes, facilioresque emendationes, tum in carminibus C. L. tum in Ienſianis etiam valde corruptis, ut 770. (Ienſ. 119.) Hippocrene & Aſopus, tam apud Ienſ. quam alios editores, dicuntur *δῶρα ἵππε καὶ ποταμε̃*, at V. C. *ἵππε τε̃ ποτανε̃*, equi alati: 714. (Ienſ. 64.) naufragium factum dicitur ſecundum Ienſ. *μέσος Εὔβοε καὶ Δειλοιο*, pro ultima voce Heringa *νείλειο*, ergo fuerit inter Ægyptum & Thraciam; ſed nimis vaſtum eſt ſpatium, itaque melius V. C. ſcribit *σύρε καὶ Δήλοιο*, inter quas inſulas anguſtum eſt ſpatium. His addamus 458. in C. L. & apud Salmaſium Exercit. Plin. p. 73. qui ibi hoc carmen edidit, mons Ætna audit *ὀρεινόμος*; ſed cum nihili ſit mons montes depaſcens, V. D. repoſuit *πυρονόμος*. Eodem carmine, apud eosdem, anus quædam clauda dicitur *τετρωμένη*, cum ſententia flagitare videatur *πεπηρωμένην*; quod cum metro repugnet, mavult

τετρυμένη, exhauſta, confecta, cum *τραῦμα* de vitio vi externa, & cum ſanguinis iactura facto, dicatur; arriſerit ſane hæc coniectura, inprimis ſi ex ipſo carmine melius conſtaret, iſtam anum interno vitio claudam fuiſſe. Deinde in fine eiusdem carminis hoc elegans V. C. attulit, quod forte quibusdam nimis ſubtile aut græcum videatur, cum iſta anus aſperſione calida Ætnea narratur pedes confirmaſſe ſic: *ἀμφίχωλον ἀτρεμὲς σκέλος*, quod ſententiæ repugnat, niſi interpreteris *ὥςε εἶναι ἀτρεμὲς*, quod cum V. C. diſplicuerit, repoſuit *ἀδρανὲς*.

Hoc enim V. C. qua pollet græcæ eruditionis elegantia, ſpectavit, ut deformia & tortuoſioris ſenſus dicta magis ad elegantem rationem conformaret; ut in carmine Archiæ poetæ 461. in C. L. & Küſt. ad Suid. v. *κεκρύφαλος*, femina inter alia inſtrumenta muliebria Veneri dedicat flabellum; verba ſunt: *Ἀντίκλεια νόθον κεύθουσα νόημα ῥιπίδα τὰν μαλερὸν θάλπος ἀμυνομέναν.* Pro verbis *νόθον κευθ.* v. mavult *νόθον τευχοῦσαν ἄημα*, cum, quid ſit *νόθον νόημα* non intelligat, niſi forte hoc dicere velint, quo vultum abſcondit, furtim, quos vult, aſpiciens. Itaque nec tulit in eodem poeta 574. in C. L. & Küſt. ad Suid. v. *ποιφύζω* & v. *τηθὺς*, inficetam balbutiem *πολυψάμμους ψαμάθους*, quaſi dicere liceat arenoſa arena, eligit autem *πολυψάλμους*: quamquam alibi, inprimis in carminibus vilibus, & a recentioris temporis poetis confectis, in eiusmodi emendationibus dubitat, quale eſt 628. C. L. *τύμβος - - ἱεροφάνταν κρύπτει - - - κρυπτόμενον.* Salmaſius, pro voce ultima *θαπτόμενον*; ſed V. Cl. pro priori *κρύπτει* emendat *βρίθει*, in commentariis tamen fere a partibus Leichii ſtare videtur, qui ex hoc carmine ieiunos ſæpe fuiſſe poetas demonſtrare voluit.

Quod cum videret V. C. & iudicaret, in Veterum Codicum lectione, ſi fieri posſit, non ſemper emendatione utendum eſſe: ipſe interdum C. L. contra alios defendit. Nam 557. Anacreon nominatur *κοίρανος κώμου καὶ πίστης πανδοκίης*, ubi in marg. „*παννυχίδος* Salmaſius; quam coniecturam, quia facilis, & elegans, & bene *τῷ κώμου* conformata erat, Heinſius ſuo more ſibi arrogaverat: at V. Cl. retinet *πανδοκίης*, & expli-

plicat ſic: cui nulla taberna quicquam neget, cui omnes ſerviant, quem omnes colant; ſenſu nobis paulo diſſiciliori. Sic 535. *ψῆκτραν δονακῖτιν*, quod Kuſt. ter ad Suid. laudat, ſemel *ψ. ακόιτιν*, bis *ψηκ. ἀκίτιν*: & quamquam in ſuo codice legit *δονακῆτιν*, tamen *ακῆτιν* mavult ſic: pro *καὶ ψῆκτραν δανακῖτιν*; *καὶ τὰν ψῆκτραν ἀκῆτιν*: quod, cum non ſolum etymologiæ adverſari, ſed & a verborum collocatione eleganti abeſſe videatur, V. Cl. retinet lectionem C. L. & explicat ſic: cotis arundinea, ſ. arundo ita facta, ut forma cotim referat, eundemque quem culter raſorius uſum præſtet; niſi ſit forte arundo acuta, qua reliquiæ ſaponis & aliæ ſordes detergerentur. Tamen raro V. Cl. partim quia ipſe elegantiæ ſtudioſus eſt, partim quia codex corruptiſſimus erat, hac ratione uti potuit, aut voluit.

Adiumento erant Edit. doctiſſ. D. Schedæ Dorvillianæ, quibus uſus eſt, in quibus adſcriptæ ſunt interdum variæ lectiones Cod. Menagiani, cum brevibus coniecturis & explicationibus, quas coniicit eſſe Guyeti, ob ſignum CT illis adiunctum; ſed rariores ſunt iſtæ annotationis in illis ſchedis. Eo frequentiores erant in ipſo Cod. Lipſ. gloſſæ marginales, quæ interdum Salmaſii nomine inſcribuntur, aut ab eo natæ eſſe putantur. Ex quibus quædam non ſunt ſpernendæ, quædam vero tanto nomine indignæ, & ſine dubio ab illo alienæ. Ad illas referas, quod paulo ante commemoravimus: ad has v. c. 462. C. L. *τῆ μικκῆ μενάλην χάριν ἀντιμερίζου*, in marg. autem *μὲν ὅλην*; ſed ſine dubio, ut V. Cl. conjicit, debebat eſſe *μεγάλην*, opponitur enim *τῷ μικκῆ*. Eiusdem valoris eſt 616. *εὐόρνιθι τανάγρας οἰωνὸς βλαστῶν*, margo ſuadet *πανάγρας*: imperite, noti enim ſunt Galli Tanagræi, & ſine dubio Salmaſ. *τανάγρας* non mutavit, quod patere videtur ex eius Exercit. Plin. p. 859. ubi nonnulla ex hoc carmine afferuntur.

Neque vero reformidat V. D. iras eorum, quos proſodiaſtas nominat, qui in Poetis metri rationem diligentem haberi velint; quam ob rem, non ſolum quæ in C. L. & Ienſio contra legem Pediam peccata invenerat, ſæpe defendit, ſed & ob

ſenſus facilitatem nova admittit. Nam v. c. 620. in C. L. & Leichio ex eo, vocem *κελαίνα*, in his verbis:

- - - ἀλέκτωρ
ἐς τὶ κελαίνα σκαπτροφόρος πτέρυγι καλαίνα.

Leichius vertit, fuſca. Cod. Palat. habet *ἔςα κελαίναι*, Dorv. edidit (v. Vann. Critic. p. 139.) *ἔςα καλλαίνα*, & vertit „adſtat purpurea ala ſceptrum gerens", alii *καλλαίνος* coeruleus interpretantur. Sed cum V. Cl. non placeat, hic in marmore ſepulcrali de colore cogitari, edidit *ἔςακε λαίνα*, ut ſit ala lapidea, figura e ſaxo expreſſa, cum cæſura ε producat, nec metuenda ſint ſomnia proſodiaſtarum de voce *λάϊνος*. Sic quum 736. (Ienſ. 85.) Ienſius habeat:
χεῖμα δέ μιν προφυγόντα γαληναίω ὑπ' ὀλέθρω
ἔκτανεν, V. D. emendat: *γαλήνη αἰνῷ ὑπ' ὀλέθρῳ*, ex perſuaſione, *η* ante *αι* corripi.

In his autem mire perturbatis carminibus, facile colligi poteſt, Viro tanti ingenii varia ſæpe ſuccurriſſe, multa olim probata ab eodem iterum damnata fuiſſe, eundem in aliis dubitaſſe. Quam ob rem ingenii egregii ſpecimen facturus, uno in loco ſæpe doctis varias coniecturas diluendas propinat: itaque quum 397. C. L. habeat *τρηχῖνα πολύλλυτον*, Holſten. & Kuſt. *πολύλλιθον*; V. Cl. putat agrum quidem ſaxis obſitum poſſe *πολύλλιθον* vel potius *πολύπετρον* dici, at non pari modo iugum ſaxeum montis, ergo reponit *πολύῤῥυτον*, fontium & rivorum uberem; quam quidem coniecturam probabiliorem putat, quam alias ab eodem propoſitas, ut *πολυπτύχον* multos receſſus habentem, *πολύκλιτον* multas valles habentem. Ad 492. C. L. *βαθυῤῥαίνοιο τάπητος ἔνδυτον*, Kuſt. vult *βαθυῤῥήνοιο*, & vertit longis villis: ſed V. Cl. vult aut *βαθυῤῥήγοιο*, a *ῥῆγος*, quod eſt *εἷμα βεβαμμένον*, forte etiam color ſic dictus fuit, & vertit, profunde tinctus vel coloratus; aut *βαθυῤῥαίνοιο*, a *ῥαίνειν*, quod eodem recidit; aut *βαθυῤῥοίοιο*, pro *βαθυῤῥόου*, amplæ, late fuſæ: poſtremum hoc in latinis expreſſit.

Neque vero mirum eſt, V. Cl. easdem in Ienſianis difficultates, quas in C. L. devorandas fuiſſe. Ienſius enim, quamquam

quam iſtis carminibus edendis par, egit tamen rem eo modo, ut, cum codice uſus ſit perquam mendoſo, ſchedis fere ſuis contentus fuerit, nulla ſua adhibita diligentia. Quo factum, ut viri docti contentione quaſi laborarent, de carminibus his priſtinæ integritati reſtituendis, in quibus inprimis fuere duo eruditiſſimi, Rhunkenius & Heringa. Horum itaque inventis uſus eſt V. Cl. addens ſi videbatur de ſuo. Negligentiæ Ienſii ſpecimen vel hoc unum adduxiſſe ſuffecerit, cum 662. (Ienſ. 11.) Ienſius daret τρoκτὰς τόκȣς, & in ima paginæ ora lectorem moneret, in Cod. MS. fuiſſe τρωκτὰς, quod tamen, accentus habita nulla ratione, probum eſt; dicuntur enim τόκοι τρῶκται, quia facultates mutuum accipientis carpunt & arrodunt.

Epigrammatibus V. Cl. ſubiecit verſionem; quæ, cum interdum a græcis verbis recedat, in commentariis vindicatur. Eius quidem hic ſpecimina dare longius foret, ut & explicationum, quarum indolem vel ſuperiora declarare poſſunt, & quas in miris verbis ſæpe duriuſculas eſſe neceſſe eſt, ut 531. ficus μελαντραγὲς, mira compoſitione ſignificans μέλαινα καὶ ἐπιτήδεια πρὸς τὸ τράγειν; aut quæ duplicem interpretationem admittere videntur, ut 529. ἀγρεῖφναν κενοδόντιδα Noſter per raſtrum, cuius dentes non ſint ſolidi, ſed diſtantes a ſe, & interiectis vacuis ſpatiis diſtincti, quod forſan non tulerit Kuſterus, qui ad Suid. v. ἀγρεῖφνα, per raſtrum dentibus vacuum reddit. Ipſi autem commentarii non eadem qua carmina pagina, ſed in fine operis conſtituti ſunt, copioſiores procurrentes, & varia doctrina repleti. Denique accedunt indices poetarum, & carminum, tam Muſæ puerilis a Viris doctis editorum, quam Vocum Anthologiæ Conſtantini Cephalæ, unde quæque carmina ordiantur.

Non eſt neceſſe, in laudes Editoris doctiſſimi excurrere, cuius excellentem doctrinam, & ingenium ſubactum, omnes norunt, ſcriptaque teſtantur; & quem omnino huic Anthologiæ edendæ parem fuiſſe docti profitebuntur, quod & vel hoc, quod inde ſpecimen exhibuimus, teſtatur. Huius Viri ſi doctrinæ fortunæ ſucceſſus reſponderint, elegantiores literæ magnum adiumentum habebunt.

 HI-

Digitized by Google

HISTOIRE LITTERAIRE DU REGNE DE LOUIS XIV.

i. e.

HISTORIA LITTERARIA REGNI LUDOvici XIV. inſcripta regi, auctore domino ABBATE ALBERT.

Pariſiis, apud Prault, filium, Guillyn & Quillau. Vol. I. Alph. 3. pl. 6. Vol. II. Alph. 2. pl. 17. Vol. III. Alph. 2. pl. 11. quart. mai.

Quotquot rerum, patrum memoria geſtarum, non prorſus expertes ſunt, ſcire omnino oportet, florentiſſimum fuiſſe litterarum in Gallia eo tempore ſtatum, quo Ludovicus XIV. imperavit, tantamque, ſingulari erga politiores muſas earumque alumnos favore, comparavit gloriam æternis præſtantiſſimorum virorum monimentis, poſteris commendatiſſimis, quantam heroicæ virtutis laudem glorioſis de hoſtibus triumphis eſt conſequutus. Quæ ſi reputamus, facile intelligitur, haud indignam liberali homine operam ſuſcepiſſe Rev. Auctorem, qui felicitatem temporum Ludovicianorum ſingulari opere celebrare inſtituit. Singulæ eius rationes ante a nobis ſunt enarrandæ, quam de illis dicamus ſententiam. Quum non eædem ſint artes & diſciplinæ, in quibus ornandis augendisque doctisſimi viri, Ludovici ævo clari, elaborarunt, diſcrimen illarum in cauſſa fuit, cur in XIV. claſſes illas diſpeſceret, ita ut totidem libris, non ſolum generatim ſingularum ſtatum & incrementa, ſub Ludovico facta, deſcriberet; ſed etiam ſpeciatim de vitis eruditorum, qui illarum laude floruerunt, ageret diligentius. Hunc igitur quum tenet tractandi ordinem, æque totius operis ac libri *primi* initium fecit a commentatione de acceſſionibus, quas ſanctioris diſciplinæ partes ea tempeſtate fauſto omine ceperunt.

Non ſine cauſſa monet, diuturna ac gravisſima bella, quæ ſectatores pontificis Romani contra Calvini adſeclas geſſerunt, in cauſſa fuiſſe, ut plures Ludovici ætate exſiſterent Theologi. Comprobavit hæc illuſtrium virorum exemplis, qui modo ad theo-

Digitized by Google

theologiam exegeticam explicandam; modo ad colligenda conciliorum & priſci ævi monimentorum volumina, & interpretanda patrum effata; modo ad ſacras controverſias agendas componendasque; modo ad theologiam ſcholaſticam ab abſtruſis metaphyſicorum quæſtionibus purgandam; modo ad theologiam moralem, & iuris canonici effata enarranda, ſtudia ſua contulerunt. His adiecit elogia hiſtorica Theologorum nobiliſſimorum, nominatim *Iacobi Sirmondi*, *Ioannis Petri Camus*, *Dionyſii Petavii*, *Iacobi Goari*, *Ioannis Morini*, *Ioannis Frontonis*, *Petri de Marca*, *Blaſii Paſchalis*, *Theophili Raynaldi*, *Amabilis de Bürzeis*, *Petri Allemantii*, *Ioannis Nicolai*, *Imman. Maignani*, *Ioannis Launoii*, *Franciſci Combefiſij*, *Ioannis Garnerii*, *Lucae Dacherii*, *Godfridi Hermantii*, *Antonii Arnaldi*, *Petri Nicolii*, *Lud. Thomaſſini*, *Ludovici Ferrandi*, *Ioannis Gerbaſii*, *Antonii Pagii*, *Ioannis de Bouthilier de Rance*, *Iacobi Benigni Boſſueti*, *Paulli Pezroni*, *Ioannis Gisberti*, *Claudii Fraſſenii*, *Richardi Simonis*, *Franc. Fenelonii*, *Bernardi Lamii*, *Guilielmi Witaſſii*, *Stephani Baluzii*, *Ludovici Ell. Dupin*, *Michaelis le Tellier*, *Euſebii Renaudotii*, *Petri Dan. Huetii*, *Natalis Alexandri*, *Petri le Brun*, *Simon. Gourdani*, *Ioannis Harduini*, *Michaelis Lequien*, *Renati Ioſephi Tourneminii*, *Edmundi Martene*, *Caroli Dupleſſis d'Argentre*, *Bernardi Montfauconii*. Libro *ſecundo* præmiſſa eſt diſſertatio, de fortunatiori eloquentiæ ſacræ ſub imperio Ludovici XIV. ſtatu, qua ſatis magnifice de illis, qui eo tempore ſacras orationes recitarunt, ac typis deſcribendas curarunt, prædicat, quod & verborum gravitate, & dictionis elegantia, ac ſuavitate & pondere, eos, qui ætate illis fuerunt ſuperiores, ſuperaverint. Orationes funebres inprimis laudat, quod earum auctores tam temperato uſi ſunt dicendi genere, ut nihil prætermitterent, quod ad commendandos mortuos faceret; nec quidquam, perſona doctoris ſacri indignum, proferrent. In hanc claſſem retulit *Harduinum Perefixium*, *Ioann. Franc. Senault*, *Claud. de la Combierre*, *Ioann. Ludovic. de Fromentiéres*, *Timoleon. Cheminais*, *Iul. Maſcaronium*, *Ludovic. Bourdaloüe*, *Eſpr. Flechier*, *Coſm. Rogerium*, *Ioann. de la Roche*, *Fabio-*

Digitized by Google

Fabionem Brulartum de Lillery, *Matth. Hubertum*, *Carol. de la Rüe*, *Petr. Franciſcum d'Arerez de la Tour*, *Honor. de Quiqueran de Beujeu*, *Anton. Anſelmum*, *Ioann. Paull. Bignonium*, *Ioann. Bapt. Maſſillonium.* Sequitur liber *tertius*, eloquentiæ civili, ſive potius forenſi æque ac iuris prudentiæ conſecratus. Utriusque acceſſiones ſub Ludovico factas, præcipuum ornamentum denuo illi additum, in eo poſitum eſſe cenſet doctiſſimus A. quod cauſſarum patroni, in conficiendis orationibus, abſtinuerunt citandis veterum ſcriptorum, tam divinorum, quam profanorum, effatis. Maioris momenti nobis videtur laus, quam mira facultate vera a falſis diſtinguendi, & veræ dialecticæ leges obſervandi, eos ſibi comparaſſe memorat. Iuris Romani, quod antea ex Gallia quaſi proſcriptum erat, vindex fuit Ludovicus, qui placita eius in academiis explicari iuſſit. Nec minus de iuſti & æqui diſciplina optime meritus eſt, quum codicem Ludovicianum promulgaret. Qui utroque litterarum genere excelluerunt, commemorantur: *Petr. Puteanus*, *Hieronymus Bignon*, *Pomponius Bellievraeus*, *Antonius le Maiſtre*, *Carolus Annibal Fabrottus*, *Claud. Henrys*, *Carolus Feuret*, *Lud. le Grand*, *Claudius Gautier*, *Petrus Seguier*, *Barthol. Auzanet*, *Guil. de Lamoignon*, *Ioann. Maria Oliverius Patru*, *Mich. le Tellier*, *Roland. Vayer de Boutigni*, *Franciſc. de Roye*, *Ioannes Boſcager*, *Gabriel Gueret*, *Ioannes Duiatius*, *Bonav. de Fourcroy*, *Franciſcus Pinſſon*, *Petr. Heuin*, *Ioann. Damatius*, *Iacobus de la Lande*, *Steph. Gabr. de Riparfont*, *Chriſt. Franc. de Lamoignon*, *Petrus Taiſand*, *Claud. de Feriére*, *Philib. Colletus*, *Nic. Ioſ. Foucault*, *Marchion. d'Argenſon*, *Nic. de la Mare*, *Henr. Baſnagius*, *Michael Pelletier de Souzy*, *Guil. Blancardus*, *Claud. Pocquetus de Licconniére*, *Hieronymus Bignon*, *Barth. Ioſeph. Bretonnerius*, *Euſeb. Iacobus de Lauriere*, *Matth. Terraſſon*, *Petr. Iac. Brillon.* His nonnulli adiuncti ſunt, de quorum vita brevius diſſerendum fuit, quod pauca admodum de illis tradita ſunt, nimirum: *Renatus Pageau*, *Auguſtinus de Haguais*, *Poucet. de Montauban*, *Vautier*, *Nivelle*, *le Verier*, *Nouet*, *Sachot*, *de Gaumond*, *Caſp. Thaumas de la Thaumaſſiére*,

Digitized by Google

ſiere, Iulian. Brodeau, Steph. Bardet, Martinus Huſſon, Claud. Ioly, Ioann. Franciſc. de Haguais, Carol. Barrin, Audemar. Talon, Dionyſius Talon. *Quarti libri* ampliſſimus eſt campus, quo hiſtoricorum elogia continentur. In quibus deſcribendis cel. A. multum adiutum ſe a *Lengleto du Freſnoy* grata mente profitetur. Brevis eſt commentatio præliminaris, qua utiliſſimi litterarum generis, cui illi ſeſe addixerunt, incrementa commendantur. Comparavit illa ſtudia doctorum virorum, Ludovico XIV. æqualium, cum antiquioribus & recentioribus, quantumque *Thuano* inferiores fuerint *Gregorius Turonenſis, Eginhardus, Ioinville, Froiſſardus*, ceteri; tantum illum ſuperiorem exſtitiſſe *Brantomio, Gramondo*, aliisque, pronuntiat. Laudem, quam Thuanus Gallorum genti conciliavit, non ſolum conſervaſſe, ſed etiam auxiſſe cenſet viros doctos, de quibus diligentius diſputare inſtituit. Laudavit ergo *Theodorum & Dionyſium Gothofredos, Scipion. Dupleix, Hier. Vignier, Petr. de Boiſſat, Ioann. Silhon, Phil. Labbeum, Anton. Godeau, Ioann. le Laboureur, Henr. Valeſium, Franc. Boſquetum, Carol. le Cointe, Franc. Eudes de Mezerai, Gerard. de Cordemoi, Ludov. Maimburgium, Claud. Vichard. de S. Real, Adrianum Valeſium, Melchiſ. Thevenotium, Paull. Peliſſon. Fontanerium, Rogerium Rabutinum Comitem de Buſſy, Anſelmum de Virgine Maria, Honorium Caille a. Fourny, Angelum de S. Roſalia*, qui coniunctis viribus *hiſtoriam genealogicam domus regiae* ediderunt: *Ludov. Sebaſt. Nainum de Tillemont, Petr. Ioſeph. d'Orleans, Urbanum Chevreau, Adr. Bailletum, Ludov. Couſin, Ioann. Mabillonium, Franc. Timoleont. de Choiſy, Iacob. Quien de la Neuville, Gabr. Danielem, Ludov. le Gendre, Renat. Aub. de Vertot.* Accedimus ad librum *quintum*, quo de philoſophis, phyſicis, mathematicis, artisque geometricæ ac aſtrorum ſcientiæ peritis, aliisque huius generis, diſſeruit. Præfixa ei eſt commentatio, de diſciplinarum, quibus memorati viri ſtudia ſua addixerunt, felicitate; pauca tamen exponit præter laudes Ludovici XIV. quod mirifica liberalitate labores adiuverit, quos ad ornanda inſtituta maxime aſtronomica Pariſienſia, ſatis celebria, adhibue-

buerant. Ex eorum numero, qui philoſophicarum litterarum ingenti laude floruerunt, celebrantur a cel. A. *Marinus Merſennus, Renatus Carteſius, Petrus Gaſſendus, Petrus Deſermat, Blaſius Franciſcus Comes de Pagan, Ignatius Gaſto Pardies, Iacobus Rohault, Claudius Franciſcus de Challes, Iſmael Bullialdus, Paullus Hoſte, Franciſcus Blondellus, Edmundus Mariotte, Guilielm. Amontons, Ioannes Baptiſta Duhamel, Petrus Silvanus Regis, Sebaſtianus de Vauban, Ioann. Matthaeus de Chazelles, Ludovicus Carre, Ioann. Dominicus Caſſini, Nic. Malebranchius, Ioſeph. Sauveur, Antonius Parent, Iacobus Ozanam, Bernardus Renau, Phil. de la Hire, Petrus Varignon, Nic. de Malezieu, Carol. Reyneau, Seb. Truchet, Thom. Fantet de Lagny.* Liber *ſextus*, in quo conficiendo *Laurius*, medicus Pariſienſis, doct. Auctori opitulatus eſt, arti ſalutari dedicatur, cui ævum Ludovicianum inprimis fauſtum fortunatumque exſtitiſſe, commentatione præliminari demonſtratur. Quamvis enim ſeculo iam XVI. multum lucis ac dignitatis arti medicæ, ex monimentis Græcorum, Hippocratis, Galeni, Aretæi, aliorumque, quæ tum in locum ſcriptorum Arabum ſuffecta fuerunt, acceſſit: multa tamen adhuc deſiderabantur, propterea quod Galli, ſuperſtitioſo fere cultu ea proſequebantur, quæ de rerum natura Ariſtoteles, de corporis vero humani ſtructura Galenus præceperant; nimium quoque Aſtrologiæ iudiciariæ tribuebatur, uſusque chemiæ prorſus ignorabatur. Præclare ergo de utiliſſimo litterarum genere meriti ſunt, qui liberalitate Ludovici excitati, partim phyſicæ experimentali, chemiæ, anatomiæ, & botanicæ, ita ſtudia ſua conſecrarunt, ut poſteri, quantum in perficiendis his artibus progreſſi ſint, admirentur. Quorum quum variæ conſtitui poſſint claſſes, *primum* de medicis generatim diſſerit Cl. A. & in hunc cenſum refert *Guid. Patinum, Moſen Charas, Carol. Barbeyracium, Dionyſium Dodart, Franc. Baylium, Guid. Creſcent. Fagonium, Adr. Helvetium, Petrum Chirac, Philippum Hecquet, Petr. Ioannem Burette. Deinde* de arte, corpora humana perite ſecandi, nonnulla refert, a V. C. *Ferreinio*, medico Pariſienſium, ipſi tradita; eaque excelluiſſe

luiſſe memorat *Ioann. Pecquetum*, *Ioann. Mery*, *Alexium Littre*, *Guichard. Ioſ. Duverney*, *Franciſc. Pourfour Dupetit*; *tum* incrementa chemiæ exponit, duces ſequutus doctisſimos, *Laurium*, *Geoffroy*, *Rouelle*, eiusque laudem conſequutos eſſe teſtatur, *Claud. Bourdelinos*, *Nicol. Lemery*, *Guil. Hombergium*, *Stephan. Franciſcum Geoffroy*, *Ægid. Franc. Boulduccium*, *Lud. Lemery*; *denique* de fortunatiori botanices ſtudio agit, ac ea exhibet, quæ clarisſimi fratres *Iuſſiaei* conſcripſerunt. De plantarum ſcientia bene meriti ſunt: *Carolus Plumier*, *Ioſeph. Pitton de Tournefort*, *Franciſcus Poupart*, *Petrus Blondinus*, *Ludovicus Morinus*, *Petrus Magnol*, *Sebaſt. Vaillantius*, *Guilielmus Niſſolius*. Libro *ſeptimo*, quo poetarum artisque muſicæ peritorum laudes celebrantur, binæ præmiſſæ ſunt diſſertationes, quarum *altera* fata artis poeticæ; *altera*, eaque a viro illuſtri *Alemberto* conſcripta, fata muſicæ exponunt. Iſtarum ſumma eſt, utriusque artis decus ad ſupremum dignitatis gradum tempore Ludovici XIV. perveniſſe, adeo ut ſequiori ætate de ornamentis quidem eius detractum, nihil vero additum fuerit. His enarratis, exhibentur elogia *Nicolai Bourbonii*, *Franciſci Maynardi*, *Claud. de Malleville*, *Vincentii Voiture*, *Ioann. Rotrou*, *Franciſci Saraſin*, *Franciſci Triſtani*, *Guil. Colletet*, *Paulli Scarron*, *Marci Antonii Gerardi de S. Amant*, *Guil. de Brebeuf*, *Franc. le Metel de Boisrobert*, *Gualth. de la Calprenede*, *Hippol. Iulii Billet de la Ménardiere*, *Ioann. Ogier de Gombaud*, *Georgii Scudery*, *Honorat. de Beuvil de Racan*, *Ioann. Baptiſt. Pocquelin de Moliere*, *Ioann. Capellani*, *Marini de Gomberville*, *Vincent. Conrart*, *Ioannis Desmarets*, *Renati le Boſſu*, *Petri Corneille*, *Ioann. Baptiſt. Lullii*, *Renati Rapin*, *Phil. Quinaut*, *Iſaaci de Benſerade*, *Ioann. Barbier d'Aucour*, *Ioann. de la Fontaine*, *Michael. Lamberti*, *Ioann. Bapt. de Santeuil*, *Ioannis Racine*, *Ioann. Renard. de Segrais*, *Edmund. Bourſault*, *Ioannis Commire*, *Ioann. Franc. Regnard*, *Thom. Corneille*, *Nicol. Boileau Deſpreaux*, *Franciſci Seraphim Deſmarets*, *Ioann. Galb. Campiſtron*, *Ioann. de la Chapelle*, *Michael. de la Lande*, *Bernardi de la Monnoye*, *Ant. Houdart de la Mothe*, *Iacobi Va-*

niére, Ioann. Baptiſt. Rouſſeau. Libro *octavo*, a quo *Tomi tertii* ducitur initium, commentatur A. Cl. de philologis, Galliam ævumque Ludovici colluſtrantibus. Diſſertatione præfixa memorat, quantum dignitatis ac decoris ea tempeſtate lingua Gallicana ſit conſequuta, in qua ornanda atque amplificanda tota fere gens elaboravit; quanta opera ad explicanda veterum ſcriptorum monimenta, ad inveſtigandas antiquitates, ad congerenda & interpretanda numiſmata, denique ad convertendos gallice Græcorum Latinorumque libros, ſit adhibita. Quæ etſi veritati haud repugnant, veremur tamen, ut adſentiantur rerum periti doctisſimo viro, editiones illas in uſum Delphini tantopere commendanti, ut obſervationes, quibus illæ inſtructæ ſunt, *Paſſeratii* commentariis in Catullum, aliisque huius generis adnotationibus præferendas eſſe cenſeat. Satis patet, quam lata hoc loco tribuatur *philologiae* voci ſignificandi vis: nec miramur hoc factum eſſe, nam inſignem producere philologorum numerum voluit. Relati enim ſunt in hunc cenſum: *Claud. Faber de Vaugelas, Ioannes Balduinus, Gabr. Naudaeus, Ioann. Ludov. Guez de Balzac, Nic. Rigaltius, Petrus du Ryer, Franc. Vavaſſor, Petr. d' Hozier, Nicolaus Perrot d' Ablancourt, Sam. Bochart, Nicolaus Sanſon, Dionyſius de Sallo, Franciſcus la Mothe le Vayer, Gabriel Coſſart, Robert. Arnald. d'Andilly, Dominicus Bouhours, Claudius Franc. Meneſtrier, Franciſc. Hedelin, Ludovicus Moreri, Dionyſius Salvainus, Carolus Sponius, Antonius Furetiére, Carolus du Freſne Cangius, Petrus Halle, Guido Menagius, Franciſcus Tallemant, Philippus du Bois, Barth. d' Herbelot, Ioannes de la Bruyere, Mich. Ant. Audran, Franciſcus Charpentier, Ioannes Foy Vaillant, Ioannes Gallois, Franc. de Maucroix, Nicol. Amelot de la Houſſaye, Ioann. Franciſc. Foy Vaillant, Marcus Ant. Oudinet, Iacobus de Tourreil, Antonius Galland, Ioannes Maria de Tilladet, Nicolaus Henrion, Ioannes Franc. Simon, Carolus Caeſar Baudelot, Andreas Dacier, Guil. Maſſieu, Ludov. de Courcillon de Dangea, Ludovicus Boivin, Claud. Franc. Fraguier, Ioann. Bapt. Couture, Ludov. de Longuerue, Philipp. Bernard. Moreau de Montour, Anto-*

Digitized by Google

Antonius Banier, Stephanus Fourmont. Libro *nono* nulla præmiſſa eſt diſſertatio. Enumerat enim feminas, quæ Ludovici ætatem eruditionis laude illuſtrarunt. Ex harum ordine igitur adducuntur de *Maria Iars du Gournay, Charl. Roſa Caumont de la Force, Maria Dupré, Henrietta de Coligny, Maria Eleonora de Rohan, Maria Catharina Hortenſia de Villedieu, Franciſca Bertaud de Motteville, Ludovica Anaſtaſia de Serment, Anna de la Vigne, Charlotta Saumaiſe de Chazan, Maria Magdalena Pioche de la Vergne, Maria l' Héritier de Villandon, Antonia des Houilleres, Maria de Sevigné, Magdalena de Scudery, Camus de Meslons, Maria de Razilly, Catharina Carteſia, Eliſabetha Sophia Cheron, Catharina Bernard, Maria de Louvencourt, Ludovica Genoveva Gillot de Sainctonge, Thereſia Deshouilléres, Anna Daceria, Antonia de Saluan de Salies, Ludovica Maria Bois de la Pierre, Anna Thereſia de Lambert.* Ex his ſatis poteſt intelligi, quam ferax fuerit ingeniorum præſtantisſimorum Gallia, tempore Ludovici, quantusque illorum numerus, qui in variis doctrinæ litterarumque generibus ornandis amplificandisque laudabiliter ſunt verſati. Quicunque reputaverit, arctisſimo vinculo coniunctas cum illis eſſe artes liberales, is haud mirabitur, parem fuiſſe earum iſta tempeſtate felicitatem. Quo factum eſt, ut Cl. Auillas haud negligeret, ſed diligentius quoque de earum incremento diſputaret. Libro igitur *decimo* de architectura exponit, ac præmiſſa diſſertatione, in qua conſcribenda multum auxilii ei tulerunt *Manſardus & Bauſirius*, quorum uterque eamdem tractat artem, regii architecti titulo conſpicui, ædificia illa magnifica percenſet, quibus, liberalitate Franciſci I. Henrici II. Ludovici XIII. &, qui eos omnes ſuperavit, Ludovici XIV. Lutetia Pariſiorum fuit ornata. Hæc enim luculentum ſane teſtimonium perhibent, de præſtantia architectorum, quibus cura operum illorum conſtruendorum commiſſa fuerat. His enarratis, exhibet commentationes de vita *Franciſci Manſarti, Claudii Perrault, Auguſtini Caroli Daviler, Iul. Harduin. Manſarti, Antonii Desgodets, Franciſci Romain, Roberti de Cotte, Iacobi Gabrielis, Ludovici le Vau, Franciſci d'*

Orbay, Petri le Muet, le Pautre, Boullet, Ioannis de la Quintinie, Andreae le Notre, Iacobi de Soleyſel, qui arte equitandi excelluit. Libro *undecimo* continentur vitæ pictorum celebriorum, quorum illuſtris academia auſpiciis Mazarini fuit conſtituta. Quæ de his proferuntur, accepta nos ferre oportet præſtantisſimo noſtri ævi pictori *Desportes.* Commemorantur hoc loco *Euſtachius le Sueur, Nicol. Pouſſin, Carolus Alphonſ. Dufreſnoy, Nic. Mignardus, Sebaſtian. Bourdon, Philipp. & Ioannes Baptiſta Champagne, Nicol. Loir, Carolus le Brun, Antonius Franc. Vandermeulen, Petrus Mignart, Andreas Felibien, Ioſephus Parocel, Natalis Coypel, Rogerius de Pilles, Carolus de la Foſſe, Ioannes Iouvenet, Ioannes Baptiſta Santerre, Bonus & Ludovicus de Boulloagne,* iunior, *Antonius Coypel, Nicolaus Bertin, Franciſcus Desportes, Hiac. Rigaud.* His iure libro *duodecimo* adduntur Chalcographi, quorum ars, teſte *Mariettio,* cuius diligentiæ ea, quæ in disſertatione præliminari traduntur, debemus, nonniſi tempore Franciſci I. in Galliam fuit illata; ætate vero Ludovici XIII. & XIV. in ſummum elegantiæ locum adducta. Teſtantur hanc in rem præſtantisſimi viri, quorum vitæ exponuntur, *Ioannes Varinus, Franciſcus Chauveau, Claudius Ballinus, Robertus Nanteuil, Claudius Melan, Franciſc. Poilly, Ger. Audran, Ger. Edelink, Sebaſtianus le Clerc, Carolus Simmoneau, Petrus Drevet, Bernardus Picart, Petrus & Thomas Germain, Caſp. du Change.* Progreditur Cl. A. ad Sculptores. Ars eorum maxima cepiſſe incrementa ætate Ludovici XIV. neminem licet fugiat, cuicumque Lutetiam videre contigit; apte tamen demonſtratur præmiſſa diſſertatione. Quæ de illis enarravit, accepta fert præſtantisſimis noſtræ ætatis ſculptoribus, *Argenvillio, l' Epicié,* & *de Vigny.* Laudantur *Iacobus Saraſin, Franciſcus & Michael Anguier, Ioann. Laur. Bernin, Martinus des Iardins, Petr. Puget, Franc. Girardon, Antonius Coyſevox, Nicol. Couſtou, Phil. Buiſter, Lud. Lerambert, Guido Guerin, Caſp. & Balth. Marſy, le Comte, Matth. l' Eſpagnandel. Ultimo* tandem Libro varia numiſmata, ſervato temporum ordine, percenſet, quibus illuſtria

luſtria Ludovici XIV. facta æternitati fuerunt conſecrata, 5. quibus recenſendis non opus eſt noſtrum ſtudium collocari. Non diffitemur, haud mediocrem nos cepiſſe ex his commentariis voluptatem, quippe quod ſatis eleganter ſunt conſcripti, multaque, quæ alibi non tradita ſunt, ibi deprehenduntur. Ut lectores facilius cognoſcant, qua uſus ſit Cl. A. tractandi ratione, ſpeciminis loco exhibebimus eorum, quæ de celeberrimo viro, *Antonio Banierio*, prodidit, ſummam breviorem. Lucem is adſpexit Claræmonti, ann. MDCLXXII. non infimo loco natus; parentum vero eius non tantæ fuerunt opes, quantæ ad formandum excellens, quod in puero eluxit, ingenium neceſſariæ videbantur. Quum in patria ſua prima litterarum didiciſſet elementa, Pariſios adiit, ubi philoſophiæ hauſit præcepta. Patrios lares quamvis repetere cogeretur, brevi tamen tempore Lutetiam rediit, a principibus viris benigne exceptus, & tantum non ad familiaritatem admiſſus. Quum cognoſcerent illi, quanta eſſet illius doctrinæ copia, curæ eius commiſerunt liberos ſuos. Quo factum eſt, ut egregium illud opus, quo omnem complexus eſt & explicavit mythologiam, conſcriberet. Magnam illud ei adtulit eruditionis exiſtimationem, atque in cauſſa fuit, ut Auctori in ſocietate inſcriptionum concederetur locus. Peropportunam ſic nactus eſt occaſionem, ingenii vires latius explicandi. Quam in rem teſtes ſunt egregiæ diſſertationes, commentariis illuſtris illius academiæ inſertæ, &, quam deinde in lucem emiſit, metamorphoſeon Ovidii interpretatio gallica, aliusque liber, inſcriptus: *les fables expliquées par l' Hiſtoire.* Finem vitæ fecit ann. MDCCXLI. d. 19. Nov. quum annum LXIX. ageret. Quod ſupereſt, optaremus ſane, maiorem curam poſuiſſet ill. A. in percenſendis Gallorum ſcriptis, quæ illis maiorem conciliant nominis gloriam, quam epitaphia, nimis ſtudioſe conquiſita. Nec ſatis memor fuiſſe videtur dicti illius, quo hiſtoricus ſine religione eſſe iubetur, & ſine patria.

B I-

Digitized by Google

BIBLIOTHECA BRITANNICO-HIBERNICA: ſive, de ſcriptoribus, qui in Anglia, Scotia, & Hibernia, ad Sæculi XVII. initium floruerunt, literarum ordine iuxta familiarum nomina diſpoſitis, commentarius: auctore THOMA TANNERO, Epiſcopo Aſaphenſi. Præfixa eſt DAVIDIS WILKINSII S. T. P. & Canonici Cantuar. præfatio.

Londini, excudit Gulielmus Bowyer. Impenſis Societatis ad litteras promovendas inſtitutæ. fol. Alph. 9. pl. 3. cum effigie auctoris aeri inciſa.

De ipſius ratione operis, & auctoris inſtituto, in doctiſſima præfatione cel. *Wilkinſius* ita expoſuit, ut meliorem aliunde notitiam haurire nobis vix liceat. Tribus illa præfatio capitibus abſolvitur, quorum quodque huic operi ſingulare affert ornamentum. Codices defuncti auctoris manu exarati, a teſtamenti Tanneriani curatore, Noſtro *Wilkinſio* traditi fuerunt, & ipſe omnes nervos intendit, ut illi codices, fideliter a ſe deſcripti, iterum iterumque cum archetypis conferrentur, auctorumque ſingulorum nomina & res geſtæ ſolutis chartis inſcripta, in commodam methodum diſponerentur. Exantlato hoc improbo labore, de prooemio tali opere digno ſecum altius cogitavit, & hinc *praefatio* hæc enata eſt. Eius *primum caput* hiſtoriam litterariam Britannorum, ante Romanorum invaſionem, complectitur. Auctoribus in hoc capite, ut verbis ſuis fidem faciat, Noſter utitur præcipue *Lewiſio*, *Vito Baſinſtochio*, *Io. Baleo*, & *Beroſo* etiam *Annii Viterbienſis*, quem valde laudat. A Gomero, Noachi nepote, hiſtoriam Britannorum litterariam Auctor repetit, illique & incolas, & linguam, & ſcientiam uſumque litterarum, hanc inſulam debere contendit. Tum de Samothe, Mago, Sarrono, fuſius exponit. Ab hoc ultimo Sarronidas, qui vocantur, philoſophos deducit, iisque in academia Salisburienſi ſedem aſſignat. Tum de Druidis & Bardis ea breviter repetuntur, quæ in Auctoribus reperiri potuerunt.

Albion,

Digitized by Google

Albion, eiusque ſocii, ex Phoenicia oriundi, vere gigantes fuiſſe dicuntur. Vocem *Bratanac* terram gigantum, vel filiorum Anaci, ſignificare Auctor contendit, contra *Bochartum*. De Bruto, Græcolada, Latinelada, &c. pluribus agitur: ſed de his legantur *Athenae Oxonienſes*. De Bladudo & *Wilkinſius* dicit, & *Tannerus*. In eruditis, qui Britanniam per totum hoc temporis ſpatium ornarunt, numerantur Helenus, filius Priami; Dunuallo Molmutius, ICtus; rex Elwyt, Ithel, vel Eliud, aſtronomus inſignis; rex Blegabrid, muſices expertiſſimus; & Nennius, Caſſibellani frater, in conſcribenda hiſtoria excellens. *Secundum* præfationis *caput* de bibliothecæ huius ſchemate agit, & de Ioanne Merelynch; tum Boſtonum Burienſem exhibet. Præmittitur auctoris vitæ brevis deſcriptio. A. C. 1689. ætatis XVI. Thomas Tannerus in collegium Reginenſe Oxonii fuit admiſſus, ubi cum Edmundo Gibſon, poſtea epiſcopo Londinenſi, amicitiam iniit coniunctiſſimam. A. 1693. ſchema editionis omnium *Io. Lelandi operum* divulgavit, quod tamen propoſitum nunquam ad finem perduxit. A. 1695. notitiam monaſticam publici iuris fecit. Biennio poſt in numerum ſociorum collegii omnium animarum cooptatur. A. 1698. Ioannis Moore, epiſcopi Norwicenſis, domo & muſeo uti coepit, ab eoque cancellarius dioeceſeos Norwicenſis A. 1701, & commiſſarius Norfolcienſis A. 1704, conſtituitur. Ad Elienſem dioeceſin translatus Io. Moore ad canonicatum Elienſem A. 1713. Noſtrum accerſivit; quam dignitatem hic decennio poſt cum canonicatu Ædis Chriſti Oxon. commutavit. An. 1722. Thom. Greene, epiſcopus Norwicenſis, Tannerum archidiaconatu Norfolcienſi donavit, & hic ſequente anno 1731, menſe Ianuario, ex regia clementia epiſcopatui Aſſaphenſi præficitur, in quo menſe Decembri A. 1735. in Æde Chriſti, Oxonii, obdormivit. Maximam ætatis ſuæ partem, in evolvendis rerum Britannicarum ſcriniis contrivit eo conſilio, ut Auctorum Britannicorum & Hibernorum alphabetico ordine conſtitutorum ſcripta prolixe & ſigillatim enarraret, ac vi-

S tam

Digitized by Google

tam compendiario ſtylo undecunque congereret. Nam *Io. Lelandus*, *Io. Baleus*, & *Io. Pitſeus*, vitiis ſcatebant, nec ſufficere poterant. *Tannerus* igitur ex illis, & aliis multis impreſſis libris & MSStis, notitiam Scriptorum Britannicorum ad finem reginæ Eliſabethæ perduxit, & Hibernos, quantum fieri potuit, auctores adiunxit. Appendicis loco adiicere ſtatuit, ex codice MSto Dn. Rogeri Twisden, Baronetti, *Boſtonum*, S. Benedicti monachum *Burienſem*, qui, tempore Henrici IV, omnes fere Angliæ bibliothecas perſcrutatus, exinde vetuſtiorum auctorum catalogum conſcripſit. *Boſtono* ſubiungere propoſuit *Iohannem*, monachum Glaſtonienſem, a cella ad montem Poledonum ſita, *Merelynch*, ſ. *Murylinch* appellatum. Addere tandem voluit *Io. Lelandi* collectanea quædam hiſtorica, aliaque opuſcula & fragmenta veterum auctorum Britannicorum, hactenus inedita, cum præmiſſo prooemio, in quo de hiſtoria rei litterariæ apud Britannos fuſe agendum erat. Hoc fuit propoſitum *Tanneri*, quod tamen integrum non eſt executus. Cel. *Wilkinſius* ita in ordinem redegit ſchedas defuncti auctoris, ut ſcriptores Britannos & Hibernos cum extraneis iis, qui in ambobus regnis munus aliquod obierunt, vel libros typis mandaverunt, ordine alphabetico referret; tum eos ſcriptores, qui codices MSStos, vel impreſſos, novis editionibus a *Tannero* nondum viſis, vel additamentis illuſtrarunt, in ſuccum & ſanguinem verteret; *Boſtonum* denique *Burienſem* præfationi inſereret, quanquam antea illum exulare iuberet, tum quod extraneos immiſcet, tum etiam quod ſubverſio monaſteriorum, quæ omnes omnium bibliothecarum libros longe lateque diſperſit, Boſtoni providam diligentiam maxima parte inutilem reddidit. *Io. Merelynch*, quem additiones ad Chronica *Martini Polani* conſcripſiſſe dicunt, omittitur: ieiunus enim eius & trivialis eſt commentariolus, ut ex allato ſpecimine patet. Ex *Lelando* tandem ſuo quæque loco inſeruntur, quod ipſius opera iam ſeorſim edita ſunt, nec decebat, præſtantiſſimo *Lelandi* operi poſtremum, appendicis nempe,

locum

Digitized by Google

locum aſſignare. *Tertium* & ultimum præfationis caput, de ſcriptorum veterum Britannorum, a *Thoma Hearnio* primum editorum, dignitate & pretio iudicium continet. Eodem Noſter, quo typis exſcripti ſunt, ordine illos recenſet. Tantum de præfatione. Pauca de opere ipſo dicenda reſtant. Præcipuus labor in enumeratione ſcriptorum cuiusvis viri eruditi conſiſtit, ubi ſimul fontes, ſeu auctores, allegantur. Principium cuiusque ſcripti plerumque additur, & in notis ſubiunctis ea ſupplentur, quæ in textu omiſſa fuerant. Iis magno hoc opus uſui eſſe poterit, qui nec *Biographiam Britannicam,* nec *Dictionarium Baylianum,* Anglice X. Voluminibus editum, aut volunt, aut poſſunt ſibi comparare. Magnæ Auctoris diligentiæ ſatis clarum hoc opus eſſe poterit monimentum; & ex eo, quod ad auctorum attinet ſcripta, ceteri, qui clarent, biographi & bibliographi, ſuppleri etiam poterunt & emendari. Exempli loco allegamus nomina *Aidani,* epiſcopi Scotti, *Albini, Aldredi, Alex. Aleſii, Alex. Neckami, Alfredi M.* ubi & characteres exhibentur antiqui Saxonum, qui creduntur, quosque mutavit Aelfredus rex in characteres Francicos, ſeu Italicos. Ex *Oroſio Lauderdaliano,* quem Aelfredus Saxonice vertit, Cl. *Walkius* eos deſcripſit, in notis MSStis ad vitam Aelfredi: ſed Noſtro minus accurate videntur deſcripti. Legantur etiam vitæ *Alfredi II.* ſ. *Nothi; Anſelmi,* archiep. Cantuarienſis; *Thomae Arundel, Roger. Aſchami, Io. Balei.* Omnium maxime tandem commendari merentur vitæ *Bedae, Chauceri, Io. Foxii, Io. Lelandi, Io. de Lydgate, Tho. Mori, Rabani Mauri.* Omiſſi tamen ſunt viri nonnulli fama clariſſimi, ut *El. Aſhmole, Franc. Baco,* alii; cum tamen, tum de *Eliſabetha* egerit Auctor, cuius reginæ tempore illi & claruerunt, & obierunt; tum & alios huius ætatis eruditos protulerit.

Digitized by Google

LES MUSES EN FRANCE.

i. e.

MUSÆ IN GALLIA, SIVE HISTORIA ſecundum ordinem temporis, de primordio, progreſſu, conſtitutione litterarum elegantiorum, ſcientiarum, & bonarum artium, in Gallia; continens fundationem Univerſitatum, Collegiorum, Academiarum regiarum, & ſcholarum huius regni celebriorum, neque minus illuſtres perſonas, quæ primum ſe præ ceteris vel ſcientiis vel artibus diſtinxerunt. In tenuitate copia. per A. M. LE FEVRE, ſacerdotem Pariſinum & diſciplinæ ſacræ Baccalaureum.

Pariſiis, apud I. F. Guillau filium, bibliopolam cet. M. DCC. L. cum approbatione privilegioque regis. pl. 6. in 12.

Tractationi huic, lectu dignæ, præmittitur diſſertatio, velut hiſtoriam Galliæ litterariam generatim, obtutui lectorum pandens. Cum Muſæ provinciam illam ſeculo ſexto reliquiſſent, aliquantum per Carolum M. & eius ſucceſſores revocatæ, demum circa 1131. ſtudia denuo foveri coeperunt. Sed tricæ philoſophicæ progreſſuras morabantur, ad ſeculum usque XVI. Ex hoc tempore propemodum ubivis eminebant, noſtro iudice, Galli. Licet enim ſint aliis gentibus Scriptores, ad Ebræam e. g. linguam quod attinet, cum *Genebrardo*, *Cinqmars*, *Dacquino*, nobiliſſimisque viris *de la Boderie*, comparandi: vix tamen inventum iri iudicat, cum *Vatablo* (vel potius *Ouatteblé*,) *Mercero* vel *Mercier*, *Capello*, *Bocharto*, certaturos. In Græca lingua non quidem ſurgent ſuper alienigenas *Touſſaint*, *Lambinus*, *Doratus*, *Goulu*, *Henr. Stephanus*: ſurgunt tamen *Budaeus*, *Danez*, *Turnebus*, *Chreſtien*, *Caſaubonus*, *Valeſius*. In lingua Latina *Paſſeratium*, *Ducangium*, & alios permultos

præ-

Digitized by Google

præfert *Feburio*. Sacri præſertim oratores laudantur *Bourdaloüe, Fleſchier, la Rüe, Maſſillon;* forenſes, *le Maitre, Patru, Cochin,* ceteri. *Phil. Comineus,* hiſtoricus, nec *Tacito,* nec *Polybio* aut *Thucydidi,* cedere putatur. Sic & reliqua ſtudiorum genera, potiſſimum inter Gallos, duces ac principes ſuos invenerunt, quos ipſa potiſſimum tractatio ſpiritu Gallico commendat. Primordium hic fit ab ætate Caroli M. qui ſcholam publicam ad arcem ipſe ſuam condidit. Initia tamen academiæ noſter ad XII. ſeculum demittit. Alioqui primas ſcholas publicas *ſeculares* condidit *Godofr. de Boulogne,* ſub exitum undecimi ſeculi. Academiam Toloſanam Ludovicus ſanctus fundavit 1228. confirmavit Gregorius IX. an. 1233. Eidem ſeculo plurima collegia primordium debent: neque tamen ſequens ſuis proventibus ac fructibus caruit. Decimo quinto coeperunt Aquis Sextiis academia, collegia Rhemenſe ac *Marchianum*, Dolenſis academia, collegium *de Séez*, academia Caënenſis, Pictavienſis, Valencienſis ad Rhodanum; quo tempore diligens ille Germanus, *Io. de Guttemberg,* artem formis ſcribendi invenit, cuius incunabula noſter male ad annum refert 1458. ex quo *Conràdus,* itidem Germanus, in Italiam & alias terras eam artem transtulit; veram tamen inventionem, derogatam Germanis, Chinenſibus vindicare mavult, unde mercatores Galli libros impreſſos in Ruſſiam detulerint, quos, in Germaniam hinc allatos, *Guttembergius* viderit, artificium inde ſuum, felix imitator, depromens. Ita Gallos ſuos & hic, vel per fabulam infarcit auctor; qui tamen, cur non ipſi potius in patriam intulerint propius viſum artificium, ignoramus. Neque tamen antiquiores Galli Germanos adeo contemſiſſe videntur, cum primus liber Pariſiis 1470. exſcriptus, hoc teſte, fuiſſe dicantur epiſtolæ *Gaſparini de Pergamo*, Germani. Potius autem miramur, qui fiat, ut, non ſine hiatu, promiſſor, tot paginas, notiſſimis iam ad illius artis, etiam in aliis regionibus, incunabula ſpectantibus,

 bus,

Digitized by Google

bus, impleat, totque, quarum ſpem facit rubrum, magis ad inſtitutum pertinentes res, omittat. Nil enim ad finem usque reperimus, præterquam inſtitutionis academiarum, collegiorum, ſocietatum indicem, & illum quidem nec omnibus numeris abſolutum. Sed, contenti Catone noſtro, quod nobis porrigit filum exſequamur. Academia Nannetenſis fundata eſt 1460. Scholæ iuris Pariſinæ reſtauratæ 1464. academia Bourgenſis inſtituta 1465. ſchola medica Pariſina 1472. academia Burdigalenſis 1473. collegium S. Michaelis 1510. Coenomanenſe 1526. regium Pariſinum 1530. cuius profeſſores, regiorum conſiliariorum prærogativis ac dignitate gaviſi, primum linguæ Latinæ doctorem habuerunt *Bartholomaeum Maſſonum*, Germanum, e qua pariter gente *Arnoldus de Lisle*, primus ibi linguam Arabicam docuit. Academia Rhemenſis inſtituta a. 1548. quo etiam anno comica Pariſinorum turba originem habuit. Hac occaſione ad originem quoque poeſeos Gallicæ *Faber* excurrit. Repetit illam a Ludovici VII. temporibus. *Petrum Abaelardum* in primis nominat, quem excepit XII. ſeculo *Lambertus Licors*, qui partem Alexandri M. vitæ, carmine Gallico, de ſermone Latino, expreſſit, & Alexandrinis verſibus nomen fecit. *Io. le Maire de Belges*, ſub regno Ludovici XII. & *Broiſſartus*, magis poeſin excoluerunt. Collegium S. Barbaræ Pariſinum coepit 1556. academia Tournonienſis 1560. collegium Loioliticum Pariſinum 1563. *Ferdinandus I.* imperator a. 1564. Veſontione condidit academiam, *Philippus II.* Hiſpanorum rex 1569. aliam, quo & *Petri Graſſini* collegium inaugurabatur: ut academia Muſſipontina 1573. *Roberti Mignoni* collegium 1574. Flexianum 1603. academia vel ſocietas Gallica 1635. *Richelii* purpurati 1640. academia picturæ & ſculpturæ 1648. cui deinceps ſchola pictorum addita fuit. Collegium quatuor nationum, aut *Mazarinianum*, 1661. coepit. Societas inſcriptionum & elegantiorum litterarum 1663. Commentarii diurni litterarii primordia debere dicuntur illuſtri

Digitized by Google

illuſtri *de Sallo*, qui Pariſiis 1665. *Journal des Sçavans*, ſub nomine *Hedouvillii*, publicavit. Hos ſequebantur 1684. *Mercure Sçavant*, 1701. *Journal de Trévoux*, 1724. *Bibliotheque Françoiſe*, præter alia. Academia ſcientiarum primum efformata an. 1666. Arelatenſis 1669. architectorum 1671. Auguſtæ Sueſſionum conſtituta academia 1674. Paullo poſt inſtaurata fuit Maſſilienſis, ut alias plures inſtituit *Ludovicus M.* e. g. 1679. Francopoli, in agro Belloiovienſi, 1683. Nemauſinam; ut reliquas, bibliothecas item, tunc præcipue collectas, ſileamus.

TRATTATO DELLA ORIGINE DELLE SORGENTI e de' fiumi.

i. e.

LUDOV. COM. BARBIERI TRACTATUS, de fontium & fluminum origine.

Vincentiæ 1750. ex typogr. Lavezari. plag. 5½. in 8.

Probaturus auctor, fontes omnes ab aqua marina naſci, per ſubterraneos meatus, eo unde oriuntur deducta, Halleianæ primo ſententiæ opponit, tantam vaporum copiam in continenti terra non adſcendere, quantam Halleius, in inſula S. Helena, medio in mari, zonaque torrida, obſervavit: univerſali vero experientia, montium vertices puriori aere gaudere, ut allabi condenſarique ibi vapores minus probabiliter dicatur. Valisnierio, iisque qui fluminum conſervationem pluviæ adſcribunt, opponit, minus accurate eos pluviæ copiam, quaſi in omnem illum terræ tractum, quem flumina irrigant, incidens fluvios augeat, computare; cum montanæ ſolum pluviæ id officii fluviis præſtent, & ſubſultim modo, ac ope torrentium, non ſcaturiginibus perpetuis. Superiorem Italiæ partem, ubi ob aerem frigidiorem, mareque remotius, minus pluat, fluviis lacubusque magis abundare.

Suam

Suam vero ſententiam ut confirmet, monet, terram circa mare iure poroſam, & per quam filtrari poſſit aqua maris, adſumi, ſubterraneosque meatus poni. Quæ illuſtraturus, in diluvii hiſtoriam excurrit, eiusque conditiones & effectus, ſic ut hypotheſi ſuæ conveniant, recenſet. Quod vero altiores fontes ſint maris ſuperficie, nihil impedire illorum ab hoc originem. Nam fluvios, etiam regiones quas perfluunt altius irrigare *ſubterranea ſua atmoſphaera*, quam ipſorum aquæ moveantur. Si ponantur canales duo communicantes, anguſtiſſimus alter, & ſcaber interna ſui ſuperficie, ut hæ eminentiæ & inæqualitates valvularum veluti in eo officium præſtare poſſint; alter ampliſſimus, & utriusque aqua ad libellam communem initio fingatur diſpoſita; deinde vero ſubſultim fiant impetus quidam in aquam tubi amplioris, quibus ea tubi anguſtioris adſcendere cogatur, haerebit hæc in locis quo adſcendit, valvulisque ne relabatur impedietur. Anguſtioris tubi loco meatus, per quos aqua montes adſcendit, in eorum ſuperficie eruptura, ſumitur; amplioris mare. Accedit quod plurium montium lapides ea ſunt textura, quæ adſcenſui huic faveat. Sed & maiores meatus non deſunt. Quod autem ſale non repleantur hæ viæ, nam ſecedere illam ab aqua marina, ut fontana fiat, oportet, ex multitudine illarum explicat, nec non quia maximam ſalis partem in terra mare ambiente aqua deponat. Optaremus, ut explicaſſet etiam, poſſitne hac filtratione bituminoſum illud ab aqua marina ſeparari, quod minus potabilem efficeret, etſi ſalſa non eſſet. Id cum deſtillatione, (hoc eſt evaporatione artificiali,) ſeparetur, argumentum nobis ſemper haud leve pro iis, qui vapores hic tuentur, viſum eſt. Quæcunque vero dici pro ſententia ſua poterant, ingenioſiſſime, & magna naturalis doctrinæ copia Illuſtriſſ. auctor explicavit.

NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipſiæ

Calendis Martii Anno MDCCLVII.

Pars II.

Gründlich-hiſtoriſcher Bericht, von der Kayſerlichen und Reichs-Land-Vogtey in Schwaben ꝛc.

i. e.

VERA CERTAQUE HISTORIA CAESAreæ & Imperialis Landvogtiæ in Suevia, Imperiali item liberoque Iudicio Provinciali Leutkirchenſi & Pirſæ.

Pars I. 2 Alphab. 14 plagg. *Pars* II. 2 Alphab. 20 plagg. duern. in fol. 1755.

Quum per curas *Goldaſti, Schilteri, Schwederi, Ottonis, Lünigii, Bürcklei, Burgermeiſteri,* & *Moſeri*, vera & genuina indoles Landvogtiæ huius, tam antiquioris, quam recentioris, ut & iudicii Provincialis *auf Leutkircher Haid und in der Pirs,* confieri nequiverit; optime de nobis meretur Vir de Hiſtoria omni, deque Civitate in primis Imperiali Lindavia, tamquam Conſul & Syndicus eius, meritiſſimus, Dn. *Iohannes Reinhardus Wegelinus,* edendo hoc Opere pragmatico, pauca paria, nullum ſuperius habituro. Continet autem *Pars prior* Deductiones ipſas intuitu Landvogtiæ & Iudicii Provincialis, tum quoque Iudicii Provincialis ſpeciatim. *Pars* autem *poſterior* Diplomata. Quod ad Landvogtiam Iudicii Provincialis attinet, oſtendere ſatagit Ampliſſ. Auctor, veterem Landvogtiam Sueviæ, cum recentiore Altdorfii, non eſſe

miſcendam, multumque intereſſe inter tempora ante & poſt Rudolphum Habsburgicum, quibus poſterioribus pleraque iura Advocatiæ iam deperierint. Ratione Iudicii Provincialis vero probare annititur, illud, ut origine ſimile ſit ceteris in Suevia iudiciis Provincialibus, ita ſemper diſtrictu ſuo limitatum, in vera proprietate Imperii manſiſſe, neque unquam Advocatis Truchſeſſiis, vel Auſtriacis, oppignoratum fuiſſe.

Pars prior in XIX. Sectiones diſpeſcitur, quarum contenta digna omnino notatu ſunt. *Sectio* igitur *prima* complectitur originem Landvogtiæ huius, & eius indolem usque ad tempora Rudolphi Habsburgici. Ea occaſione indicantur Nuntii Cameræ, vel Miſſi Regii, qui tempore Carolingorum, in Suevia Advocatorum munere functi ſunt; adducitur inſtauratio Ducatus Sueviæ ſub Conrado; oſtenditur, reliquos Principes, Comites, & Dynaſtas in Suevia, originarie liberos, nec his Ducibus ſubiectos fuiſſe; probaturque, Regalia, & reditus regios, ſtatim ab Advocatis adminiſtrari coepiſſe, quam primum exſtincta ſtirpe Carolingica, Cameræ Nuntii deſierunt. Nomine tenus etiam quidam tales Advocati recenſentur, qui ab exitu ſæculi X. usque ad annum MCCLVIII. Landvogtia functi ſunt. *Sectione II.* agitur de Origine Iudicii Provincialis *auf Leutkircher Haid und in der Pirs.* Explicatur hic origo iudiciorum Provincialium, officium iudicum provincialium, vicariorum eorum, & centenariorum; quidam Comites Provinciales nominatim adducuntur, multaque alia maxime notabilia de iudiciis Provincialibus per Sueviam docentur. *Sectio III.* inſcribitur de diverſis iudiciis Provincialibus in Suevia, ante & poſt tempora Rudolphi Habsburgici; ubi iudicia Provincialia Sueviæ & Helvetiæ illuſtrantur. *Sectione IV.* diſtincte oſtendit Auctor, quid medio ævo Cæſareæ & Imperialis Landvogtiæ nomine venerit; demonſtrat, duos plerumque Advocatos Provinciales fuiſſe; diſcernit Sueviam ſuperiorem & inferiorem; lucem accendit diviſioni Sueviæ ſub Carolo IV. in Sueviam cis & trans Alpes; & monaſteria una cum civitatibus Imperialibus enumerat, quæ tum inclytæ fuerunt. Sequuntur in *Sectione V.* Advocati Cæſarei in Suevia ſuperiore

&

Digitized by Google

& inferiore, usque ad oppignorationem Auſtriæ factam, ſub finem Sæc. XV. qua facta tandem MCCCCLXXXVI. a Truchſesſiis de Waldburg, Advocatia Provincialis, Auſtriæ penitus ceſſa fuit. De oppignoratione tamen hac, a Venceslao Leopoldo Duci Auſtriæ facta, ſemper queſtus eſt circulus Suevicus, & adhuc contendit, eam nunquam ad effectum perveniſſe, ut egregie docetur p. 79. *Sectione VI.* exponitur ratio Landvogtiæ, & officium Advocatorum Imperialium in medio ævo, & in fine A. de reliquiis agit huius Landvogtiæ, in ſuperiore & inferiore Suevia. Adiungitur huic capiti tabula Geographica Landvogtiæ, & iudicii provincialis *auf Leutkircher Haid und in der Pirs.* Pergit deinde Auctor in *Sectione VII.* ad Landvogtiam novam Altdorfii & Ravensburgi, eiusque originem, ex reliquiis Comitatus Guelfici, Altdorfii, derivat. Diſſerit hoc loco de Dynaſtiis Guelphorum in Suevia ſuperiore; docet, Guelphos originarie independentes, & Ducibus Sueviæ nunquam ſubiectos fuiſſe; tandemque oſtendit, bona Guelphorum patrimonialia, per Guelfum VI. Henrici ſuperbi fratrem, ad Fridericum Barbaroſſam & domum Hohenſtauficam perveniſſe. Inſeruntur huic ſectioni aliæ adhuc diſquiſitiones notatu dignæ, v. g. de potentia Hohenſtaufiorum, creſcente & decreſcente, usque ad interitum; quomodo Domania Hohenſtaufica in Bavaria Ducibus Bavariæ accreverint, & cur hi nihil participaverint de Ducatibus Suevicis; bona a Rudolpho Habsburgico vindicata, non Hohenſtaufica, ſed bona Imperii fuiſſe; terras Auſtriacas in Suevia non ex ſucceſſione Hohenſtaufica, ſed maximam partem novas acquiſitiones, ab Imperatore Alberto & ſucceſſoribus eius factas, eſſe; quid vetus Comitatus Altdorfii complexus ſit? Colophonem huic Sectioni imponit plenior deſcriptio Landvogtiæ hodiernæ, cuius pars ſuperior 15. inferior 3. Præfecturas continet. In *Sectione VIII.* ratio oſtenditur, qua Landvogtia Sueviæ ad domum Auſtriacam pervenerit. Demonſtratur, Auſtriam Landvogtiam ſolo titulo pignoratitio, cum pacto perpetuæ reluitionis, poſſidere; titulum feudalem, ex inveſtitura Ducatus Suevici aſſertum, novum eſſe, cui contradicatur a Circulo Suevico; Comita-

Digitized by Google

mitatum Altdorfienſem nunquam ad Ducatum Sueviæ pertinuiſſe; Rudolphum Habsb. neque de patrimonio Staufenſi, neque de Ducatu Sueviæ, quidquam filiis ſuis concedere potuiſſe; & proinde traditionem, de reſtauratione & inveſtitura Ducatus Sueviæ, vi documentorum authenticorum, fabulam eſſe; duces Auſtriæ ex domo Habsb. nunquam uſos eſſe titulo Ducum Sueviæ. Ducem Rudolphum IV. ingenioſum, ſe quidem Principem & Ducem Sueviæ & Alſatiæ, præcipue poſt mortem patris ſui 1358. ſcripſiſſe; ſed ab eo deſiſtere, & Imperatori ideo Reverſales dare, coactum fuiſſe. Imperatorem Maximilianum I. titulum Principis Sueviæ primum adhibuiſſe; omnes litteras inveſtituræ, ſolum de feudis Auſtriacis particularibus in Suevia teſtari; Advocatos priſtinos nunquam Auſtriacos, ſemper Cæſareos & Imperii Vicarios fuiſſe; Ducem Albertum, Landvogtiam, non ex capite tituli feudalis, ſed convenientiæ, quæſiviſſe & obtinuiſſe; ſummam pecuniæ ab Auſtriacis ſub lege pignoris creditam (*der Pfand Schilling*), primum 13200. deinde vero 253780. florenorum fuiſſe; pecuniam autem a Wenceslao creditam, Landvogtiæ non amplius oneri eſſe. In *Sectione IX.* diverſa iudicia Provincialia, quæ Sæculo XIII. XIV. & XV. in Suevia floruerunt, & partim adhuc ſuperſunt, recenſentur. Eſt inter ea iudicium provinciale Rothwilenſe, quod deinde in Cæſareum Aulicum commutatum fuit. De eo refellitur traditio vetus, quaſi a Conrado III. 1146. vel 1147. primum inſtitutum fuerit. *Sectione X.* Advocati Cæſarei *auf Leutkircher Haid und in der Pirs*, ad ea usque tempora, quibus Advocatia eorum Auſtriacis parere coepit, nominatim recenſentur. *Sectione XI.* ſtatui Iudicii Provincialis in medio ævo lux accenditur: ubi etiam de Privilegiis Exemtionis, a diverſis Statibus Imperii impetratis, agitur. *Sectione XII.* oſtenditur, quomodo Iudicium hoc Provinciale ad domum Auſtriacam pervenerit; non immediate id dependiſſe a Landvogtia; neque ab Auſtria titulo Feudi & Pignoris poſſideri. *Sectione XIII.* agitur de Advocatis *Auſtriacis* Landvogtiæ in Suevia: prouti *XIV. Sectione*, attentata Advocatorum Auſtriacorum enumerantur, per-

Digitized by Google

perpetrata adverſus ſubditos & vicinos, una cum horum gravamiuibus. *Sectione XV.* perluſtrat Auctor Iudices Provinciales ipſos, *auf Leutkircher Haid und in der Pirs :* & *Sectione XVI.* ſermo illi eſt de extenſione & ampliatione huius iudicii, & iurisdictionis eius. *Sectione XVII.* oſtenditur origo, introductio, & extenſio caſuum reſervatorum, qui in hoc iudicio *Ehehafften* appellantur, & ad avocationem Statuum privilegiatorum non remittuntur, vel quorum diiudicatio, non impediente Exemtionis privilegio, nihilominus ad Iudicem Provincialem pertinet; & in fine probatur, Privilegium Exemtionis Statuum a potiori vetuſtius eſſe, quam Privilegium Auſtriacum caſſatorium de A. 1544. *Sectionis XVIII.* obiectum ſunt Appellationes a libero Iudicio Cæſareo Provinciali, & earum reſtrictio ad Iudicia Auſtriaca ſuperiora, ex Privilegio Cæſareo de A. 1530. ubi omnia argumenta Auſtriacorum, de manutenentia huius Privilegii, refelluntur. *Sectio XIX.* eademque ultima, ſeriem Actorum Publicorum exhibet, quibus continentur Gravamina Principum & Statuum Circuli Suevici, contra Iudicium hoc Provinciale mota a duobus inde ſæculis: quæ curæ egregie faciunt ad illuſtrationem Pacis Weſtphalicæ, & Capitulationum Cæſarearum.

Pars Poſterior ſiſtit 275. Documenta Archivalia, maximam partem Anecdota, & inter ea Num. 230. Privilegia Auſtriaca a Iulio Cæſare & Imperatore Nerone data, & ab Henrico IV. confirmata, ut & Num. 231. Epiſtolam Franciſci Petrarchæ ad Carolum IV. Imperatorem, de fictitiis Diplomatibus C. Iulii Cæſaris, & Claudii Domitii Neronis, Imperatorum Rom. Auſtriæ conceſſis. Inſerviunt ea omnia probationi eorum, quæ in præcedentibus dicta ſunt. Poſſunt autem hæc Documenta etiam in multis aliis partibus Hiſtoriæ Imperii medii ævi uſum inſignem præſtare. Occurrit a capite ad calcem, in toto Opere, egregia notitia optimorum Hiſtoricorum, egregius ſelectus & ordo, egregium examen, & accurata diiudicatio capitum controverſorum, coniuncta cum ea dicendi libertate, quæ Conſulem Liberæ Civitatis Imperialis omnino decet; quæque, quo eſt ad veritatis legem

Digitized by Google

ſcrupuloſius exacta, hoc maiori gloriæ & Auctori cedit, Viro Celeberrimo, eſtque hoc magis remota a cuiuscunque offenſione. Dicetur nobis propediem alterum, doctiſſimi Senis, Hiſtoricum opus, quod ad Hiſtoriam Sueviæ illuſtrandam æque multum profuturum eſt. Nos Viro indefeſſæ induſtriæ, crudam vegetamque ſenectam, bono rei litterariæ, ex animo precamur.

NOTAE HISTORICAE IN UNIVERSUM IUS CAnonicum, rationibus conſentaneis adſertæ, Quæſtionibus hiſtorico-critico-dogmatico-ſcholaſticis illuſtratae, munitæ. Tomus I. II. III. IV. *Primus continet Notas hiſtoricas prolegomenales in duos priores Titulos Libri I. Decretalium. Auctore P. THEODORO MARIA RUPPRECHT, Ordinis Servorum B. M. V. Sacro-Sanctæ Theologiæ, ac Sacrorum Canonum, Lectore.*

Proſtant Pragæ, apud Ioannem Carolum Hraba, Inclyti Regni Bohem. DD. Statuum Typographum. *Tomus I.* 1751. pagg. 335. 4.

Ad Tit. I. Decretal. Auctor diſſerit, ac diſputat prolixe de Symbolis Eccleſiæ ſuæ, enumerans ac recenſens ſequentia. 1) Symbolum Apoſtolorum. 2) Nicænum. 3) Conſtantinopolitanum. 4) Athanaſii. 5) Lateranenſe. 6) Viennenſe. 7) Florentinum, & 8) denique Tridentinum. Singulorum hiſtoriam pertexit, facti quæſtiones illuſtriores, immo & Theologicas inducit ac pertractat, v. c. *an Symbolum, quod Apoſtolicum appellatur, ab Apoſtolis traditum ſit?* Adfirmatur! *Utrum vox Homouſion appoſite & prudenter inſerta fuerit Symbolo Nicaeno?* Adfirmatur! *An Symboli Conſtantinopolitani additamenta primum facta ſint a Patribus CP?* Negatur! *Utrum Symbolum Conſtantinopolitanum ſemper ab Eccleſia fuerit receptum?* Adfirmatur! *Quando, & a quo, particula Filioque addita ſit Symbolo Conſtantinopolitano?* Reſponſ. *In Concilio Hiſpanico A. 447. habito. Utrum S. Athanaſius ſit*

ſit Auctor Symboli, quod Athanaſianum dicitur? Reſponſ. *Probabiliter non eſt! Utrum transſubſtantiationis vocula appoſite & prudenter inſerta fuerit Symbolo Lateranenſi?* Adfirmatur! cet. Qui titulum ipſum conferat cum notis his, mirabitur amplam ſcribendi occaſionem, conquiſitam magis, quam inventam. Ad Tit. II. Decretal. Canonum, Decretorum, ac Decretalium ſiſtitur hiſtoria. Inſcribitur hic Tractatus: *De Conſtitutionibus!* quod ii forte improbent, qui imperium Eccleſiæ tribui vetant. Sed meliora eos docere vult Noſter. Agit autem de præcipuis Collectionibus ordine hoc: 1) *de Canonibus Apoſtolorum,* 2) *de Collectione Canonum Poenitentialium,* 3) *de Codice Canonum Eccleſiae univerſae,* 4) *de Codice Canonum Eccleſiae Graecae, poſt Synodum Chalcedonenſem aucto,* 5) *de Collectionibus Graecorum, quae alium, quam temporum ordinem, ſervant,* 6) *de Codice Eccleſiae Romanae,* 7) *Africanae,* 8) *Dionyſii Exigui,* 9) *Martini Episc. Bracchar.* 10) *Iſidori Mercatoris,* 11) *de Capitulis Hadriani,* 12) *Capitularibus Regum Francorum,* 13) *Collectione Reginonis Abbatis,* 14) *Decreto Burchardi Wormat.* 15) *Collectione Ivonis Carnot.* 16) *Variis Collectionibus Decretalium, Corpori Iur. Can. non inſertis.* 17) *Decreto Gratiani,* 18) *Decretalibus Gregor. IX.* 19) *Reliquis Corporis Iuris Can. partibus, &* 20) *Eiusdem Appendicibus.* Excutiuntur & hic variæ quæſtiones ſæpe tractatæ, v. c. *an Apoſtoli ſint Auctores Canonum vulgo Apoſtolicorum?* Negatur! *An epiſtolae Romanorum Pontificum a Clemente I. uſque ad Siricium Papam ſint ſuppoſititiae?* Adfirmatur! *An Decretum Gratiani legali auctoritate polleat?* Negatur. cet. Adduntur & quædam de Bullario Romano, de Regulis Cancellariæ, de Concilio Tridentino, de declarationibus Cardinalium, de Rota Romana, de Rubricis, Summariis, & Gloſſis Iuris Canonici, de Concordatis inter Frid. III. Imp. & Nicol. V. Papam, de Pace Religioſa & Weſtphalica. De ſanctitate religioſæ pacis ita cenſet p. 331. n. 357. *Pacis huius ineundae conſilium ex parte Catholicorum multi quidem exagitant, ſed Auctor Principiorum Iuris publici Eccleſ. ſupra laudatorum illud iuſtificare conatur, tum ex obiecto huius congreſſus, quod*

erat

erat pax publica externa, quam etſi cum Heterodoxis colere in Theſi malum ſit, in Hypotheſi tamen, pro avertendo maiori malo, neceſſarium eſſe oſtendit arg. c. 13. S. Matth. v. 28. & ſqq. tum ex fine omni laude digno, quem exprimit §. 28. huius Pacis. Tandem ex temporum illorum anguſtiis, quas dicit melius tunc noviſſe expertos Caeſarem & Status Catholicos, quam alios peregrinos extra tempeſtatem conſtitutos. De Pace Weſtphal. autem p. 335. n. 366. ait: *Contra hanc Pacem Innocentius X. P. M. in Bulla quae incipit, Zelo Domus Dei &c. ſolemniſſime proteſtatus eſt; at ex ſuo tenore, atque Imperatorum Confirmatione, perpetua eſt; eiusque valorem Germano impugnare haud licet.* Addere debebat, neque cuiquam fas eſſe.

Tomus II. continet Notas in reliquos Titulos Libri I. Decretalium, item in Librum II. Ib. 1753. pagg. 380. Nec tamen Auctor tam Titulorum, quam potius cauſarum premit ordinem. Ita omiſſis Titulis tertio, quarto, quinto, ſtatim ſe convertit ad ſextum, atque hic de Electione Pontificis & Epiſcoporum, ut & de horum confirmatione ac ordinatione, diſputat. Negat p. 26. Hadrianum ius eligendi Romanum Pontificem in Carolum M. eiusque ſucceſſores tranſtuliſſe. Inſeritur & locus ille famoſus de Inveſtituris Laicorum, quas a Gregorio VII. eiusque ſucceſſoribus optimo quovis iure damnatas, ſummo cum conatu, nec ſine conviciis in diſſentientes, contendit. Fuiſſe uſurpationem Imperatorum, aut ad ſummum privilegium a Pontifice conceſſum, ob abuſum autem merito revocatum. Iuſtinianum cum aliquo ſibi ſubiectorum contendi exiſtimes! Excipiunt hunc Tituli VII. & VIII, ubi de Pallio diſſerens, *utilitatem ac neceſſitatem caeremoniarum ex Parte II. Philoſophiae Practicae Univerſalis Illuſtriſſimi Baronis Wolfii* vindicatum it., Non quod puer in faba! Sub huius Philoſophi tutela, Molinæum, Fleiſcherum, alioſque lacerandos ſibi ſumſit; quod poſtquam præſtitiſſe ſibi viſus eſt, addit p. 121. *Haec velim probe expendant Domini proteſtantes, ſibique impoſterum caveant, ne ſimile quid temere contra huiusmodi diſciplinae Catholicae capita inventum ſcribant, unde ab oculatioribus rideantur.* Nugæ. Sed magis notari merentur, quæ pagina

gina præcedenti ſcribere non erubuit: *Qui* (Pontifices) *in Eccleſiae neceſſitatem & utilitatem bona & reditus eiusmodi impendunt, ſive ad Eccleſiae eiusdem defenſionem, ſive ad ſubveniendum Chriſtianis & Catholicis Regibus, cum ex factionibus Acatholicorum, aut quorumnis perduellium coniurationibus, eorum Maieſtas & regna in diſcrimine verſantur.* Sed hæc diiudicanda cuivis æquo rerum æſtimatori relinquimus. Sequuntur Tituli IX. X. XV. XXIII. XXIV. XXV. XXVI. XXVII. XXVIII. XXX. XXXVIII, atque Libri II. Titulus I. ubi locus de iudiciis Eccleſiaſticis ample exponitur.

Tomus III. continet Notas in Librum III. Decretalium. Ib. 1754. pagg. 430. Illuſtrantur Tituli I. II. III. IV. V. XXV. XXVI. XXVIII. XXX. XXXI. XXXV. XXXVIII. XL. XLI.

Tomus IV. continet Notas in Librum IV. & V. Decretalium. Ib. 1755. Ex libro IV. unus explanatur locus de Matrimoniis. Speciminis loco ſint, quæ Auctor p. 40. divortium quoad thorum, ſalvo tamen vinculo matrimonii, fieri poſſe probaturus, in medium profert. *Nec - - - - - Domini Proteſtantes,* inquit, *negare poſſunt, dominium directum ab utili poſſe ſeparari; hoc enim natura Feudorum & Emphyteuſium clamat: & hinc concedant neceſſe eſt, in matrimonio poſſe mutuo conſenſu, ius ad uſum corporum memia copula carnali tolli, per votum e. g. continentiae perpetuae, manente Iure directo in corpora, & conſequenter matrimonii ſubſtantia ſarta tutâ perſeverante.* In re ſeria hominem iocari putes, aut quid ſcribat neſcire. Ex Libro V, illuſtrantur Tituli VII. VIII. IX. XXXVII. XXXIX. In catalogo Hæreticorum cenſentur diſerte, & tanquam coryphæi, Lutherus cum Calvino p. 314. ſqq. Taedet referre ſexcenta, quorum rei aguntur, flagitia & crimina. Supellex aliis ſublecta, & ranarum in limo cantilena, pridem exploſa. P. 364. exhibetur *Propoſitio* dira illa atque ſanguine ſcripta: *Iudices, tum eccleſiaſtici, tum laici, in Ecleſia Catholica, Haereticos poenis temporalibus, ac ipſo etiam ultimo ſupplicio, iure damnarunt ac damnant.* Hanc paginis 27. & ſequentibus, probatum, & ab obiectionibus vindicatum it. Ratiunculæ, quibus utitur, huc fere redeunt: 1) provocat ad pactum ſingulorum cum eccleſia p. 365.

2) in Articulis fidei dari legitimum dominatum in conſcientias, contendit p. 369. 3) Hæreſin eſſe non tantum peccatum, ſed & crimen publicum, cum Iure Publico univerſali, ſacra cuiuslibet civitatis legibus fundamentalibus regenda ſint, p. 370. ſqq. 4) eſſe eam quoque crimen læſæ Maieſtatis divinæ, adeoque non minus quam blasphemiam ac ſimilia vindicandam, p. 373. ſqq. 5) Hæreticum, ſcandalum dando, ſimplicioresque fideles ſeducendo, hos atrociſſime lædere, p. 374. 6) Hæreſin turbare pacem publicam, p. 376. Quibus tamen aliud non præſtitiſſe videtur, quam ut novo exemplo, eoque illuſtri ſatis, comprobaret, nondum defeciſſe Saulos, ne in Imperio Romano-Germanico quidem, nomenque ſuum ante pueris tantum, nunc & viris debere ominoſum videri. Quantus denique pruritus homini ſit, verba Evangelicorum captandi, eaque inique interpretandi, adparet ex iis quæ p. 391. in Fleiſcherum ICtum Francofurtanum ſcribit: *Qui etiam* (Fleiſcher in Introd. in Ius Can. Cap. 29.) *§. 20. ut defendat haereſim non eſſe crimen, in eam impietatem delabitur, ut aſſerat: aber ich halte davor, daſs ein vernünftiger Menſch nicht begreifen kann, wie es möglich iſt, daſs der allmächtige Gott von dem Menſchen als einer elenden Creatur könne beleidiget werden; hoc eſt: ego vero credo hominem ratione praeditum non poſſe capere, quemadmodum poſſibile ſit, quod omnipotens Deus ab homine, tanquam miſera creatura, offendi poſſit. Ecce ut tueatur, haereſim non eſſe crimen, Chriſtianam fidem abnegat ICtus ille, Chriſtumque cum tota S. Scriptura mendacem facit, qua peccatoribus praedicitur iudicium, & ignis aeternus, offenſas divinas ulturus.* ψευδερμηνείαν verbi *beleidigen*, quis non videt. *Beleidigen* ICtis eſt *Laedere: Laedere* eſt medium felicitatis eripere. Hoc cape, tene, & adplica ad Deum. Quod ſi ſine abſurditate non poteris, cavillari, ac iuventuti Bohemicæ fumum vendere, deſine!

Methodus Auctoris hæc fere eſt, ut locum quemvis primo hiſtorice, temporum ordine preſſo, tractet; quæſtiones deinde dubias, ſive facti, ſive iuris, ſive etiam Theologicas, proponat; ſententiam porro ſuam formula edat, rationibus denique eam corro-

Digitized by Google

corroborare, atque a diſſentientium obiectionibus vindicare tentet, expreſſa ubique Dialectices Arabicæ diſciplina, qua ipſa nihil non deformaſſe videtur. Scribendi genere utitur eo, quod e medio ævo per manus fideliter traditum accepit. Errores graphicos obſervare facillimum, enumerare difficillimum eſſet. Plus præſtitit tamen, quam inſcriptio operis promittere videtur. Notas enim tam prolixas vix quisquam ante edidit. Pandectas dixeris Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ, Iuris Canonici, ac denique Theologiæ Polemicæ. Ineſt iis bilis in diſſentientes multum, diligentiæ ſatis, eruditionis ſolidæ parum, elegantiæ nihil.

AN ESSAY TOWARDS A NATURAL HISTORY OF the Corallines, &c.

i. e.

TENTAMEN PHYSICUM HISTORIAE CORALliorum, & aliorum concretorum marinorum eiusdem indolis, communiter ad litora Magnæ Britanniæ & Hiberniæ repertorum, cui addita eſt deſcriptio polypi marini maioris, prope ad polum arcticum a piſcatoribus balænarum per æſtatem anni 1753. capti: per IOAN. ELLIS, Regiæ Societatis Sodalem.

Londini, 1753. c. fig. æn. 36. in 4.

Ex quo TREMBLEY aliique, minuta animalcula illa aquarum dulcium, quibus polypis nomen eſt, detexerunt, & inter alias illorum ſingulares omnino vivendi, naſcendi ſeſeque propagandi conditiones, id quoque obſervarunt, quod ex fruſtis ſectis renaſcantur, quodque, cum ſeſe alicui aquatico corpori affixerunt, in morem plantæ, vegetent & ramos emittant; factum quoque eſt, ut curioſi rerum naturalium indagatores ad aquas marinas animum adverterent, & ſimilia in illis animalcula deprehenderent. Primus inter omnes erat *Celebris*

Vir, Bernardus IVSSIEV, *Pariſienſis*, qui Actis Academiæ regiæ ſcientiarum novas, de polypis marinis, commentationes inſereret. Ab illo tempore, cum naturæ ſcrutatores illis animalculis reperiundis, & deſcribendis, plus atque magis ſtuderent, evenit quoque, ut intra receptacula coralliorum, maxime illorum, quibus *keratophytis*, *muſco marino*, *tubulariis*, *reteporis*, *eſcharisque* nomen eſt, eiusmodi corpuſcula articulata, motum avtomatum exercentia, deprehenderentur, putarenturque iſtos, in quibus habitant, tubulos, vel ſibi ipſis elaboraſſe, vel eosdem ſibi habuiſſe congenitos. Huius rei argumentum ſimile in exemplis maioribus conchyliorum, quibus ubulis nomen eſt, repertum fuit. Namque LISTERVS, in illis animalcula eiusmodi, quæ polypi aquatici ſpeciem ferunt, iam viderat atque delineaverat. Viſum igitur corallium eſt eſſe polyporum marinorum familia, e plurimis eiusmodi tubulis, ſingulis ſingularem polypum nutrientibus, in aliquam veluti rempublicam, apum aut fucorum vel veſparum ritu, congeſta. Qua in re quidem conſentire, & tubuloſa corallia cum eſcharis, madreporis, reteporis, pro polyporum ſtatione & fabrica habere, arduum non fuerat. Aſt perſuadere ſibi omnes paſſi facile haud fuerunt, nullum eſſe corallium, quod non eſſet polyporum familia, vel in quo non habitaſſent, & illud tanquam congenitum ſibi domicilium habuiſſent polypi. Sed experimenta experimentis aucta, admirabilem illam de coralliis omnibus, uti polyporum ſtatione & fabrica, ſententiam, perpoliverunt magis, & eandem comprobaverunt ita, ut nunc plerique, ſive de rei veritate perſuaſi, ſive doctrinæ novitate illecti, ſive, ne nimis veterum ſententiarum tenaces eſſe viderentur, veriti, cum corallium vident, ſe polyporum exuvias ſiccas videre pronuntient. Cui ſententiæ ſi fidem habeas, vel corallia ex plantarum catalogo erunt exſcalpenda, vel medius ſervandus modus eſt, ut corallium, *planta animal*, ſeu familia polyporum, ſubinde aucta, & plantarum ritu evoluta, atque in ramos, fruticis ſpecie, extenſa eſſe perhibeatur. Id igitur, quod de hac nova opinione ſparſim, vel dicendo relatum, vel ſcripto promulgatum non ſatis clare fuit,

nunc

Digitized by Google

nunc diſerte a *Clariſſimo* AVCTORE proponitur, poſtquam ille, experimentis repetitis, corallia quævis, polyporum intra tubulos, corneos, lapideos, membraneos, genitorum, atque cum illis una auctorum, eſſe congeriem, penitus cognovit. Namque nulla ceratophytorum, tubulorum, eſchararum, & coralliorum in univerſum omnium, quæ lapidea ſunt, & ex tubulis contexta, ſpecies eſt, in qua ille Autor polypos haud deprehenderit, viderit, delineaverit, motumque iſtorum animalium clare haud animadverterit. Invenit etiam modos, quibus poſſent iſthæc animalcula, in ceratophytis & corallinis, quas muſcos marinos, & a ſpecie ſua *abietes, cupreſſus, tamariſcos marinos* vocant, inque plantarum illarum utriculis deprehenſa, intra ſpiritum lymphaticum, vaſe vitreo, claudi, atque, ne quid dubitationis ſupereſſet, conſervari, & trans mare ad amicos mitti. Maxime autem iſtis obſervationibus favebant ceratophyta veſicularia, quibus, in ſummo plantæ hactenus putatæ loco, aut inter articulos maiores, ſunt utriculi pro totidem polypi cuiusdam habitaculis æſtimandi. Namque intra illos potiſſimum eiusmodi animalcula conſita eſſe, ex iisdem egredi, inque illis de novo recondi, clare animadverſum eſt, ut hac quidem de re, habitare ſcilicet in ſummis coralliorum locis polypos, nullum poſſit ſupereſſe dubium. Utrum autem totus corallii, etiam duriſſimi, habitus, tubulorum polypos continentium ſit congeries, tam facile non concipiunt, qui primis novarum rerum commentationibus ſtatim fidem haud adhibent; quod illis vitio vertendum haud eſt, qui alicui vetuſtiori ſententiæ, non etiam improbabili viſæ, innutriti hactenus fuerunt. Illorum obiectionibus obviam procedit *Clariſſimus* AVCTOR. Namque prævidebat fore, ut haud paucis difficile creditu eſſet, quatenus inſignes illæ coralliorum, quæ *Antipathes* & *Corallium nigrum* dicuntur, ſtirpes, radicibus ſuis, ſcopulis, aliisque marinis corporibus firmiter adhærentes, plantæ dici haud debeant, cum fibræ, illis orbicularibus annuis arborum ſimiles, atque itidem longitudinales illæ, a radice ad ſummum ramulum excurrentes, ubique adeſſe deprehendantur; & qua ratione corallium rubrum lapi-

deum ramoſum, duriſſimæ compagis, in quo tubulos, uti polyporum nidos, detegere arduum omnino eſt, poſſint haud planta & animalculorum potius fabrica videri. Igitur Corallia neutiquam ita contemplanda eſſe autumat, uti, extra mare, ſicca & rigida obſervantur, ſed talia, qualia ſub marinis undis exiſtunt, molliora ſcilicet longe & ſuccoſa, in quibus tunc, ad horizontem diſſectis, tubuli, cum ſuis animalculis, ſimiliter radicatis, & a baſi ad ramos extremos excurrentibus, conſpici poſſint. Inde eſt, quod corallium rubrum, ſub mari, ſuccoſum, ſcilicet ſucco lacteo turgidum eſt, quem humorem, animalculorum liquamen eſſe, Auctor putat. Propterea etiam ceratophyta, aduſta, odorem ſimilem illi, quem partes animales ambuſtæ produnt, id eſt empyrevmaticum, edere ſolent, unde indolem animalem illis eſſe eo plus conſtare poſſit. Poſſet quidem aliquis autumare, eſſe polypos iſtos acceſſorios, & veluti inſecta marina, ſuum in plantis marinis earumque utriculis ſtruentia domicilium, veluti inſecta terrena plantis inſidere, inque iisdem ſuam ſedem figere, novimus. Sed vero confutat illos *Auctor*, quandoquidem obſervationum conſtantia, polypos iſtos coraliorum partem eſſentialem eſſe docuit: Dantur autem polypi, poſt illos *radicales*, qui ſcilicet cum ipſo coralio de radice ad ſummum ramulum, & ad usque extremam veſiculam excreſcunt, etiam *ſuperficiales*, & veluti *corticales*. Namque coralia, tam flexilia quam rigida, ruſum aliquem, qui hactenus ſabulum marinum eſſe viſus fuit, circa ſe gerunt corticem. Hic autem, non forte cruſta caſu naſcens, ſed organica polyporum fabrica eſſe, ſimiliter deprehenſus fuit, veluti microſcopiorum uſus oſtendit. Abeat igitur coralium ex plantarum familia, ſitque impoſterum animal vegetans, ex animalculis una coactis compoſitum. Namque, ſi quis hoc ſibi de coraliis duriſſimis perſuadere poterit, circa corallophyta mollioris compagis, *ſpongias* & *alcyonia*, eo minus ambiget. Quodſi enim iam *Plinius*, ſuo tempore, *ſpongias* animal eſſe, atque contactum ſubterfugere, & moveri, obſervavit: quanto plus, ex huius recentis theoriæ placito, ſpongia quævis, in variis ſuis ſpeciebus, erit animal cenſenda, cum nunc in ſingulis eius veſiculis

culis polypus nidulari putatur. Ne autem omnis de coraliis, uti plantæ ſunt, theoria, qualis hactenus fuit, periret, noluit *Clariſſimus* AVCTOR exulare nomina ſemel recepta, quæ RAIVS in *Synopſi ſtirpium Britannicarum,* itidemque IMPERATVS & BOCCO induxerunt. Notiones illas retinet, illisque TOVRNEFORTII aliorumque, qui coralium, uti plantam, intuiti fuere, ſubiungit nomina, ſervato ſibi hoc, quod plantæ iſtæ marinæ veterum, familiæ polyporum, ſique illas ſiccas videmus, polyporum dici debeant exuviæ. Singulorum eiusmodi polyporum fruticantium imagines adiecit, & extremos ramulorum apices, lente optica viſos, ſub grandiore ſchemate adpinxit, ut notio eſſet clarior. Sub finem addita eſt alicuius polypi marini, ex tubulis maiusculis proſpicientis, effigies, quem *Clariſſimus* LINNAEVS, *Hydram marinam arcticam corporibus multis octodentatis baſi coniunctis & ſcapo ſuſtentis,* appellat, atque illius imaginem, in iſto *Lapide Encrino* ROSINI, quem *Lilium lapideum* vocant, expreſſam eſſe ſuſpicatur. Gratias illi habemus, pro novo hoc invento, cui an reliqua experimenta favere poſſint, tempus docebit. Poterimus interea eius opera uti, etiamſi coralia, veluti plantas, porro conſiderare, atque illa, hoc reſpectu, in ordinem redigere voluerimus.

PHILOSOPHIA MATHEMATICA, COMplectens Scientiam rerum univerſalem ex Euclide reſtitutam. Conamina duo Poſteriora. Auctore IOHANNE IACOBO HENTSCHIO. Editio Nova.

Lipſiæ, apud Heredes Lankiſianos, 1 Alph. in 8. cum XII. figuris æneis.

Hæc Conamina mathematica Geometriæ Euclideæ uſum in Philoſophia ſpeculativa uberius demonſtrant, ſimulque declarant, notiones ultimas totius ſcientiæ humanæ ex Geometria eſſe repetendas. Non parum conducit hæc philoſophandi methodus ad inveſtigandas veras rerum notiones, quæ tanquam fundamenta reliquarum omnium ſcientiarum haberi poſſunt. Sin-

Digitized by Google

Singularia, quæ ad hanc editionem novam acceſſerunt, attingunt principium ſic dictum rationis determinantis, de quo præter rem noſtris temporibus multa diſputari ſolent. Quis enim, monente ipſo Auctore, non videt, principium memoratum cum Ariſtotelicorum principiis eſſendi & fiendi coincidere, nec non idem eſſe cum hoc enuntiato: *circa rem quamlibet diſquirendum eſſe, quod, & quomodo ſit?* id quod nemo rationis uſu præditus temere negaverit. Accedit index novus omnium Sectionum totius Operis, ex quo ſumma rerum propoſitarum innoteſcit. Gratulamur Auctori, doctorum Virorum, atque iſtarum rerum intelligentium, favorem & plauſum; eumque ad pergendum in hoc tramite, ſi quid preces noſtræ poſſint, hortamur.

Sammlung ungedruckter gelehrter Merckwürdigkeiten ꝛc.

h. e.

ANECDOTA HISTORICO-ECCLESIASTICA novantiqua, ſive Collectio memorabilium litterariorum typis nondum exſcriptorum, qua omnis generis utiles & iucundæ Relationes, Obſervationes, & Epiſtolæ celebrium Virorum, illuſtrandæ Theologiæ, antiquitati, & Hiſtoriæ eccleſiaſticæ, nec non eruditorum, veteris pariter ac recentioris ætatis, inſervientes, ex ſchedis manu exaratis depromtæ, luci publicæ exponuntur, & neceſſariis annotationibus auctæ, dantur a IOHANNE DIETERICO WINCKLERO, S. Theol. Doctore, & Eccleſiarum Hildeſienſium Superintendente. VOLUMEN I. Partes I-VI. una cum appendice complectens.

Brunſvigæ, ſumtibus heredum Lud. Schroederi, 1757. 3 Alph. plag. 1. in 8.

Optime

Optime de orbe erudito publica mereri, qui monumenta literaria, in privatis ſcriniis latentia, cum hominibus doctis communicare amant, patet per ſe, nec vocari in dubium poteſt. Eſt autem moroſus iſte ac invidiæ plenus multorum genius, qui theſauros eiusmodi literarios anxie corradere, ac tenaciſſime ſervare, captivorum inſtar, ſolent; felices ſe putantes, ſi de divitiis talibus gloriari ipſis liceat, in communes uſus easdem aliis cedere, ſeu ſuppeditare evulgandas, nequaquam ſoliti. Ab ignobili hoc hominum deteſtandorum genere prorſus alienus eſt ſumme Reverendus *Wincklerus*, id contra felicitatis loco reputans, ut, quas poſſidet, ineditas amoenitates doctas, publici iuris faciat, & communi utilitati inſervituras evulget. Neque vero ob huncce ſolum ſcopum collaudanda eſt hæc eius opera, ſed vel ideo hoc magis prædicanda, quod largis atque eruditis ſuis annotationibus ubivis illuſtrata dederit monumenta illa anecdota, lucem præprimis ſuppeditantibus lectori, eundemque de circumſtantiis hiſtoricis cuiuslibet particulæ certiorem reddentibus. Per partes opus hoc edendi conſilium cepit Vir celeberrimus, quarum *prima* & *ſecunda* anno 1751. prodierunt iam in publicum, *tertia* anno 1754. ſecuta, *quarta* anno 1755. tandemque *quinta* & *ſexta*, cum *mantiſſa*, anno 1756. & 1757. acceſſerunt. Nos, pro more, de ſingulis dicemus.

Pars prima exhibet I. *Theologi cuiusdam pie defuncti Reſponſionem ad tres quaeſtiones, ſacram coenam concernentes:* num totum Chriſtum, ſecundum utramque ipſius naturam, cum ore corporis accipiamus, an vero corpus tantum eius, ab anima & deitate ſeparatum, & ſanguinem ab anima & deitate ſeparatum? num doctrina, poſterius momentum affirmans, in ſacris pandectis, & ſymbolicis eccleſiæ noſtræ libris, contineatur ac fundata ſit? num laudandum & commendandum ſit, ut de modo myſterii huius graviſſimi, publice, e cathedra eccleſiaſtica diſputet verbi divini miniſter? Negantur poſteriores duæ quæſtiones, unde, quemadmodum ad primum reſponſio fluat, facili negotio concludere datur. Quantum meminimus, hæc quæſtionum triga variis theologis noſtratibus propoſita Pag. 1.

X olim

olim fuit, quorum tamen mens in reſpondendo non potuit non ſecum amice conſpirare, ubi ſecundum ſanam noſtræ eccle-
Pag. 7. ſiæ doctrinam res diiudicanda eſt. II. *Reſponſum theologicum ſuper quaeſtione: num perſona illuſtri loco nata, a coniuge illegitimas ob cauſas abire ex thoro iuſſa, bona cum conſcientia ad vota ſecunda, vivo altero coniuge, tranſire queat?* Optime il-
17. lam agere, reſpondetur, ſi a ſecundis votis abſtineat. III. *Beati cuiusdam Theologi deductionem informantem de confeſſione & abſolutione.* Sana hic proponitur ac defenditur eccleſiæ
27. noſtræ, de iſto articulo, doctrina. IV. B. *Io. Adami Scherzeri*, Theol. Doct. & in Acad. Lipſ. Prof. Prim. *de morte & ſepultura Moſis, ad Deut. XXXIV. 5. 6. Obſervationem philologicam.* Summus quondam hic noſtræ Academiæ Theologus, prælectionum inſtar, hanc obſervationem auditoribus ſuppeditavit tempore feriarum dierum canicularium, cum ordinis philoſophorum Adiunctus eſſet. Singula momenta ab ipſo phi-
69. lologice & critice leguntur excuſſa. V. *Caſp. Büſſingii*, Potentiſſ. Daniæ Regis a conſil. Conſiſt. & Comitat. Oldenburg. ac Delmenhorſt. Superint. Generalis, *Literas ad amicum, controverſiam narrantes, quae ipſi cum Hect. Adr. Ianſſenio*, Conſiſt. Regii Aſſeſſore, *interceſſit.* Orta hæc lis eſt ſuper quæſtione: num Romanorum milites adfuerint præſentes, cum Servator, a Iuda Iſchariote proditus, captivus duceretur? Qui hic deſcribitur, *Ianſſenii* modus agendi, non ſane comparatus
79. ita fuit, ut Theologum decebat. VI. *Ampliſſimi Senatus Gedanenſis Decretum, ad D. Sam. Schelguigium ſpectans*, d. 8. Auguſti 1704. publicatum, *una cum Schelguigii reſponſione.* Ex adiectis notis cel. *Winckleri* apparet, fuiſſe *Schelguigio* controverſiam motam a *Conſtantino Schützio*, Paſtore Gedanenſi, hoc Propræſidis in ſacro ordine dignitatem, mortuo præſule, ſibi vindicante, cui & acceſſit laudati Senatus voluntas de-
86. cretoria, *Schelguigio* in iſta acquieſcere iuſſo. VII. *Heino Schubarti*, eccleſiaſtæ Oſterbrucenſis, in terra Hadelenſi, *epiſtolam ad Theologum vicinum, de loco Levit. XVIII. agentem.* Agit auctor huius epiſtolæ eorum partes, qui lege iſta obligari novi foederis Chriſtianos volunt, gradus autem ibi prohibitos ſecundum

dum graduum, non perſonarum computationem, accipere iubent. Varia huc ſpectantia argumenta doctisſime ediſſeruntur. VIII. B. *Gerh. Wolteri Molani,* Abbatis Loccumenſis, Pag. 93.
Reſponſum de b. Funckii, A. 1698. evulgata detectione Novatorum, & Brenneiſenii ob eandem edito ſcripto. Friſiæ orientalis Paſtor hic *Funckius*, anno 1729. d. 12. Novembr. fatis functus, oppoſuit ſe citata ſcriptione *Brenneiſenio*, conventicula ſic dicta defendenti. IX. *Scripta eriſtica in controverſia* 126.
de legis impletione, anno 1699. inter D. Ioach. Iuſtum Breithauptium, tunc temporis miniſterii ſacri Erfordienſis Antiſtitem, & Zachariam Hogelium, ſcholae Senatoriae ibidem rectorem, agitata, & hinc inde ventilata. Scriptores, unde peti huius controverſiæ hiſtoria poteſt, allegare non neglexit in adiecta nota Ven. Editor. Multum vero lucis ex ſcriptis hiſce lucratur ipſa hiſtoria, non ſine magno fervore, agitatæ controverſiæ iſtius.

Pars ſecunda continet X. *Reſponſum Facultatis Theologicae* 147.
Lipſienſis, anno 1694. circa caſum quendam datum. Obelo, prouti par eſt, notantur ſententiæ variæ erroneæ, & res geſtæ deterrimæ atrocis cuiusdam concionatoris aulici. Indicatus ille quidem nomine non fuit, at momenta nonnulla, inter legendum a nobis obſervata, in opinionem nos adducunt, haud erraſſe celeberrimos auctores *novarum ſymbolarum theologicarum*, qui ad annum 1753. pag. 128. innui docent *Io. Henricum Haſſelium,* aulæ Coburgenſis olim primarium concionatorem, & conſiliarium eccleſiaſticum. XI. *M. Io. Chriſtoph.* 188.
Holtzhauſenii, verbi divini Miniſtri Francofurtani, literas ad M. Ioh. Iacobum Zimmermannum, Eccleſiaſten olim Würtembergenſem, datas, in quibus de controverſia, quae cum hoc illi fuit, agitur. Spectat hæc epiſtola ad hiſtoriam pietiſticam, ut vocant, in qua nomen haud celebre nactus erat *Zimmermannus,* officio ſuo tandem motus. Calamum contra ipſum ſtrinxerat, veritatis ſtudioſus, *Holtzhauſenius*, qui tamen concedit, nonnumquam ſtilo uſum ſe fuiſſe acerbo nimis, ac incitato. XII. Eiusdem *Holtzhauſenii Declarationem ſuper unum alterum-* 197.
que argumentum, de quo in ſuo contra Ioh. Matthaei edito ſcri-

pto actum fuit. Eiusdem illa eſt cum proxime antecedenti tenoris. Sub *Ioh. Matthaei* nomine latere *Zimmermannus* voluit. Inprimis improbat *Holtzhauſenius* durum illud de
Pag. 208. *Iac. Boehmio* iudicium. XIII. *Syllogen epiſtolarum aliorumque ſcriptorum, in controverſia exaratorum, quae inter b. D. Chriſtianum Gottlieb Kochium, Facultatis Theologicae Kilonienſis Aſſeſſorem, & Praepoſitum Apenradenſem in Ducatu Holſatico, & Nicolaum Brorſon, Eccleſiaſten Beedſtedenſem, dioeceſeos Apenradenſis, agitata fuit.* Anſam huic liti dederunt conventus clandeſtini, ſeu conventicula, a *Brorſonio* inſtituta, quibus ſe oppoſuit, boni ordinis in eccleſia ſervandi amans, pro officii ſui ratione, *Kochius*, *Brorſonio* in ſupremo ſacrorum antiſtite, *Georgio Iohanne Conradi*, cauſæ ſuæ præſidium
284. nacto. XIV. *Legisperiti cuiusdam vilioris, modeſta inquiſitio in magni alicuius Iurisconſulti cogitata de nomine filii hominis.* Et ſtilus, & rei tractandæ modus, ſatis teſtantur, non vilioris ordinis, prouti in inſcriptione huius obſervationis limatiſſimæ ſeſe appellare auctor illius amavit, ſed primi potius eundem eſſe ordinis Theologum. Ex conſpectu operis, qui poſt præfationem, volumini huic primo a Ven. *Wincklero* præmiſſam, legitur adiectus, patet, doctam illam commentatiunculam in acceptis referendam eſſe b. *Ioh. Ludovico Schloſſero*, Theologo Hamburgenſi celeberrimo. Cauſa vero, cur nomen commemoratum ille ſibi adſcivit, fuit, quod contemtim adeo de Theologis diſſeruit *Ioh. Petrus de Ludewig*, Halenſis quondam Academiæ Cancellarius alias doctiſſimus. Is enim eſt, qui in Halenſi Diario (*Hälliſchen Anzeigen*), de nomine *filii hominis*, Servatori noſtro ſaepius in ſacris novi inſtrumenti tabulis tributo, egit, & præ Theologis ſapere ſe putavit, demonſtrare conatus, quod per hoc nomen nihil aliud indicetur, niſi hominem fuiſſe ſanctiſſimum Salvatorem. Suo exemplo docuit beatus *Schloſſerus*, haudquaquam Theologorum ordini deeſſe membra, de rebus ſacris pro dignitate ſolideque diſſerere, & abſque Iurisconſulti talis ope, ri-
301. mari digne divinas literas capacia. XV. *Geo. Mich. Laurentii*, Archidiaconi Gratzenſis, *Literas ad amicum, A. 1699. exaratas,* *de*

de oſtio ovilis Ioh. X. & de eiectione male induti hominis, Matth. XXII. meletemata exponentes. Intelligi vult hic auctor per *oſtium ovilis* teſtimonia prophetarum, in Ieſu Nazareno impleta; per *male indutum hominem,* Papatum; & per *ipſius eiectionem,* Reformationem Lutheri. Valde dubitamus, an non ingenio nimis indulſerit, hæc diſſerens, diligentiſſ. *Laurentius,* vir alias de foro ſacro exegetico bene meritus.

Pars tertia memorabilia ſequentia ob oculos lectori ponit: XVI. *Imperatoris Leopoldi, glorioſae memoriae, epiſtolam ad Pontificem maximum Clementem XI. d. 16. Febr. 1701. ſcriptam, de unione Romano-Catholicae & Evangelico-Lutheranae eccleſiae.* Coeptum iam a Papa *Innocentio XII.* fuiſſe hoc unionis negotium, Cæſar commemorat, illud igitur ut novo zelo curet Clemens, eundem rogat. XVII. *Celeberrimorum quondam duumvirorum, Gerhardi Wolteri Molani, Abbatis Loccumenſis, & Baronis de Leibnitz, Reſponſum de unione religionis Romano-Catholicae & Proteſtantium, anno 1698. concinnatum.* Tum ad hoc, tum ad antecedens monumentum, luce ſane digniſſimum, illuſtrandum, apprime faciunt adiectæ a Ven. *Wincklero* annotationes, hiſtoriam magni illius negotii ſuccincte tradentes, & ad conſulendos fontes lectorem remittentes. Multo faciliorem autem eſſe iudicavit illam unionem biga laudata virorum celeberrimorum, quam quidem alii Theologi bonæ frugis, neque pacis oſores; in eo prædicandi, quod ſine veritatis detrimento, pacem inire noſtram eccleſiam cum Romana debere, docuerint. XVIII. *Ludolphi Guilielmi Maii,* Canonici Hildeſienſis, Romanæ eccleſiæ addicti, *literas ad Iacobum Fridericum Reimmannum,* Superintendentem Hildeſienſem, *anno 1722. datas.* Spectant hæ ad proxime antecedentes ſymbolas anecdotas, quas cum *Reimmanno* communicavit *Maius.* In catalogi bibliothecæ Reimmannianæ Tom. II. pag. 829. mentio illarum facta fuit, inter cetera viri beati manuſcripta enarrata. XIX. *Uberior relatio de controverſia nupera, quae venerando Theologorum Ordini in Academia Roſtochienſi, cum Ioh. Ludovico Engelio, Logices in eadem Acad. Profeſſore, interceſſit, ob demonſtrationem ex ratione petitam, pro perſonarum*

Pag. 3. 312. 337. 340.

Digitized by Google

rum pluritate in SS. Trinitate. Profectam hanc relationem
fuiſſe a Viro, iſtarum rerum ſatis perito, teſtatur S. R. Edi-
tor. Eo magis vero grata illa non poteſt non lectori eſſe,
quoniam accuratam adeo iſtius litis notitiam alibi vix nos de-
prehendiſſe meminimus. Apparet ex hac narratione, quam
inconſiderate in defendenda ſua opinione vana proceſſerit
Engelius, quamque ſolide eandem oppugnaverit Theologo-
Pag. 363. rum Roſtochienſium Ordo. XX. *Godofredi Guilielmi Leib-*
nitii epiſtolam ad Iac. Fridericum Reimmannum, Antiſtitem Hil-
deſienſem, anno 1703. datam. De nonnullis, ad hiſtoriam li-
terariam pertinentibus rebus illa agit; ſimul, quanti *Reim-*
366. *mannum* fecerit *Leibnitius*, declarans. XXI. *Summa aliquot*
epiſtolarum Ulrici Groſſen, pharmacopolæ Donaverdenſis, *ad*
Laurentium Strauſſen, annis 1608. & ſequentibus exaratarum,
quibus de turbis Donaverdenſibus narratio uberior continetur.
Refert in notis, ipſe Cel. *Wincklerus*, de iisdem præcipua mo-
menta. Specialiora autem varia ſunt, quæ in literis his ab
Ulrico Groſſen in medium afferuntur, quam inique & mali-
tioſe cum Lutheranis Donaverdæ egerint Ieſuitæ, inprimis
414. teſtantia. XXII. *G. L. Ianſonii,* Conſiſtorii Danici Aſſeſſoris
& Paſtoris Goltzwardenſis in Comitatu Oldenburgenſi, *lite-*
ras ad horum Anecdotorum Editorem, d. 8. Maii 1752. datas,
quibus controverſia Büſſingio-Ianſoniana, parte I. horum Anec-
dotorum, pag. 69. ſeqq. narrata, magis explicatur. Coram
orbe docto probat ingenuam ſuam mentem, a partium ſtudio
prorſus alienam, S. R. *Wincklerus,* dum has literas publici ipſe
iuris facit, in quibus contra primam Anecdotorum ſuorum
partem, ſed permodeſte & ſatis honorifice, monita quædam
ſunt. Cauſam patris defuncti agit in illis *Ianſonius* filius,
quem inter & *Büſſingium,* ultimis vitæ annis, amicitiam haud
422. fucatam cultam fuiſſe refert. XXIII. *Georgii Ludovici Oederi,*
Theol. Doct. & Antiſtitis Feuchtwangenſis, *defenſionem ſuae*
explicationis hiſtoriae decem leproſorum, ad Luc. XVII. 15-18.
Adverſarium haud ita modeſtum, ſed vehementiorem &
aculentum, in *Oedero* expertus nonnumquam fuit cel. *Winck-*
lerus, expertus in hac controverſia iterum eſt. Refutave-
rat

Digitized by Google

rat *Oederianam* interpretationem *Wincklerus*, in *animadverſio-
nibus* ſuis *philologicis & criticis, pag. 72. ſeqq.* Bellum inde
Wincklero indicendi anſam quaſi arripiens *Oederus*, criſti-
cam obſervationem, pro defendenda ſua ſententia, una cum
epiſtola ſimilis tenoris, *Wincklero* ipſi transmiſit eidemque, ut
notis ſuis munitam hanc ſcriptiunculam luci exponeret, pote-
ſtatem fecit. Eadem ratione cum *Ioh. Ludovico Schloſſero*,
nec non *Henrico Meenio*, viris celeberrimis, egerat *Oederus*:
quorum uterque *Oederiana* monita, cum ſuis additamentis re-
ſponſoriis, typis exſcribi curarunt. Sequi horum veſtigia
Wincklerus iam conſtituerat animo. Cum vero perſpiceret,
Oederum ipſi tribuere, vindicandi ultimæ reſponſionis in ſuis
controverſiis honorem, ſtudium ſeu morem: ſententiam muta-
vit, & ſolam *Oederi* defenſionem ſuæ explicationis, una cum
ipſius literis aculeatis, inſeri his Anecdotis curavit, orbi do-
cto iudicandi libertate, a cuius parte veritas ſtet, relicta. Nos,
ſi dicendum quod res eſt, in hac *Oederiana* defenſione, inge-
nium magis, quam ſolidum iudicium aut fundamentum, di-
laudandum eſſe putamus; in quo iudicio publice nobis iam
alii præiverunt viri docti. XXIV. *Statuta ſynodalia metropo-* Pag. 448.
*litanae eccleſiae Magdeburgenſis, a Iohanne, Archiepiſcopo Mag-
deburgenſi, Seculo XV. renovata, & ab Erneſto, ſucceſſore
eius, denuo confirmata.* Quæ in nota ſubiecta hic iterum diſ-
ſeruit Summe Reverendus *Wincklerus*, lucem ſuppeditant ſta-
tutis ipſis, antea ineditis. Poſſeſſorem olim, deceſſorem ipſius,
Reimmannum, agnovit hæc ſymbola ἀνέκδοτος. XXV. *Singu-* 460.
*laria de Calixtis, e MStis B. A. Hoieri, Conſiliarii quondam
Status Reg. Dan. excerpta.* Continent nonnulla, ex epiſto-
lis *Calixtinis* petita, & ad vitam utriusque viri docti, patris
& filii, ſpectantia.

Parte quarta ſymbolæ pariter cognitu eruditæ reipublicæ
digniſſimæ, proponuntur ſequentes: XXVI. *Collectio epiſtola-* 467.
*rum, quas viri celeberrimi, Gottfr. Guil. Leibnitius, & Petrus
Daniel Huetius, ad ſe invicem annis 1673-1692. dederunt.* In
hoc commercio litterario varia occurrere iſtius ævi memora-
bilia erudita, Lector facile coniiciet, nec fallere hanc coniectu-

ram,

Digitized by Google

ram, res ipſa docet. Gratæ vero inprimis erunt doctiſſimi Editoris additæ notæ, ſingulis rebus obviis multum illuſtrationis præbentes, quarum ſummam haud capiunt noſtræ pla-
Pag. 510. gulæ. XXVII. *Literae docti Galliae Abbatis, Claudii Nicaſii, ad Gottfr. Guil. Leibnitium A. 1692. exaratae, una cum P. D. Huetii epiſtola ad laudatum Nicaſium, eodem anno data.* Præter relationes nonnullas literarias, biga hæc epiſtolarum præprimis docet, quo in honore Gallos inter habitus fuerit *Leib-*
518. *nitius*, Germaniæ noſtræ æternum decus. XXVIII. *Ephraimi Praetorii*, Rev. Miniſterii Senioris Thorunienſis, *Relatio de turbis, contra ipſum a Martino Feltnero A. 1707. motis, huiusque rei exitu.* Heterodoriæ in variis doctrinæ chriſtianæ capitibus arguere *Praetorium* haud erubuit homo inſolens & imprudens, *Feltnerus*, ſacri ordinis candidatus Thorunienſis. Quo exemplo patet, neque ipſos ſummarum dignitatum præſules eccleſiaſticos, ab inimicis eiusmodi aggreſſoribus cavere ſibi poſſe, quamprimum petulantiæ fræna laxantur. Honori tamen *Praetorii*, pro eo ac debebat, conſuluit Senatus Thorunienſis. In vitæ *Praetorii* hiſtoria, & hæc res adhuc pertinuit ad
568. incognitas. XXIX. *Pontificis Maximi, Benedicti XIV. epiſtola encyclica ad Germaniae Archiepiſcopos & Epiſcopos, d. 20. Febr. 1755. data, ſpectans ad Concluſum Corporis Evangelicorum Ratisbonenſis, de tuenda in terris Haſſo-Caſſellanis religione Proteſtantium.* Magni eſt momenti hoc epiſtolium papale, quod tubam præſentis turbæ bellicæ forte haud præter rem dixeris.
572. XXX. *Martini Buceri, Theologi Argentoratenſis & Cantabrigienſis, literae ad M. Ioh. Baderum, d. 23. Maii 1544. exaratae, illius aetatis quosdam religionis motus illuſtrantes.* Varie diſputatum de *Bucero* fuit, cuinam eccleſiæ vindicandus ſit, Lutheranorum, an vero Calvinianorum? Quam in his literis prodit, mens, propius ad poſteriorem, quam ad priorem
583. coetum propendere videtur. XXXI. *Nicolai Brorſonii*, Verbi Div. miniſtri Hafnienſis, *additamenta ad relationem de controverſia, parte I. horum Anecdotorum, pag. 208. ſeqq. enarrata.* Agitatam fuiſſe olim inter D. *Chriſtianum Gottlieb Kochium*, & hunc *Brorſonium*, controverſiam, quibus conventicula, a

Digitized by Google

Brorſonio inſtituta, occaſionem dederunt, ſupra iam commemoravimus. Suæ cauſæ hic patronum egit *Brorſonius*, variisque allatis documentis putat probari, ſe mali nil egiſſe, aut pro ſcopo habuiſſe. Venerandus Editor, transmiſſa ſibi a *Brorſonio* hæc acta, publici pariter iuris facere haud denegavit, honeſto Viro dignum reputans, utrique litigantium parti facilem ſe præbere in publicandis ſcriptis eo pertinentibus.

Pars quinta pergit exhibere monumenta dignitate pari ſe Pag. 627.
commendantia: XXXII. *b. D. Philippi Iacobi Speneri, Rev. Miniſterii Francofurtani t. t. Senioris, literarium commercium cum Gottfr. Guil. Leibnitio, annis 1670. & 1671. inſtitutum.* Et in hiſce literis larga datur ſeges enarratarum rerum memorabilium, quæ annis citatis obtigerunt tam in eccleſia, quam in republica literaria. Additæ vero a doctiſſ. *Wincklero* notæ ſingulis illuſtrandis apprime inſerviunt, largo cumulo appoſitæ. XXXIII. *Frid. Wittingii, Paſtoris Hildeſienſis, coniecturam in* 666.
locum difficilem 1 Petr. III. 19. Reiicit auctor receptam adhuc Theologorum noſtratium ſententiam, cum de deſcenſu Chriſti ad inferos hunc locum explicant. Ipſius ex mente ad Noachi tempora reſpicitur, & verborum Petri hic ſenſus eſt. *Per quem ſpiritum, nempe per illos iuſtitiae praecones, a Deo ſervatos, ubique locorum praedicavit iis, qui increduli erant aliquando.* Docte & ingenioſe interpretationem ſuam coloravit V. Cl. nos tamen in aſſenſum nondum rapuit. XXXIV. *Exa-* 677.
men iudiciale cum Balthaſare Chriſtophoro Klopfero, Pietiſta Caſſelano, anno 1697. inſtitutum. Mentio huius *Klopferi* quidem, docente in nota adiecta *Wincklero*, facta alibi eſt, non tamen de erroribus ipſius ita clara omnia adhuc fuere, quam hoc examine publicato. XXXV. *Ioh. Henrici Horbii,* 718.
Columbarienſis, Relationem de itinere ſuo Belgico & Anglicano, communicatam per Phil. Iac. Spenerum cum Gottfr. Guil. Leibnitio 1671. Idem hic eſt *Horbius*, qui poſt varia munera publica eccleſiaſtica, Hamburgenſis demum eccleſiæ Nicolaitanæ paſtorem primarium egit, munere autem hoc ſacro, obortis notis illis turbis ſacris *Mayero-Horbianis*, abdicare ſe coactus fuit, in vicino ſuburbio A. 1695. d. 26. Ianuar. mor-

Digitized by Google

tuus. Varia ſcitu utilia, & iucunda, continet eius hic exhibita narratio, quæ vero ex adiectis Ven. *Winckleri* notis multum
Pag. 745. inprimis lucis lucrantur. XXXVI. *Emanuelis Hofmeyeri, coetus reformati paſtoris Amsdorfienſis, Relationes de viris quibusdam Belgii claris & eruditis, ex eius literis ad Iac. Frid. Reimmannum anno 1713. datis excerptae.* Suppleri ex his relationibus poterit *Henr. Ludolphi Benthemii* opus, *ſtatus Belgii eccleſiaſticus & ſcholaſticus* inſcriptus. Inprimis autem de *Nic. Gürtlero, Iac. Gouſſetio, Ioh. Bernoulli, Mich. Fortgens, Anton. Deuſingio, Alex. Andr. Pagenſtechero,* & *Tobia An-*
762. *dreae* agitur, narranturque varia vix hucdum nota. XXXVII. *Sereniſſimi Haſſiae Landgravii Darmſtadini, Erneſti Ludovici, literas ad Ampl. Senatum Francofurtanum, ad illius urbis Antiſtitem, D. Ioh. Dan. Arcularium, ſpectantes, una cum huius Arcularii reſponſione, magiſtratui tradita, & Facultatis Theologicae Wittebergenſis reſponſo.* Ediderat in vulgus laudatus *Arcularius* anno 1694. ſermonem ſacrum *de unitate in ſpiritu,* quo de terris ſuis quædam iudicaſſe eundem Landgravius putabat, in ipſum ferme iniuria. Innocentiam ſuam comprobat in reſponſo *Arcularius,* & comprobat eandem ordo ſacer
775. Wittebergenſis. XXXVIII. *Celeberrimi cuiusdam Saxoniae inferioris Theologi Reſponſum, de Zigeunorum baptiſmo.* Auctorem illius fuiſſe *Erdmannum Neumeiſterum,* magna cum eccleſiæ noſtræ iactura eidem nuper morte ſubductum, ex indice ad finem voluminis horum Anecdotorum primi adiecto patet. Iudicat magnus hic theologus, liberis Zigeunorum arreptis baptiſmum utique impertiendum eſſe.

Sequitur *Pars ſexta,* rerum æque pondere ac ſelectu com-
787. mendabilis, ſequentia continens memorabilia: XXXIX. *Caroli Chriſtiani Hirſchii, Diaconi ad D. Laurentii aedem Norimbergenſis, hiſtoriam criticam praeputii Chriſti, Pontificiorum commentis oppoſitam.* Magno eruditionis apparatu inſtructa eſt commentatio hæc poſthuma, auctorem ſatis redolens, ipſi-
848. usque nomine digniſſima. XL. *D. Abrahami Calovii, Prof. Theol. Witteb. Declaratio, ſacris literis, & formulae concordiae chriſtianae conformis, de punctis quibusdam inter nonnullos Theo-*

Theologos Auguſtanae Confeſſionis invariatae ventilatis, Wittebergae A. 1678. conſignata. Anſam huic declarationi dediſſe ven. Editor putat controverſiam, inter laudatum *Calovium* & collegam eius, *Ioh. Meiſnerum,* ortam, cui illuſtrandæ utique inſervit. XLI. *Theologorum academiarum Lipſienſis & Wittebergenſis Reſponſum, ſuper Confeſſione de coena Domini, a Superintendente & Paſtoribus eccleſiae Saxonicae in Tranſylvania A. 1561. tranſmiſſa.* Ex notis a cel. *Wincklero* additis apparet, eccleſiam Saxonicam in Tranſylvania eſſe tertiam inter tres nationes, quæ in Tranſylvania degunt, Evangelico-Lutheranas. Hæc cum A. 1560. valde vexaretur a Crypto-Calvinianis, miſit legatos Lipſiam & Wittebergam, de conſenſu eccleſiarum Saxonicarum in Germania, quem iactitabant Calviniani in Tranſylvania, ſciſcitandi ergo. Retulerunt hi legati reſponſum, hoc loco exhibitum, hiſtoriam Tranſylvaniæ eccleſiaſticam illorum temporum illuſtrans. XLII. *Celeberrimi quondam regni Sueciae Cancellarii, Axelii Oxenſtierna, epiſtolam ad M. Iſaacum Rothovium, epiſcopum Aboenſem, d. 7. Maii 1647. exaratam,* de Formula Concordiæ in iſta academia diligenter tractanda. Æternum hoc manet poſteritati commendatum zeli tanti viri in religionem documentum, quale ſane excellentius ab eo proficiſci nullum potuit. XLIII. *Eiusdem literas ad D. Abrahamum Calovium, t. t. Prof. Theol. & Gymnaſii Rectorem Gedanenſem, d. 2. Iunii 1647. datas.* Adductus a malevolis in ſuſpicionem erat *Calovius,* ac ſi reformatos a pace religioſa excludendos voluiſſet, huiusque rei cauſa potentiſſimi Electoris Brandenburgici gratia propemodum exciderat. Innocentiæ *Calovianae* ſe vindicem illuſtriſſimus *Oxenſtierna* ſiſtit, & numquam tale quid ad ſe perſcripſiſſe *Calovium* teſtatur. XLIV. *Tilemanni Stellae ad* laudatum *Oxenſtierna epiſtolam, d. 17. Iulii 1637. datam,* in qua de opere ſuo quodam hiſtorico agit. Quis hic *Stella* fuerit, comperire ſe non potuiſſe, in nota addita, *Wincklerus* profitetur, præter ea, quæ ex ſubſcriptione huius epiſtolæ elici queant. Opus vero, in hac epiſtola commemoratum, eſſe coniicit *librum contra Ferdinandi III, Imperatoris Romani electionem*

Pag. 896. 901. 905.

nem a *Stella* A. 1637. evulgatum, in *Placcii Theatro anonymorum & pſeudonymorum, Part. I. pag. 279. ſequ.* allegatum.
Pag. 910. XLV. *Iohannis Simonitae, Nuntii apoſtolici in Polonia, literas ad regni Poloniarum Cancellarium, Laurentium Gembiki, d. 28. Octobr. 1609. datas*, in quibus hunc ille de ſupprimendo *Iacobi* I. Angliæ regis, contra Papam edito opere, hortatur. Conſtat, *Iacobum* I. Angliæ regem, anno 1607. opus expoſuiſſe publicæ luci, quod inſcribitur: *Triplici nodo triplex cuneus:* de quo auctores a *Winckiero* allegantur conſulendi. Illud Pontificiis diſplicuiſſe, mirum non eſt; igitur neque hoc, quod de ſupprimendo eo libro magnopere laborarint,
914. qui difficulter refelleretur. XLVI. *b. D. Henrici Matthiae a Brooke, Superintendentis t. t. Hildeſienſis, epiſtolam ad Ioh. Wincklerum, Rev. Miniſt. Hamburgenſis Seniorem*, de mutatione An. 1689. oblata ipſi duplici agentem. Evocabatur hoc anno *Brooke*, ad Altorfini profeſſoris theologi primi, & Altenburgenſis Superintendentis generalis, ſpartam obeundam. Utriusque muneris, nec non Hildeſienſis, quo tunc fungebatur, exponit partes paulo cu-
921. ratius, *Winckleri* conſilium theologicum efflagitans. XLVII. *Philippi Magnanimi, Haſſiae Landgravii, literas ad Imperatorem Carolum V. tum ob Interim librum, tum libertatis ſuae gratia, d. 22. Iunii 1548. datas.* Inſerviunt illæ hiſtoriæ eccleſiaſticæ Haſſiacæ colluſtrandæ, quem in finem in ſubiecta nota nonnulla etiam monuit cl. Editor, non ſine lectoris commo-
930. do hic annexa. XLVIII. *Rev. Miniſterii Lubecenſis literas ad Ampl. urbis ſuae Senatum, A. 1624. datas, reſponſum ſpectans, Saxoniae Theologis impertiendum, qui de Tubingenſium nova doctrina de omnipraeſentia Dei & Chriſti hominis eorundem ſententiam efflagitaverant noſcendam.* Et hæc particula ad ſpecialiorem hiſtoriam eccleſiaſticam Lubecenſem pertinet ſup-
939. plendam. XLIX. *Andr. Staphorſtii, concionatoris aulici Haſſo-Darmſtadini, bigam epiſtolarum, ad Saxoniae inferioris Theologum anno 1691. datarum,* quibus de ſuis pariter, & eccleſiæ Darmſtadinæ ac Braubacenſis rebus, varia continentur memorabilia, ac lectu non inutilia.

Agmen

Digitized by Google

Agmen claudit *Mantiſſa* primi huius voluminis, in qua
comparent anecdota quædam, lectorum plauſum æque meren-
tia: L. *Spicilegium documentorum, ad controverſiam Kochio-* Pag. 955.
Brorſonianam pertinentium, quæ in parte IV. pag. 583. ſeqq.
fuere iam aliqua ſui parte producta. Pergit illa publici iuris
facere Editor celeberrimus, prouti ipſi a reverendo *Brorſonio*
transmiſſa fuere. LI. *b. Ioh. Friderici Winckleri, Rev. Mi-* 1032.
niſterii Hamburg. quondam Senioris, de R. Iſaaco Abarbanel,
eiusdemque libro משמיע ישועה *inſcripto, Commentatiuncula.*
Siſtit hic venerandus Editor paternæ eruditionis elegantiſſi-
mum documentum, orationem nempe, qua A. 1704. d. 4.
Maii munus Profeſſoris Orientalium linguarum in Gymnaſio
Hamburgenſi, cui per octennium cum laude præfuit, capeſ-
ſivit vir ille piæ memoriæ. Omiſit Editor exordium & finem,
iis tantum hic evulgatis, quæ ad rem tractandam faciunt. Ita
vero explicatum legitur id penſum philologicum, ut ſalivam
moveat lectoribus, plurium huiusmodi commentationum po-
tiundi anecdotarum. Quem enim Theologi iſtius beati fu-
giunt merita in Orientis literaturam? LII. *Phil. Alb. Orttii,* 1061.
Conſiliarii Pfedelbaco-Hohenloici, epiſtola, in Apocalypſeos Io-
hanneae loca nonnulla meletemata complexa, & A. 1684. exa-
rata. Fata eccleſiæ illis locis prædici Auctor vult, ita tamen,
ut ubivis non videatur acu rem tetigiſſe. Sed ſingula enu-
merare, ac diiudicare, chartæ vetat anguſtia. *Index* operi ab
Editore in fine adiectus, pariter ac *conſpectus* volumini præ-
miſſus, ad contenta facillimo negotio cognoſcenda ac repe-
rienda facit. *Generalem* vero *titulum, & praefamen* præterea
in fronte voluminis addidit Vir celeberrimus, de uno alterove
momento lectorem moniturus. Nos, ut pluribus operis
tam utilis ac iucundi Voluminibus exhilaret doctam rempubli-
cam, eundem volumus rogatum. Iſtud tamen monere, pace
Viri cel. non intermittimus, ut illas litium inter Theologos,
fere privatarum, & quas ſepultas iacere, & rei litterariæ in uni-
verſum, & Eccleſiæ conducit, recenſiones, impoſterum negligat.
Neque poſſunt Viro doctiſſimo diligentiſſimoque deeſſe, quæ
magis recreent Anecdotorum Lectores.

Digitized by Google

NOVA LITTERARIA.

Qui in regia bibliotheca Dresdenſi inter Bibliothecarios eſt, Henr. Ionathan, Clodius, *Vir doctiſſimus, MSCtum opus, quo edendo, rei litterariae cognitio magnopere iuvari poſſit, erudito Orbi merito commendavit peculiari programmate; cuius etiam a nobis mentionem fieri propterea aequum eſt, quia non ſolum operis eius Auctorem, nuper fatis functum, ſemper magni fecimus, ſed quod omne etiam inſtitutum iſtud, commodo litterarum dicatum eſt. Inſcripſit autem Clodius programma ſuum:* Specimen Theſauri novæ Bibliothecæ litterariæ, univerſalis, realis, ad uſum eorum, qui ſolidam Scriptorum cuiusvis Facultatis litterariæ notitiam ſibi comparare ſtudent. *Nos integrum dabimus, ingenue optantes, ut ſint, qui Operi egregio typis excudendo, & conſiliis adſint, & opera: quod utrumque ſperare nos iubet, Bibliopolae Aulici,* Georg. Conr. Waltheri, *praeclarum litteras iuvandi ſtudium. Ita igitur* Clodius *V. Cl. de hoc Opere:* Inter rei litterariæ deſiderata, quorum ingentem numerum adhuc eſſe, cordatiſſimi quique atque eruditiſſimi viri exiſtimarunt, Bibliotheca quædam litteraria reponenda eſt, in qua omnium omnino Scientiarum, Artium, ac Diſciplinarum Scriptores, ſecundum rerum capita & materias digeſti exhibeantur. Tale quid & patrum noſtrorum memoria, & ætate noſtra, ſummos Reipublicæ eruditæ vindices ac ſtatores in votis atque exoptatis habuiſſe, quosdam etiam illorum operi arduo & difficili primas iam lineas duxiſſe, non ignoramus. Sunt enim, quibus per partes Eruditionis univerſæ, divinæ & humanæ, ire placuit, & qui nobis *Bibliothecas Theologicas* (ſeu notitiam ſcriptorum Theologicorum), *Eccleſiaſticas, Iuridicas, Medicas, Mathematicas, Philoſophicas, Politicas, & Hiſtoricas,* larga manu, ac veluti in lance ſatura ſingulatim excuſas, adpoſuerunt, in quibus præter Auctorum vitas, ſcripta quoque eorumdem, doctæque lucubrationes continentur. Quorum laboribus, publico commodo tam gnaviter impenſis, & gratiam deberi, atque eorum meritis rite libandum eſſe, frequens eru-

eruditorum ac litteratorum Senatus cenſuit. Sed qui opus aliquod καθολικὸν, ſeu *univerſale*, orbi erudito dederit, qui ad unum omnes *Commentationum, Diſſertationum*, ac *Diatribarum* loculos, ſeu maximam earum partem, ordine elementario, utpote omnium ſimpliciſſimo, atque huic fini peridoneo, excuſſerit, & vaſtiſſimæ rei litterariæ compagem tanquam a fundamentis ad faſtigium perfecerit, ſcimus omnino neminem. Fuit olim, & ut ingenue profitear, eſt ad hunc usque diem *Bibliothecae Reali Quadripartitae Lipenianae* ſuus honor, & quoddam decus non contemnendum, ad quam, veluti ad ſacram ancoram, confugiebant, qui notitiam aliquam Auctorum illius materiæ, quam pertractandam ſibi ſumſerant, comparare ſtudebant, πολυθρυλλήτȣ illius non immemores: magnam eſſe Eruditionis partem, noſſe bonos Auctores. Tantumque abeſt, ut officere ulla ratione velimus præclaris meritis *Martini Lipenii*, improbo ſane, ac plus quam Herculeo labore quæſitis: ut potius unicum fere in hoc πολυμαθείας genere ſcriptorem, & non adeo inutilem promum aliquem & condum eſſe, lubentiſſime concedamus. At enim vero, ſi ætatem, qua *Lipenius* ſua compoſuit, reſpicias, ſi mente revolvas, quantum incrementi ceperit, quot progreſſus ab eo tempore, quo *Lipenius* inter mortales eſſe deſiit, res litteraria fecerit, quam ingens eruditarum materiarum meſſis enata, (de quibus aut nihil maioribus noſtris innotuerat, aut cum innotuiſſet, alto ſilentio preſſum ſepultumque iacebat;) mirari ſatis non poteris, *Benevole Lector*, in hac tanta eruditorum hominum multitudine, neminem adeo, vel pauciſſimos fuiſſe repertos, qui ſeu *Spicilegium* aliquod *Lipenianum*, ſeu *Continuationem* quandam, emendando & augendo maiori Operi addiderint. Atqui ſatis conſtare poterat, non ea, qua par eſt, ad rem rite patrandam, inſtructum fuiſſe *Lipenium* ſupellectile litteraria, nec ſat idoneo Bibliothecæ adparatu adiutum, imparemque fere tam immenſo rei librariæ theſauro congerendo, cum ex librorum *Catalogis*, &

Biblio-

Digitized by Google

Bibliothecis, tam *publicis*, quam *privatis*, in lucem emiſſis, ſua prope omnia haurire atque exprimere coactus eſſet. Ut ne adeo multa dicamus, quæ primo monuiſſe loco oportuerat, de impreſſis *Nundinarum Catalogis*, & *Ephemeridibus Litterariis nominalibus*, in quibus ſæpenumero promiſſi affectique labores, cum perfectis abſolutisque, & iam publicatis libris confundebantur, aut illi, qui in lucem quidem adſpectumque communem iam exierant, vitioſe ſatis, ac depravate, & locis ſæpe alieniſſimis allegabantur. Qua ratione factum eſt, ut, qui ſola auctoritate *Lipeniana* freti, ad hos fontes recurrerent, turbidam pro limpida atque illimi ſubinde aquam haurirent, id eſt, ut tu facile interpretaberis, Scriptorum Opera in medium producerent, de quibus tamen præter ſolos Titulos, nihil vel in officinis librariis, vel Bibliothecis publicis & privatis, exſtabat. Cuius rei teſtes hic excitare poſſem, Viros reipublicæ Litterariæ graviſſimos doctiſſimosque, qui, cum bona fide, & citra ſuam culpam, adparatum *Lipenianum* ſecuti eſſent, in errores varios inciderant, eandemque errandi viam aliis monſtrarunt. Quod vero dictum eſſe nolimus, de eiusdem *Lipenii Bibliotheca Iuridica*, poſt Clariſſimorum Virorum *Frid. Gottl. Struvii*, ac *Gottl. Aug. Ienichenii* curas, viginti abhinc annis, ultra dimidiam partem aucta, nævisque, quibus antea ſcatebat, innumeris purgata, cui deinceps laborioſa ſatis & ampla eiusdem *Ienichenii Supplementa* acceſſerunt. Quæ omnia ita comparata, atque ad invidiam ſtudioſe collecta ſunt, ut ſi reliquis *Bibliothecae Lipenianae* partibus, ſimiles curæ adhibitæ fuiſſent, haberet certe res litteraria, de quo ſibi iure optimo gratulari poſſet. His rationibus adductus quidam Germaniæ Eruditorum haud poſtremi ordinis, & quoad vixit diligentiſſimus, & Scriptorum a ſe evulgatorum numero & præſtantia clariſſimus, ut & rei litterariæ, (in cuius ſinu ab incunabulis usque ad provectiorem ætatem innutritus erat,) ſi quis unquam peritus, conſilium ceperat, adornandæ *Bibliothecae Litterariae Univerſalis*, in qua novus quidam, & quoad eius fieri poſſet, multo *Lipeniano* abſolutior ac fide dignior ſupellectilis librariæ

riæ Theſaurus contineretur, & quo nemo Eruditorum, cuiuscunque ordinis aut conditionis eſſet, absque inſigni detrimento carere poſſet, eorum præcipue, qui doctis lucubrationibus nominis ſui celebritatem parare, atque aucupari conſtituiſſent. Cuius nunc Methodum, qua in concinnando tantæ molis Opere uſus fuerit Vir πολυμαθέστατος, hic paucis exponam. Primo autem hanc ſibi legem, ab omnibus pæne aliis ante ſe neglectam, perpetuam ſacratamque dixit, ut nullum Auctorem in medium prodire iuſſerit, niſi a ſe ipſo viſum, manibus ſuis verſatum, oculisque ſuis perluſtratum, ut & ſcribentis ſcopum ipſe cognoſceret, & in ſuas quemque claſſes, ſecundum materiarum capita, convenienter ac commode digereret. Quorum immenſam copiam ex eo facile coniicias, quod quinquaginta annos continuos, arduo huic & permoleſto Operi *Bibliothecae Litterariae Realis Univerſalis*, Septem ac Decem Voluminibus, magna forma, litteris minutiſſimis, a ſe ipſo conſcriptæ impenderit, eoque temporis decurſu, non modo locupletiſſimas Bibliothecas frequentarit, ſed ipſe etiam triginta annorum, & quod excurrit, ſpatio, ſplendidiſſimæ ac opulentiſſimæ cuiusdam in Germania Bibliothecæ curam geſſerit.

Deinde, cum & iſta Supellex Litteraria, (quanquam aliis ampliſſima videbatur,) ſibi non ſufficeret, adimplendo quod cogitabat Eruditionis tam variæ promtuario, Litteratorum omnis generis *Ephemerides & Diaria*, quovis ſermone, & quibuscunque terrarum regionibus exarata, diurna nocturnaque manu verſavit, novosque, & ſibi adhuc intactos & incognitos argumentorum Auctores, inde diligenter excerpſit, ſuisque locis unumquemque eorum apte diſpoſuit. De quibus tum nulla dubitandi ratio eſſe poterat, an re vera in lucem prodiiſſent, cum præter Titulos, rerum quoque, quas continebant, *enarrationes ac recenſiones*, inſcriptionibus librorum ſubiunctas, deprehendiſſet. Quo circa ſingulas has *Ephemerides*, ducenarium fere numerum excedentes, ſingulis Litteris initialibus, quas *Abbreviaturas* vocant, (quarumque explicationem hic in primo ſtatim huius Speciminis articulo uncinis incluſam adiecimus,)

Digitized by Google

cimus,) cum Sectionibus ac Paginis ſedulo adnotavit. Unde præter alia, & hoc emolumenti ad Lectores ſtudendi ac proficiendi cupidos redundaturum ſciebat, ut qui prolixiorem cuiusdam Libri a ſe nondum viſi notitiam, atque uberiorem eiusdem deſcriptionem habere cuperent, tanquam filo quodam Ariadnæo adiuti, inexplicabili hoc rei Litterariæ Labyrintho facile ſe expedire poſſent. Quin & illud egit, ut omnium, quorum videndi copia dabatur, Operum *Theologicorum, Iuridicorum, Medicorum, Philoſophicorum,* ac *Hiſtoricorum* Collectiones, in quibus diverſorum ſæpe numero auctorum Scripta, & variæ eruditionis ac ſcientiarum Commentationes, Diatribæ, ac Diſſertationes comprehenduntur, curatiſſime excuteret, ac ſimili inſtituto ſub ſuis quamque articulis ordine alphabetico collocaret, *Operum, Collectionum, ac Faſciculorum foliis* ubique fideliter indicatis. Poſtea vulgo receptam quatuor *Facultatum Litterariarum* methodum ſecutus, hanc Bibliothecam Univerſam Realem ita ordinavit, ut Claſsi *Theologicae* quatuor, eaque ſpiſſe exarata Volumina, ac totidem fere unicuivis reliquarum partium, *Iurisprudentiae* nimirum, *Medicinae*, ac *Philoſophiae* conſecrarit: ita tamen, ut hæc ultima, inuſitato illo atque incredibili *Hiſtoriarum* adparatu, tanquam præcipua Bibliothecæ bene inſtructæ atque exornatæ parte ſuperbiat. In qua ſic verſatum eſſe ſcias Virum πολυμαθέστατον, ut hic etiam cuiusvis Regni & Provinciæ Scriptores, ſecundum diverſos regionum ac rerum publicarum *Status*, *Litterarium* ſcilicet, *Eccleſiaſticum*, ac *Hiſtorico-Politicum*, Alphabeti ordine exponat, quo promtior atque expeditior inveſtigandi ratio eſſet. Atque in his omnibus dici non poteſt quam incomparabilis rerum variarum ſit copia, ut vix ulla queat materia excogitari, cuius ille Scriptores haud indicaverit. In ſumma, talem non vidit orbis Litterarius, nec viſurus erit facile, rerum eruditarum farraginem, tanto ſtudio & cura in librum unicum collatam, qui ſi quid abſtruſum, ſi quid abditum, ſi quid etiam litteratisſimis hominibus ignotum quæras, inſtar Theſauri ſit, divitiasque immenſas veluti ex horreo quodam in commune bonum diffun-

Digitized by Google

fundat. Κολοφῶνα tandem operi huic grandi & laborioſo imponit *Volumen Decimum Septimum* idque ultimum, in quo omnium auctorum nomina, quæ in tota hac Bibliotheca Litteraria exſtant, eadem Methodo exhibita fuerunt. Plura in commendationem huius Theſauri inæſtimabilis præfari poteram, niſi longiore ſermone, atque ab initio propoſueram, tua amplius morari tempora, *Benevole Lector,* religioni mihi duxiſſem. Hinc unum modo alterumve articulum ex eiusdem *Bibliothecae Univerſalis Realis Parte Hiſtorica*, & nulla quidem forte habita, decerptum, ſed ut quisque primus in manus meas inciderat, veluti promulſidis loco hic adpoſuiſſe, tuoque ſubmiſiſſe iudicio, ſufficiat; Deum immortalem teſtatus, reliqua omnia, non eodem tantum, ſed & maiori eſſe ſtudio ac diligentia elaborata.

Ex Biblioth. Litter. Hiſt. Univerſ. Real. T. II. p. 858. ab initio.

I.

IACOBITÆ, & COPTI.

Anonym. de Iacobitarum & Chatzitzæorum Hæreſi, in Combefis. *Auctar. Bibl. Patr.* T. II. p. 261.

Abudacni ſ. Barbati, *Ioſeph,* Hiſt. Iacobitarum ſ. Coptorum in Ægypto, Lybia, Nubia, Æthiopia &c. habitantium. 685. Oxon. 12.

it. 677. Oxon. 12. I. S. (*Iourn. des Scavants*) T. 6. p. 169.

it. c. præf. de vita Iac. Baradæi, & Notis Ioh. Henr. a Seelen 733. Lub. 8. A. E. (*Act. Erud.*) Suppl. T. 10. p. 466. A. v. N. (*Altes v. Neues*) 733. p. 629.

it. c. notis Ioh. Nicolai, per Sigeb. Havercampium 1740. Lug. B. 8. B. R. (*Biblioth. Raiſonnée*) T. 28. p. 427.

Damaſcenus, *Ioh.* contra Acephalos, aut potius Iacobitas v. *Acephali.*

\- - - Libellus c. Iacobitas. *Opp. Damaſc.* T. I. p. 397.

Demetrius Cyzicenus de Iacobitis & Chatzitzæis in B. P. M. (*Bibl. Patr. Max.*) T. 12. p. 813.

Iacobi, *Ioh. Balt.* de Iacobitarum ſecta. Reſp. Herm. Dunte. 685. Lipſ. 4.

Sollerius, *I. B.* de Origine, Erroribus, & Inſtitutis Copto-Iacobiticis. adi. Ei. Tr. de *Patr. Alexandrinis.*

Ibid. p. 859.

I A P O N I A.

Litterar.

Collado, *Did.* Grammatica Iaponica 1632. Rom. 4. T. S. T. III. p. 29. Th. B. T. II. p. 303.

\- - - Dictionarium Iaponicum, eod. ib. 4.

Eccleſiaſt.

Narratio Perſecutionis adv. Chriſtianos excitatæ in Iaponia A. 1628-30. 1635. Antw. 8.

Vita & mors glorioſe ſuſcepta Alb. Meçinski, Poloni e Soc. Ieſu, in odium S. fidei Catholicæ ap. Iapones, una cum aliis quatuor ex eadem Societate interemptis A. 1643. d. 23. Mart. acc. Vita Petri Skarga, Poloni e Soc. Ieſu 661. Cracov. 8.

Litteræ Societatis Ieſu ex Iapon. A. 1602. ſq. *v. Chinenſ.*

\- - - Iaponicæ A. 1609. ſq. ad Claudium Acquavivam miſſæ, ex Ital. Latine p. And. Schottum 615. Antv. 8.

de Charlevoix, . . . Hiſtoire de l'Etabliſſement, des progrés,

Digitized by Google

grés, & de la decadence du Chriſtianiſme dans l' Empire du Iapon. 715. Rouen. 12. T. III. M. T. 717. p. 1152.

Craſſet, Hiſt. de l' Egliſe du Iapon. 715. Par. 4. T. II. M. T. 717. p. 423.

Frois, *Lud.* de Rebus Iaponicis, Hiſtorica Relatio triplex. 1) de Morte 26. crucifixorum. 2) de Legatione Regis Chinenſ. ad Regem Iaponiæ, & antegreſſis prodigiis. 3) de rebus per Iaponiam A. 1596. in Perſecutione geſtis 599. Mogunt. 8.

Hilſcher, *Ioh. God.* de Perſecutionibus Chriſtianorum in Iapon. Reſp. Car. Wilh. Iacobi. 690. Lipſ.

de T . . . Abbatis Hiſt. Eccleſiaſtica Iaponiæ. 689. Par. 4. Gall. T. II. A. E. 90. p. 173. & 239. I. S. T. 17. p. 486. H. O. 91. Sept. p. 3.

Varenii, *Bernh.* Tr. in quo agitur de Iaponiorum Religione; de Chriſt. Religionis introductione in ea loca; de eiusd. exſtirpatione; acc. de diverſa diverſarum gentium totius telluris Religione brevis informatio. 649. Amſt. 12.

Hiſt. Polit.

Schiffarth bey den Nord-Pol nach Iapan und China, ex Angl. 666. Mog. 4.

Epiſtolæ II. de rebus in Iap. geſtis poſt mortem Taicoſamæ A. 1599. A. 1601. ad Claud. Acquavivam, ex Ital. Latine. 608. Mog. 8.

Ambaſſades de la Compagnie des Indes Orient. des Provinc. Unies vers les Empereurs du Iapon. 680. Amſt. f. I. S. T. 8. p. 143.

it. 686. Lug. B. 8. Gall. T. II. B. U. T. 4. p. 499.

- - - Eiusdem Libri Breviarium. 687. Par. 12. T. II. Gall. I. S. T. 15. p. 139.

Albertini, *Æg. Hiſt. Nachr. von Iapan, Oſt-Indien, und Guinea.* 609. *Münch.* 4.

Iaponiæ Inſulæ Deſcr. brevis 582. Col. 8.

Carons, Franc. und Iod. Schoutens Beſchr. von Iapan und Siam, nebſt Ioh. Iac. Merckleins Oſt-Indian. Reiſe von A. 1644-1683. 663. Nor. 8.

de Charlevoix, Hiſt. & Deſc. Generale du Iapon. 736. Par. 4. & 12. T. IX. I. S. T. III. p. 245. 416. M. T. 737. p. 1076. 1396. 1721. 1880. A. E. Sup. Nov. T. V. p. 385.

Kæmpffer, *Engelb.* Hiſt. Iaponiæ, ſ. Relatio Status antiqui & hodierni huius Imperii, cum deſcr. Regni Siam, per Ioh. Caſp. Scheuchzerum, ex Germ. Anglice c. Vita Auctoris 727. Lond. f. T. II. B. A. T. 15. p. 1.

it. ex Angl. Gallice. 729. Hag. f. T. II. I. S. T. 95. p. 3. 147. 291. M. T. 731. p. 1336. 1544. 1715. 1845. 2042.

Montani, *Arn. Geſandſchafften der Oſt-Ind. Geſellſchafft im Iapan.* 669. Amſt. f.

Ribadeneira, *M.* Hiſt. Iapan. v. *Archipelagus.*

Valignani, *Alex.* & Val. Carvaglii Litteræ de Statu Iaponiæ & Chinæ, ab A. 1580-99. Luſitan. & Lat. editæ, iuſſu Theotonii Archiep. Eborenſis 603. Mog. 8.

Varenii, *Bernh.* Deſcr. Regni Iaponiæ ex variis auctoribus collecta; acc. Iodoci Schoutenii Siam, ex Belg. Lat. p. Eund. Varenium. 649. Amſt. 12.

IAPYGIA. (Apul. v. Calabr.)

Galatei de Ferrariis, *Ant.* de Situ Iapygiæ Liber, nec non urbis Callipolis Deſcr. ut & de Villa Laurentii Vallæ, in Gr. & Burm. Theſ. Ital. T. IX. P. V. N. ult.

Digitized by Google

it. cum Notis Bern. Tafuri, R. O. T. VII.

it. in Iordani Scr. rerum Neapol. N. VI. col. 582.

Caſtellii, *Iac.* Epla ad Io. Bernh. Tafurum de Galatei Libro de Situ Iapygiæ, R. O. T. 12.

Ibid. 861.

ICCIUS PORTUS. (Gall.)

Diſſ. ſur le Port Iccius, in M. L. C. T. 8. p. 325.

Abregé de l' Hiſt. de la Ville de Boulogne ſur mer, & de ſes Comtes, in I. S. T. 82. p. 231.

Chiffletii, *Io. Iac.* Portus Iccius Julii Cæſaris, 627. Antw. 4.

Eccard, *Io. Ge.* de Portu Icio, ex quo Iulius Cæſar in Britanniam ſolvit: in Miſcell. Lipſ. T. VIII. ſ. Obſ. 175. pag. 255.

Somner, *Guil.* Iulii Cæſaris Portus Iccius illuſtratus, ſeu ad Chifletium de Portu Iccio Reſponſ. & Car. du Freſne Diſſ. de Portu Iccio. Lat. vertit, & Diſſ. nova auxit Edm. Gibſon. 694. Oxon. 8. A. E. Sup. T. II. p. 488.

Ex Eiusd. Biblioth. Hiſtor. Univ. Real. T. II. p. 1128.

MEDIOLANENSIA.

Litterar.

Argelati, *Phil.* Bibliotheca Script. Mediolanenſium ſ. Acta & Elogia virorum omnigena eruditione illuſtrium, qui in Metropoli Inſubriæ, oppidisque circumiacentibus orti ſunt. Præmittitur Ioſephi Ant. Saxii Hiſt. Litterario-Typographica ab A. 1465-1500. T. II. 745. Mediol. f. Act. Erud. 748. p. 241. M. T. 749. p. 34. 1390.

Boſcha, *Pet. Paul.* de Orig. & Statu Biblioth. Ambroſianæ

L. V.

L. V. 672. Med. 4. V. C. it. in Gr. & Burm. Theſ. Ital. T. 9. P. 6.

Contii, *Barth.* Notitia Script. Mediol. & de Inventis præcipuis Italorum in Medicina. 718. Med. 4. Ital. Act. Erud. 723. p. 254.

Maioragii, *M. Ant.* Or. nomine eorum, qui in Facult. Iur. & in Academiam Mediol. recipi voluerunt: in Ei. Oratt. N. IV-VII. p. 105.

- - - Or. de Biblioth. publica Mediol. inſtituenda L. cit. N. 25. p. 504.

Opicelli, *Iac. Phil.* Monumenta Biblioth. Ambroſianæ. 618. Mediol. 8.

Picinelli, *Fil.* Atenes di Letterati Milaneſi. 670. Milano. 4.

Saxius, *Ioſ. Ant.* de Studiis Litter. Mediol. antiquis & novis Prodromus ad Hiſt. Litt. Typographicam Mediolanenſem. 729. Med. 8. I. S. T. 95, p. 397. A. E. 730. p. 133.

Eccleſiaſt.

Index vetuſtus Epiſc. Mediol. in Mabill. Muſæo Ital. T. I. P. II. N. 19. it. in Murat. Scr. Ital. T. 4. p. 141.

Ordo antiquus Epiſc. Suffraganeor. Eccleſ. Mediol. & Catalogus Archiep. Mediol. a S. Barnaba ad A. 1251. in Murat. Scr. Ital. T. I. P. II.

Synodus provincialis Mediol. de A. 1287. Murat. Scr. Ital. T. VIII. p. 1049.

a Baſilica Petri, *Car.* Vita & res geſtæ Caroli Cardinal. S. Praxedis, Archiep. Mediol. 592. Ingolſt. 4.

Borromæi, *Car.* Acta Eccl. Mediol. 682. Lond. f.

Acta Eccl. Mediol. Frederici Card. Borromæi Archiep. Mediol.

Digitized by Google

diol. iuſſu undique diligentius collecta, & edita 738. Bergomi. fol.

Damiani, *Pet.* Acta Mediol. Opp. T. III. N. V. p. 31.

Ennodii Dictio in natali Laurentii Mediol. Epiſc. in Mart. & Dur. Theſ. Anecd. T. III. N. V.

Maioragii, *M. Ant.* Or. in Laudem Ioh. Ang. Arcimboldi, cum Archiep. Mediol. crearetur. in Ei. Oratt. N. I. p. 1.

Muratorius, *L. A.* de Antiquo iure Metropolitæ Mediol. in Epiſcopum Ticinenſem. in Ei. Anecd. Bibl. Ambroſ. T. I. p. 221.

Papebrochius, *Dan.* de Epiſcopis & Archiepiſcopis Mediolanenſibus. præmitt. Actis S. S. T. VII. Maii.

Peluſii, *Ian.* Epicedium Car. Borrom. Card. & Archiep. Mediolan. 585. Placent. 8.

Phœbadius contra Edictum ſub nomine Conſtantii Imp. emiſſum in Concil. Mediol. in Scr. Theol. Gall. N. II.

Puricelli, *Io. Pet.* Ambroſianæ Mediol. Baſilicæ, ac Monaſt. hodie Ciſterc. Monumentorum Deſcr. in Gr. & Burm. Theſ. Ital. T. IV. P. I. N. III.

- - - Diſſ. Utrum S. Ambroſius clero ſuo Mediolanenſi permiſerit, ut virgini nubere ſemel poſſet: in Murat. Scr. Ital. T. IV. p. 121.

Puricellus, *Io. Pet.* de SS. Martyribus, Nazario, Celſo, Protaſio, & Gervaſio, Mediolani ſub Nerone cæſis, deque Baſilicis eorum 656. Mediol. f.

Saxii, *Ioſ. Ant.* Diſſ. ad vindicandam antiquam Ambroſ. Eccl. diſciplinam c. Not. Sormanni. 733. Mediol. 4. A. E. 736. p. 442.

Sormanni, *Nicol.* Allegata ad Concordiam, in cauſſa præ-

Digitized by Google

eminentiæ, quam defendit Præpoſitus Imperialis Canonicæ & Ambroſ. Baſilicæ adv. Canonicos templi maioris Mediol. . . . . 4.

Wirth, *E. C.* Vita S. Borrom. Archiep. Mediol. v. *Sancti.*

Hiſt. Polit.

Anon. Carmen de Laudibus Mediolani: in Murat. Scr. Ital. T. II. P. II. p. 689.

Annales Mediol. ab A. 1230-1402. in Mur. Scr. Ital. T. 16.

Inveſtiture du Duché de Milan & d'autres Lieux, donnée par l' Emp. Leopold à Charles II. R. d'Eſpagne 701. Col. 12. M. T. 701. Mart. p. 86.

Caroli V. Aurea Bulla de Iure & Ordine ſuccedendi in Ducatum Mediol. 701. 4. I. S. T. 30. p. 728.

Mediol. Vicecomitum Galeazzorum & Ioh. Marchionis Montis Ferrati lites compoſitæ per Carol. IV. Imp. in Ludewig. Reliqq. MS. T. 9.

De ſitu Civitatis Mediol. una cum Vitis priorum Archiep. Mediol. in Murat. Scr. Ital. T. I. P. II. p. 197.

Excerpta Hiſtorica *Mediolanenſ. ibid.* p. 235.

Oratio in nuptiis Ioh. Auguſtini Vicecom. &c. c. A. C. 1530. in Murat. Anecd. Bibl. Ambroſ. T. II. N. 16. p. 236.

Alciati, *Andr.* Rerum patriæ ſ. Hiſt. Mediol. L. IV. 625. Mediol. 8. it. in Gr. & Burm. Theſ. Ital. T. II. P. I. N. I.

Arnulphi Mediol. Geſta ſ. Hiſt. Mediol. in Leibn. Scr. Brunſuic. T. III. p. 727.
it. in Gr. & Burm. Theſ. Ital. T. IV. P. I. N. II.

it.

it. in Murat. Scr. Ital. T. IV. p. 1.

Aſſaraci Sarrachi, *Andr.* Trivultias, L. VI. ſ. Hiſt. novæ ac veteres ab noviſſimis Franc. Sfortiæ temporibus, ad Franciſcum Regem Francorum, Ducemque Mediol. 516. Mediol. f.

Azarii, *Pet.* Chron. de Geſtis Principum Vicecomitum ab A. 1250. ad A. 1362. acc. Ei. Libellus de Bello Canopiciano: in Murat. Scr. Ital. T. 16.

Barbi Soncini, *Scipion.* Summarium Vitæ Ducum Mediol. 574. Ven. f. Ital.

Barzizii, *Guinifort.* Or. in Sponſalibus Phil. Borromæi A. 1530. ſub Phil. Maria Vicecomite Mediol. Duce. in Murat. Anecd. Bibl. Ambroſ. T. II. N. 15. p. 231.

Bebelii, *Hen.* Hecatoſticha querela Ducatus Mediol. ad Germanos: in eiusd. Opp. de A. 1509. P. I. N. 4.

Bilii, *Fr. And.* Hiſt. Patriæ L. IX. quibus Ioh. Galeazi & Phil. Mariæ Mediol. Ducum res geſtæ commemorantur. in Gr. & Burm. Theſ. Ital. T. 9. P. 6. N. 5.

it. in Murat. Scr. Ital. T. 19.

Boſii, *I. A.* Ducatus Mediol. Notitia v. *Hiſpan.*

Burchardi Epla de Excidio Mediol. v. *Frider. I. Imp.*

Calchi, *Triſtan.* Hiſt. Patriæ L. XX. c. not. Io. Guil. Calaveroni: in Gr. & Burm. Theſ. Ital. T. II. P. I. N. II.

- - - Reſiduum ſcil. L. XXI. & XXII. alias Opuſc. de Nuptiis Principum Mediol. per Io. Pet. Puricellum l. c. N. III.

Campani, *Horat.* Statuta Med. Ducatus. 611. Frf. f.

- - - Comm. in 4. §§. Conſtitt. Mediol. c. not. Iul. Cæſ. Ruginelli. 618. Frf. f.

Candidi Decembrii, *Pet.* Vita Phil. Mariæ Vicecom. Mediol. item Franc. Sfortiæ IV. Mediol. Ducis per Epitomen ſcripta 1401 - 62. it. Or. in funere Nic. Picinini ſ. Vita eius A. 1444. in Ital. Sermonem conversa: in Murat. Scr. T. 20.

Capella, *Galeat.* de Bello Mediol. ſ. Rebus factis pro Reſtitutione Franc. Sfortiæ II. Med. Ducis L. VIII. cum Hiſt. Belli Muſſitani, & præf. Ioach. Camerarii 538. Arg. 8.

it. Toſcanice ex Lat. p. Franc. Philipopolum 539. Ven. 4.

it. 532. Norimb. 4.

it. in Gr. & Burm. Theſ. Ital. T. II. P. II. N. ult.

it. adi. Er. Puteani Hiſt. Ciſalpin.

it. in Schardii Scr. Germ. T. II. p. 1104.

de Caſtelletto, *Pet.* Or. in Laudem Ioh. Galeacii Vicecom. Mediol. in Murat. Scr. Ital. T. 15.

Caſtellionæi, *Ioh. Ant.* Antiqq. Medioſan. 625. Mediol. 4. V. C. it. in Gr. & Burm. Theſ. Ital. T. III. P. I. N. III.

de Cermenate, *Ioh.* Hiſt. de Situ, Orig. & Cultoribus Ambroſianæ urbis, ac de Mediol. geſtis ſub Henr. VII. ab A. 1307 - 13. in Gr. & Burm. Theſ. Ital. T. IV. P. I. N. I.

it. in Murat. Scr. Ital. T. 9. p. 1221. coll. 1293. & Anecd. Bibl. Ambroſ. T. 2. N. 2. p. 31. coll. T. 4. N. 4. p. 209.

Corii, *Bernardin.* Hiſt. Medioſan. 646. Patav. 4. Italice.

it. cum Vitis Cæſarum continenter deſcriptis, a Iulio Cæſare ad Federicum Ænobarbum 1503. Mediol. f. Ital.

it. Ital. 554. Ven. 4. B. D. T. I. p. 78.

it. Lat. 503. Mediol. f. B. D. T. I. p. 76.

Cri-

Cribellii, *Leodroſ.* de Vita rebusque geſtis Sfortiæ Ducis, ac initiis Fran. Sfortiæ Vicecom. eiusque filii Mediol. Ducis Hiſt. in Murat. Scr. Ital. T. 19.

Dulcinii, *Steph.* Nuptiæ illuſtriſſ. Ducis Mediol. 489. Mediol. 4.

Flammæ, *Galvanei,* Manipuſus florum ſ. Hiſt. Mediol. ab origine Urbis ad A. 1336. ab alio contin. ad A. 1371. in Murat. Scr. Ital. T. XI. p. 531.

- - - de rebus geſtis ab Azone, Luchino, & Ioh. Vicecomitibus ab A. 1328-1342. c. not. Ioſ. Ant. Saxii l. c. T. XII. p. 991.

Gratiolius, *Pet.* de præclaris Mediolani ædificiis, quæ Ænobarbi cladem anteceſſerunt. 735. Mediol. 4. Act. Erud. 744. p. 589.

Imhoff, *I. W.* de Familia Mediol. Vicecomitum. adi. Ei. Geneal. Ital.

Iovii, *Paul.* Vitæ XII. Vicecom. Mediol. principum 549. Par. 4. it. in Gr. & Burm. Theſ. Ital. T. III. P. I. N. II.

Landulphi Senior. Mediol. Hiſt. L. IV. ex recenſ. Hor. Blanci: in Murat. Scr. Ital. T. 4. p. 47.

Landulphi Iun. ſ. de S. Paullo Hiſt. Med. ab A. 1095-1137. c. not. I. A. Saxii. in Murat. Scr. Ital. T. 5. p. 459.

Lucari, *Nic.* Sermones Funebres in Beatricem & Lud. Sfortiam, cum aliis editi per Fr. Greg. Britannicum 508. Ven.

Maioragii, *M. Ant.* Orat. ſuper memorab. fact. Ferd. Gonzagæ. in Ei. Oratt. N. 2. p. 58.

Mazzuchelli, *Io. Paul.* ſub nom. Iuſti Vicecomitis, Mediolanum ſecunda Roma: in R. O. T. 8. coll. T. XXII.

Digitized by Google

it. 711. Bergom. 8. Act. Erud. 711. p. 474. G. I. T. 8. p. 268.

Abduæ, *St.* Admonitio ad ſec. Romæ defenſorem ſ. l. & a. in 8. A. E. 711. p. 478.

- - - Diſſ. pro Bern. Corio Mediol. Hiſtorico 712. Bergom. 8. A. E. 711. p. 502.

it. in R. O. T. 9.

Merulæ, *Ge.* Antiqq. Vicecomitum Mediol. L. X. ſ. l. & a. in fol. it. in Gr. & Burm. Theſ. Ital. T. 3. P. I. N. I.

Morigia, *B.* de Rebus priorum Vicecom. Principum v. *Modoëtia.*

Morigia, *Paolo,* Hiſt. dell' Antichità di Milano. 592. Ven. 4.

Porcellii Comment. Comitis Iac. Picinini, ſ. Diarium rerum ab ipſo geſtarum A. 1452. in Murat. Scr. Ital. T. 20.

Raudenſis, *Alex.* Deciſ. Senatus Mediol. 600. Frf. 4.

Ripamontii, *Ioſ.* Hiſt. patriæ L. XXIII. & Contin. L. VIII. in Gr. & Burm. Theſ. Ital. T. II. P. I. N. ult. & T. III. P. II. N. I.

Ruginellus, *Iul. Caeſ.* ad Conſtit. Mediol. Tit. de Appellat. 604. Ven. fol.

Schweder, *Gabr.* de Iure Imperat. & Imperii in Ducatum Mediol. Reſp. Ioh. Matth. Heyden. 702. Tubing. 4.

Simoneta, *Ioh.* de Rebus geſtis Fran. Sfortiæ Mediol. Ducis 479. Med. f.

it. 1486. Mediol. f. B. D. T. I. p. 508.

de Sitonis de Scotia, *Ioh.* Theatrum Nobilitatis Secundæ Romæ, ſ. Chron. Collegii I. PP. Iudicum, Equitum, & Comitum civitatis Mediolani 706. Mediol. f.

Son-

Digitized by Google

Soncinus. v. ſupr. *Barbus.*

Symeon, *G.* de Mediol. vid. *Venet.*

Torre, *Carlo,* Ritratto di Milano colorito 714. Milano 4.

Vicecomes, *Iuſtus,* v. ſupra *Mazzuchellus.*

de Vicomercato, *Stephanardi,* Poema de Geſtis in civitate Mediol. ſub Othone Vicecom. Archiepiſcopo: in Murat. Anecd. Bibl. Ambroſ. T. III. N. II. p. 57.

it. c. novis Annot. in Ei. Script. Ital. T. 9. p. 57.

Habes igitur hic pauciſſimis, *Benevole atque Erudite Lector,* Specimen *Theſauri Novae Bibliothecae Litterariae Univerſalis Realis,* & tanquam breve quoddam magni Operis praemetium, ex ipſo auctoris Celeberrimi τῶν ἐν ἁγίοις autographo ſumma fide deſcriptum. Cui tamen ab eo tempore, quo ex hac vita diſceſſit, complura Scriptorum millia eadem Methodo a nobis collecta, & iam praelo parata, in ſupplementum huius Promtuarii facili manu ſubiungi, alia vero ex Bibliothecis noſtratibus, cum *Regia locupletiſſima,* tum *Bruhliana,* & *Bunaviana,* ſplendidisſimis, ceu inſignes praeſtantiſſimi Libri acceſſiones ſuppeditari poſſent. Interea, dum honeſtiſſimi τοῦ μακαρίτου Heredes integrum hunc Rei Litterariae Theſaurum fidei ac curae noſtrae commiſerunt, eum nunc cum Orbe Erudito communicandum, typisque nitidis, & charta pura, quo citius eo melius exſcribendum, publice hic offerimus. Si qui ergo Bibliopolae & Librarii, vel in Germania, vel adiacentibus & contiguis Germaniae provinciis, reperiantur, qui ſumtus impendere huic fini neceſſarios non recuſent, eos omnes ad hoc Opus luce publica digniſſimum animoſe ſuſcipiendum, ea, qua *inter bonos bene agier oportet,* obſervantia ac ſtudio nunc invitamus, eosdemque peramanter ac perofficioſe rogamus, ut, ſi reliquas conditiones huic

The-

Digitized by Google

Theſauro adiectas noſſe deſiderent, aut de ratione ac modo libri excudendi conſilium inire cupiant, Virum clariſſimum, nobisque amiciſſimum, Georgium Conradum Waltherum, Conſiliarium Regium, ac Bibliopolam Aulicum, de inſtituto litteris certiorem facere, eiusque Viri votis honeſtiſſimis, ac rei Litterariæ ſaluberrimis ac fructuoſiſſimis, concedere ne graventur.

Digitized by Google

NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipſiæ

Calendis Aprilis Anno MDCCLVII.

HISTORIA REI NUMMARIÆ COLONIENſis, &c. ſcripta a P. IOSEPHO HARTZHEIM, Soc. Ieſu, Gymnaſii Tricoronati Regente.

Coloniæ, Typo Ioann. Wilhelm. Krakamp, & hæred. Chriſtiani Simonis Bibliopol. Anno 1754. 1 Alphab. 18 plagg. cum XII. Tabb. numorum aeri inciſorum. in 4to.

Marca Colonienſis eſt regula communis monetarum Imperii. Quare laudabile eſt ſtudium eorum, qui rem numariam Colonienſem illuſtratum eunt. Edidit vero *Henricus Scholtz*, Lycei Breitenaviani Rector, An. MDCCXXXVIII. Ploenæ in Holſatia, *Sanctam Coloniam typis antiquiſſimis illuſtratam, & monumentis Hiſtoricis explicatam.* Eo opere numi argentei tertii moduli, reperti in prædio Buchwaldianæ in Holſatia gentis, excuſi exhibentur, numero XXXII. recuſi hic Tabula decima. Inſcripſerat Editor librum Sereniſſimo Archiepiſcopo Clementi Auguſto, cui hæc Anteceſſorum decora & monumenta non ingrata futura merito confidebat. Excitavit hic libellus Rev, P. Hartzheim, ut ampliorem hanc collectionem inſtitueret, & plures, in nativo ſolo, numos Colonienſes produceret.

Finis Auctoris eſt: 1) Hiſtoriam patriam firmare; 2) Prærogativas Archiepiſcoporum corroborare; 3) Cæſarum geſta intra fines Coloniæ exhibere; 4) Chronologiam patriam ſtabilire; 5) religionem Catholicam firmare; 6) Heraldicam

Digitized by Google

Archiepiſcoporum Colonienſium oſtendere; 7) Comitum, Marchionum, Ducum Iuliacenſium feriem, & ditiones, & matrimonia, ex numis eruere; 8) Metropoleos Colonienſis dignitatem, ex iure monetandi reſtituto partam, ante oculos ponere.


Totum opus in tres partes diſpeſcitur. Prima agitur de numis Archiepiſcoporum Colonienſium; ſecunda exponuntur numi ducum Iuliacenſium, & Montenſium, & agnatorum genti Iuliacenſi; tertia illuſtrat numos civitatis Colonienſis.

Diſſertationis I. *Caput* 1. quod *de numis Auſtraſiae Regum* inſcribitur, §. 1. ſiſtit deſcriptionem numi Theodeberti, magnitudine æquantem Romani ſolidi trientem, in cuius antica ſiſtitur caput barbatum & radiatum, cum inſcriptione *Theodeberti*, in poſtica vero exhibetur littera N. cum duplici littera O. & inſcriptione *eſtatu*. Anterior pars ſua ſponte intelligitur: poſteriore per litteras OO. Noviomagum, officinam monetalem; per inſcriptionem *eſtatu* vero, reliquias vocis Doreſtati, *Duerſtade*, deſignari coniicit Auctor. Protulerat hunc numum antea *le Blanc*. Sequitur §. 2. Epitome Hiſtoriæ Regni Auſtraſiæ & Theodeberti I. & ſtatus rei numariæ in Francia & Auſtraſia initio ſeculi ſexti, collatus cum re monetaria Romanorum. *Cap. II.* tractat de numis cuſis ſub Pipino & Plectrude, cui Hiſtoria Pipini & Plectrudis inſeritur. Eam excipit res numaria ſub occaſum primæ ſtirpis, Merovingicæ. Conſpicitur in multis iam numis huius ætatis ſignum crucis. Id unde manaverit, late deinde diſquirit Auctor. Rationem autem, cum Gretſero, unicam hanc fuiſſe putat, quod Conſtantinus hoc ſignum Soli imminens bis viderit in cælo, cum inſcriptione, *in hoc vince*. Verum hæc viſio Conſtantini, ab accuratiſſimis Hiſtoricis in dubium vocatur. Et poteſt alia cauſa reddi, cur Maiores Domus ſignum crucis monetæ inſculpi iuſſerint. Eſt nimirum crux ſignum patientiæ. Hanc ita ſubditis commendabant, ut facilius tributa penderent. Nam vel ſic dulcedo naſcebatur ex *forti*, & cani poterat in Eccleſiis:

Crux

Crux fidelis inter omnes
Arbor una nobilis,
Dulce lignum, dulces clavos,
Dulce *pondus* ſuſtinens.

TAB. I. ad Nov. Act. Erud. A. 1757. M. April. pag.



ctionis civilis, & regalium, apud Archiepiſcopos Colonienſes. *Caput V.* inſervit numis ſub Henrico I. & Conrado I. Impp, Heriberto & Hermanno Archiepp. Colon. cuſis, iisque, quæ ex vita Conradi Salici pertinent ad Hiſtoriam Colonienſem.

Digitized by Google

Digitized by Google

Crux fidelis inter omnes
Arbor una nobilis,
Dulce lignum, dulces clavos,
Dulce *pondus* ſuſtinens.

Caput III. ad numos ſub ſtirpe Carolingica, intra Provinciam Colonienſem cuſos, pertinet, eique inſeritur epitome vitæ Caroli M. factoque Tractatu de re numaria ſub Carolingis, occaſione numi Caroli M. indubie ſuppoſititii, in quo aquila biceps cernitur, quæſtio iniicitur, de origine duplicis aquilæ in numis Imperatorum Occidentis. Fugit Auctorem *Treueri* diſſertatio de origine aquilæ bicipitis, ideoque ex numo aureo Ludovici Bavari, quem Tab. I. num. VII. ſculptum exhibet, unde a nobis is repetitus eſt, adiecta hic Tab. æn. probaſſe ſe putat, Imperatorem hunc primum bicipiti aquila pro inſigni uſum eſſe. Verum hoc iam dudum omnibus notum perſpectumque fuit. At quum ſeculo XIII. iam Theodorus Laſcaris, inter Orientis Imperatores, hoc inſigni uſus ſit, (*Banduri* Imper. Orient. T. II. p. 767.) merito plerique collegerunt, uſum aquilæ bicipitis antiquiorem eſſe. Hieroglyphica interpretatio iſtius aquilæ ſine dubio ad utrumque Imperium, Occidentis & Orientis, pertinet: quanquam ſunt, qui hanc aquilam a ſolo artificum ingenio repetant, quo una aquila ſit, capite diffiſſo, Chef mis en partie. Neque nos moratur inſtantia Auctoris, ſic triplicem eſſe debere aquilam, ſignificando Regno Longobardico. Regnum enim Longobardicum pars ante fuit Imperii Occidentis, & ideo Imperio Occidentis continetur. Tab. I.

De re numaria ſub Ottonibus I. II. III. & Brunone A. C. inſcribitur *Caput* IV. De numis Seculo X. Coloniæ cuſis agitur in §. 1. quam tractationem in §. 2. excipit Epitome Hiſtoriæ Brunonis A. C. & res monetaria ſub Ottonibus, quam ſequitur diſſertatio de initio iuris cudendæ monetæ, & iurisdictionis civilis, & regalium, apud Archiepiſcopos Colonienſes. *Caput V.* inſervit numis ſub Henrico I. & Conrado I. Impp. Heriberto & Hermanno Archiepp. Colon. cuſis, iisque, quæ ex vita Conradi Salici pertinent ad Hiſtoriam Colonienſem.

Clari hic, Piligrimus & Hermannus, Archiepiſcopi Colonienſes. Acriter hic ſigna confert Rev. Hartzheim cum Oetterſio & Ludewigio, de numo Piligrimi, in quo nomen Conradi Imperatoris, nomini huius antiſtitis iungitur. *Capite VI.* numi Henrici III. & IV. Augg. Impp. illuſtrantur, & ſigillatim appoſitis geſtis Henrici IV. de numis Annonis II. ſub quo res eccleſiaſtica Colonienſis vehementer crevit. *Caput VII.* ad Hildolſum & Sigewinum Archiep. Colon. refertur, & numos eorum perinde ac vitam exponit. *Caput VIII.* numis Friderici I. cuius vita quoque refertur, & Conradi II. Imp. inhæret. Repetitur hic denuo p. 100. in fine putidiſſima fabula, de corporibus SS. Magorum a Friderico Colonienſibus donatis. Eodem capite explicantur numi Philippi Hinsbergici A. C. cuius etiam vita exponitur, ex qua apparet, eum in Eccleſia ſua ornanda, munienda, & inprimis ex ditionibus Henrico Leoni ademtis amplianda, ſollertiſſimum fuiſſe. Lux hic etiam adfunditur rei numariæ Seculi XII. quo Marcarum uſus invaluit: inter quæ eminent, quæ de evalvatione numorum aureorum & argenteorum per carattas, denarios, grana, dicuntur. Otto IV. & Philippus Impp. in *Cap. IX.* in ſcenam prodeunt, una cum Adolpho I. Altenavio Archiep. Colon. quum *X.* numos Theoderici I.; *XI.* S. Engelberti, complectatur. Theoderico Otto IV. confirmavit donationem Ducatus Weſtphaliæ a Friderico I. factam; quod eo magis mirandum, ſiquidem hic Otto IV. filius fuit Henrici Leonis, ducis Saxoniæ & Bavariæ, proſcripti, ad quem hic Ducatus antea pertinuerat. *Caput XII.* explent numi & Hiſtoria Henrici Molenarckii A. C. *Caput XIII.* vero geſta & res numaria Conradi A. C. e Comitibus Hochſtedanis. Invaluerat huius ætate fraus, iudicia ſecularia declinandi. Quoties enim de ſumma 100. ſolidorum lis agitabatur, deducebatur ea ad domum Parochialem, & poſtulaturus a debitore 100. ſolidos, aiebat, ſe poſtulare ſolidos 5. tum rurſus totidem, donec ad centenarium numerum repetendis quinariis perveniſſet. *Caput XIV.* numis Engelberti II. A. C. & Rudolphi I. Auguſti, Habsburgici, tribuitur, & Concordata Regis

gis Rudolphi & Arch. Col. de re monetaria exhibet, quibus firmatur ſententia recepta, ius monetandi Statuum Imperii manare e Privilegio Cæſareo: quemadmodum ſequens *Caput XV.* de numis Sifridi A. C. qui ſub Adolpho Imp. floruit, exponit. Albertum Auſtriacum Auguſtum, & Wicboldum A. C. ſiſtit *Caput XVI.* quo de numis, Scutis gentilitiis, Sigillis & Contra-Sigillis huius ævi, diſquiritur, & quæ in vita Wicboldi huc referenda ſint, recenſentur, adiecta diſſertatione de Heraldica Strevesdorfica, & Tractatu de Statu rei monetariæ initio Seculi XIV. Numos Ludovici Bavari Imp. & Henrici II. Virnenburgici Archiep. Colon. deinde recenſet. *Caput XVII.* & rem Heraldicam, & Sigilla initio Seculi XIV. uſitata, exponit. In re Heraldica hic memorabilis eſt Heroldus, *der Wapen-König,* qui omnium equitum accedentium inſignia explorabat. Eorum, in nuptiis Ludovici Bavari cum Margaretha Hollandica, Coloniæ anno 1324. toto octiduo celebratis, tantus confluxus fuit, ut convivia quidem intra urbem, at ſaltus & ludi extra moenia agitarentur. De numis Walrami A. C. inſcribitur *Caput XVIII.* cuius ſummarium vitæ ſiſtitur §. 2. res monetaria & Heraldica §. 3. ſicuti *Capite XIX.* Wilhelmi Gennepenſis A. C. numi; eiusdemque vita in lucem proſeruntur. Hoc ſeculo XIV. frequentius in Germania cudi & conflari coeperunt *floreni aurei,* dicti a lilio, flore, aureis numis urbis Florentiæ in Hetruria, iam a duobus antea ſeculis, inſculpto. Eiusmodi florenos complures, in ſilva Hemmersbacenſi, duodecimo a Colonia milliario, a ſubulco detectos & repertos fuiſſe, annis ab eo tempore quo ſcribebat decem, teſtatur Auctor; qui adeo recentes, integri, probique auri fuerint, ac ſi tunc demum ex officina prodiiſſent. Hi altera parte lilii florem, altera iconem S. Ioannis Baptiſtæ præ ſe ferebant, quales deſcribit *Villanius* L. VI. c. 54. cuſos 1252. Numi Cunonis Archiep. Treverici, & Adminiſtratoris Colonienſis, occupant *Caput XX.* Epitomen vitæ eius habes in §. 2. rem monetariam & Heraldicam in §. 3. Salivam nobis movebat inſcriptio *Capitis XXI.* de Friderico Saarwerdano A. C. deque Numis eiusdem & Caroli Magni. Verum ille

 numus,

Digitized by Google

numus, ſic dictus Caroli Magni, qui hic extra temporis ſeriem adducitur, eſt manifeſte ſpurius. Sequuntur, Epitome Geſtorum Friderici: Scutum Altenanum Seculo XV. adhuc uſitatum: & ſingularia de re Numaria & Heraldica. Inter hæc probandum iudicium videtur Rev. Auctoris, de Operibus monetariis *Thomani ab Hagelſtein*, & *Goldaſti*. Obſervat enim, Thomanum Acta publica monetaria, a ſe collecta, in folio edidiſſe Auguſtæ Vindelicorum; ſed non reſpondere Titulo librum. Colligi præter Hiſtoricos, iuridicos, Monetarios, ſcriptores de Monetis, Decreta Cæſarea de Monetis; at pro mole libri pauca, pro materiæ monetariæ amplitudine longe pauciora. Similiter Goldaſti Catholicon Monetarium, complectens ſtatum monetarium ſeptemdecim ſeculorum, multum eruditionis habere, parum autem utilitatis ad ſtatum numarium; Goldaſtum tamen titulum ſuum felicius impleviſſe, quam Thomanum, & ordine quoque præſtare. Iam quum uterque ad eruditionem magis, quam ad uſum ſeculi noſtri, faciat, intereſſe publice, ut ſanctiones monetales, quinque ultimis ſeculis a quatuor Electoribus Rhenanis & Statibus affinibus editæ, colligantur, idque exemplum reliqui Circuli ſequantur, indeque conſiat Opus Thomano & Goldaſtino utilius. *Caput XXII*, de Theodorico II. A. C. agit. Numi eius delineati exhibentur tabula ſexta. Vitæ epitomen ſiſtit §. 2. Singularia de numis & Inſignibus §. 3. Titulus Archicancellarii per Italiam, primum in numis huius Archiepiſcopi comparent: nam Cuno tantum Adminiſtrator fuerat. Ruperti A. C. Bavari numos & vitam in compendio explicat Auctor *Capite XXIII.* ſimulque illuſtrat eiusdem rem numariam. Sequitur Hermannus Haſſus A. C. in *Capite XXIV.* cuius ipſius numi, epitome vitæ, & res numaria hic ſiſtuntur. Tum in *Capite XXV.* præſto eſt Philippus Daunius, A. C. poſt cuius numos, & Epitomen vitæ, de Heraldicis & numariis rebus agit Auctor. Eadem plane ratione in *Capite XXVI.* exhibetur Hermannus A. C. Wedanus, qui Carolum V. unxit, eidemque ſuaſor & hortator fuit, ut B. Lutherum proſcriberet, & in Synodo, biennio poſt Coloniæ celebrata, edictum

ctum Wormatienſe eo pertinens, adiecta poena excommunicationis, vulgavit. Idem tamen deinde reſipuit, & victus Reformationis veritate, Bucerum & Melanchtonem Coloniam accivit, & veriorem doctrinam Coloniæ ſtabilire voluit. Sed hæc dum parat, Pontificis Decreto, conſentiente Imperatore, Archiepiſcopatu exauctoratur Anno 1546. Quare ad agnatos Comites Wiedanos ſeceſſit, quos inter diem obiit 1552.

Adolphus & Antonius Schawenburgici AA. CC. ſimul prodeunt in *Capite XXVII.* In §. 1. monet Auctor, vexillum geminatum, quod in numis A. C. cernitur, officium deſignare Primipili vel Archiſtrategi inter Rhenum & Viſurgim, innexum Comitatui Arensbergico, qui nunc Archidioeceſi incorporatus ſit. Utriusque vitæ quoque Epitomen ſimul ſiſtit §. 2. uti rem monetariam utriusque exhibet §. 3. *Capite XXVIII.* numi & vita Ioannis Gebhardi, A. C. *Capite XXIX.* vero numi & vita Friderici IV. A. C. explicantur. Fridericus ad Comitia Francofurtenſia, magno nobilium comitatu ſtipante, profectus, interfuit Electioni Maximiliani I. quem, quia pallium nondum obtinuerat, a Moguntino coronari vidit. Hos in *Capite XXX.* excipit Salentinus Iſenburgicus A. C. Numi eius duo ſculpti eſſe dicuntur in §. I. In vitæ autem Epitome id memorabile, quod Breviarium Colonienſe, opera ſex Theologorum, reformavit, & Hiſtorias Sanctorum purgavit ab aſperſis fabellis. Anno 1577. Salentinus mitram & pedum reſignat, cauſſatus, videre ſe non poſſe, Lineam Iſenburgicam antiquiorem extingui. Quare paullo poſt, Antoniam Wilhelmam, Ioannis Barbanſonii, Arembergici Principis, filiam, in thalamum duxit. Agmen in *Capite XXXI.* claudit Gebhardus Truchſeſſius A. C. Numi eius recenſentur §. 1. Epitome vitæ §. 2. In hac quæ memorabilia videri poſſint, iam notiſſima ſunt per *Koehleri* Diſſertationem, de actis & fatis Gebhardi Truchſeſſii. In hoc ſubſiſtit Rev. Auctor: cætera ſe daturum promittens in ſupplemento Partis Primæ.

Pars ſecunda de Numis Comitum, Marchionum, Ducum Iuliacenſium & agnatorum, ſpirituali ſub regimine Archiepiſcopi Colonienſis degentium, agit, aſperſis ſubinde Epitomis

vita-

vitarum. Sic *Capite XXXII.* numi Comitum, Marchionum, & Ducum Iuliacenſium; *Capite XXXIII.* Comitum & Ducum Montenſium; *Capite XXXIV.* Comitum de Marca; *Capite XXXV.* Comitum & Ducum Clivenſium; *Capite XXXVI.* Comitum & Ducum Gelriæ; *Capite* denique *XXXVII.* Dominorum de Hinsberg Loſſ, exponuntur.

Pars tertia de numis Civitatis Coloniæ inſcribitur, & *Capite XXXVIII.* ad vetus & novum ius monetæ cudendæ intra Metropolim Coloniam pertinet, ubi ex Statutis Colonienſibus Diploma exhibetur a Friderico III. Colonienſibus conceſſum. *Caput XXXIX.* dicatur Hiſtoriæ numorum Colonienſis Magiſtratus iuſſu cuſorum, poſt Diploma Fridericianum. Eius §. 1. conſecratur memoriæ Agrippinæ Auguſtæ; §. 2. qui excidit, & p. 284. ſuppletur, Iconi Salvatoris D. N. Ieſu Chriſti; §. 3. Memoriæ S. Deiparæ; §. 4. Memoriæ Sanctorum Regum Magorum; §. 5. Moriſco aureo, *golden Mörgen.* Iniicitur digreſſio de Scuto Heraldico Civitatis Colonienſis, & de Inſignibus S. Magorum. Cur Civitates ſua Inſignia Sanctor. Iconibus decorent? contra Imperatores, Epiſcopi, & Abbates, ſuæ perſonæ Iconem numis exhibuerint, deinde ſigillatim diſquiritur. *Capite XL.* illuſtrantur numi Urbani Colonienſes, ſculpti ex conſenſu Principum Rhenanorum. Numi Civitatis Colonienſis Memoriæ S. Urſulæ & Sociarum MM. cuſi comparent in *Capite XLI.* quum *Caput XLII.* idemque ultimum numos Urbanos exhibeat, cuſos cum Inſignibus Sacræ Cæſareæ Maieſtatis. Colophonis inſtar ſubiicitur Diſſertatio de Iure ſpeciali Monetarum cudendarum penes Civitatem Colonienſem, contra Ludewigium directa.

Quorum numorum adhuc iniecta fuit mentio, ii Tabulis X. prioribus continentur. Aſt, quum A. 1754. hic Lipſiæ prodiiſſet decima theca groſſorum medii ævi, ad Electores Colonienſes pertinentium, eos in aes incidi tabula XI. & XII. fecit Rev. Auctor, eoque explet promiſſum ſupra factum, quo cetera ſe in Supplemento Partis primæ daturum ſpondebat.

Commendatur *Hartzhemius* præſtabili plane peritia artis Heraldicæ. Ceterum, quum numi, quos aeri incidi curavit, ple-

plerique omnes iam ab aliis editi ſint, ideo inprimis memorabile eſt Opus eius, quod eos iunctim in unam coegit Syllogen.

FUNGORUM AGRI ARIMINENSIS Hiſtoria A. IO. ANTONIO BATTARRA, Lynceo reſtituto, & in eadem urbe publico Philoſophiæ Profeſſore compilata, æneisque tabulis ornata, quam, ſub auſpiciis Eminentiſſimi ac Reverendiſſimi Principis, Ioachimi Portocarrerii, *Cardinalis ampliſſimi, publici iuris fecit.*

Faventiæ MDCCLV. Typis Ballantianis, ſuperiorum permiſſu. Pl. 13. Tab. æneæ XL. in 4.

Qui fungos ex putredine naſci arbitrarentur, fuerunt haud pauci. Hi, quo illud ſibi perſuaderent, concretorum iſtorum celeri origine, celerique interitu, & in putridum liquamen diffluxu, hinc ſeminum defectu, uti illis videbatur, fuerunt inducti. Verum curioſius iſthæc corpora vegetabilia inſpicientibus ignotum eſſe nequit, pulverulenta iſtis plantis ineſſe corpuſcula, quæ, volatu ſuo in longum ac latum, fungorum primordia transferunt ac diſpergunt, ut, qua parte haud expectatur, derepente naſcatur fungus, dummodo ſolum vegetationi aptum ſit, atque, mox in tellure, mox in arborum cloacis, quas amant, mox in fimetis locisve uliginoſis, illi inveniantur. Neutiquam autem eſt, quo quis dubitet, dari fungorum ſemina, quandoquidem aliquæ horum ſpecies illa clare oſtendunt, ut ſeminiferorum titulum abinde mereantur. Cæteroquin microſcopiis ſolaribus ſeminum iſtorum, ſane minimorum, exiſtentia & ſpecies ac forma fuerunt commonſtratæ. Tametſi autem fuerint aliqui, qui, fungos ex arbore natos, quos propterea *paraſiticos* appellamus, ipſius trunci partem & continuatas fibras eſſe, exiſtimant; negandum quoque haud ſit, eſſe agaricos, quod genus fungorum ex annoſa arbore provenit, eſſe etiam fungos quosdam membraneos, quos, a ſpecie ſua, auriculas appellamus, qui con-

Digitized by Google

tiguas cum fibra corticali arboris ſuæ habent radiculas, iisdemque nutriuntur: attamen, cum multæ ac diverſæ fungorum formæ ex eadem ſtirpe propullulare ſoleant, hoc ipſo argumento, aliunde tranſlata naſcentis fungi primordia fuiſſe, evictum eſt. Equidem ex fungis haud pauci ex alio vegetabili naſcentes inſectorum ſunt domicilium, quatenus iſthæc animalcula ſuam in illis foeturam ponunt, tunc maxime, cum vel ipſi, cadaver & veluti funus olent, *unde fungos dictos eſſe* ſunt qui putant, vel putrilagine abſumuntur, ad quam fungi ſuapte natura propendent: attamen, fungos a vermibus propterea natos eſſe, quiſpiam ſerio ſibi haud eſt perſuaſurus, nec inſectorum variorum nidos & tubercula, veluti phymata & morboſas plantarum excreſcentias, quales *Gallae* ſunt, pro fungis eſt habiturus. Hoc vegetabilium genus Veteres, intuitu utilitatis vel noxæ, fuerunt contemplati, de quorum coctura APICIVS, *de re culinari*, multa prodidit, eosdemque, ſibi frigidos viſos, aromate condire iuſſit, quorum etiam noxas ſimiliter vetuſtas, teſte DIOSCORIDE, haud ignoravit, aliquando omnino manifeſtas, uti illorum, qui virus olent, aut qui pulverulenti, amari, ac acerbi ſunt, quales ſunt plerique, antea, quam ex ſua volva aut receptaculo ac involucro radicali erumpunt. Sunt etiam aliqui, quorum ſuccus muſcas interficit. Quidquid autem ars culinaris ad corrigenda etiam ſapidorum & fragrantium fungorum occulta vitia afferat, manet tamen ſemper ſuſpicio, ne quid inde in ventriculos redundet virulentiæ, ſi qui illis intemperantius uſi fuerint. Certe Illuſtris *Ianus* PLANCVS, *Ariminenſium gloria*, atro carbone fungos notat omnes, veluti ex literis ad Auctorem datis eluceſcit, atque contra noxas illorum proponit auxilia. Eſt tamen & alius uſus, tam *medicus*, quod Agaricum & Lycoperdum, quam *oeconomicus*, quod *phlogiſtos* attinet, illos ſcilicet, qui compreſſi & aqua nitroſa cocti, ignis ſcintillulas ſilice excuſſas excipiunt & nutriunt. Hos omnes quando phyſici, ut plantam generibus & ſpeciebus diſcrepantem, conſiderant, eos in claſſes diſpeſcere & characteribus dividere ſategerunt, circa quos tamen inveniendos ac ſtabiliendos multiplex diſſenſus non potuit

Digitized by Google

tuit non oriri, quandoquidem de partibus huius vegetabilis, uti character aſſumendis, convenire inter ſe potuerunt paucisſimi. *Clariſſimus Auctor* fungos intra limites agri Ariminenſis naſcentes, ſuæ obſervationis obiectum habuit, conſuluitque aliorum clarorum Virorum, qui de eodem argumento egerant, ſcripta, MICHELII, VALLISNERII & *Comitis* MARSIGLI, nec ſe detineri a methodi inveniendæ fiducia paſſus eſt, etiamſi incertus ille plantarum ordo ſit, & ex eodem ſemine, diverſæ ſpecies pronaſci ſæpe intelligantur, quandoquidem & in aliis plantarum ordinibus, ex ſemine unius, degeneres naſcuntur plantæ aliæ, ſpecie omnino diſſimiles, veluti in exemplo *Eſulae* degeneris, *Iacobaeae ex maritima* degeneris, hinc Caryophyllorum & ranunculorum & ſimilium natura oſtendit. Igitur varia fungos dividendi momenta *Clariſſimus Auctor* aſſumſit. Aliqui ex his plantarum ritu creſcunt, & radice, trunco, ramis, gaudent. Alii, clavarum more, uno exſurgunt oblongo pedunculo. Quibusdam reticularis in ſummo faſtigio ſpecies eſt; ſunt, qui ex volva ſurgunt, ſolitarii; alii gregarii ſunt, & veluti in familiam collecti, atque ex una volva prorumpunt, quos caeſpitoſos dicunt. Videas, qui membrana conſtant individua, nec lamellari, nec tubuloſa, qui hoc ipſo vel a fungis lamellaribus vel porcinis, tubuloſam ſcilicet ſubſtantiam habentibus, diſcrepant. Aliqui annulum, prope ad ſubſtantiam lamellarem, quæ ſub pileolo eſt, habent; alii eodem carent. Sunt, qui lamellatum opus ſericea aliqua obductum membrana gerunt, atque ipſe pileolus, his faſtigiatus, illis latior & convexus, aliis autem excavatus & veluti umbilicatus eſt: Qui ſubſtantiam ſub pileolo contentam tubuloſam habent, ſuillos, *ceryomycetas*, a favi ſimilitudine, aptius, appellant, veluti qui ſolitarii, *monomycetae*, qui gregarii, *polymycetae*, qui amarulenti, *picromycetae*, græcis vocibus, naturam rei apte omnino haurientibus, audiunt. Sunt quoque, qui ſubſtantia ſuccoſa gaudent; hos *hydrophoros* nominant. Singulare genus illud eſt, quod ex peculiari aliqua terra pingui, quam *tuberaſtrum* dicunt, vel *Lapidem fungarium* ac *petram fungiferam*, ex occulto ſemine vegetat. Poſt-

Digitized by Google

quam enim iſthæc terra vulgari humo ſuperinducta eſt, tunc fungulí varii, ex eadem, brevi tempore propullulant, ut fuerint, qui *Fungimappam*, ob fungulorum apparatum, veluti in menſula ſtratum, appellarent. Ex iſtis obſervationibus ſequentia Auctori ſubnata fuerunt genera, quæ ipſis eius verbis apponere lubet.

Claſſis I. De Coralloidibus.

Coralloides eſt fungorum genus ita dictum, quod Corallorum ramos æmulatur. Ab hiſce Fungis exordimur, quia eſt unicum Fungorum genus, quod perfectis plantis aſſimilari poſſit, & quod radices, truncos, & ramos habeat; deinde quia in univerſa fungorum familia nullum genus eſt, quod, quoad omnes ſui ſpecies, tuto comedi poſſit, ut Coralloides noſtræ; quidquid perperam alii inconſulto ſentiant. *Manine* apud nos appellantur.

Claſſis II. De Clavariis.

Clavaria eſt fungi genus carnoſum, non ramoſum, Herculeam clavam quadantenus referens, interne plerumque farctum, raro cavum, externa ſuperficie lævi, ac ſeminibus minutiſſimis undique referta. Nullo pileolo ſunt inſtructæ, ſed aliæ ſunt ſimplices, aliæ vero caeſpitoſæ.

Claſſis III. De Boletis.

Boleti nomine illud omne ex Fungorum familia intelligimus, quod vel ſcrobiculis eſt excavatum, aut, ut ait Tournefortius, *feneſtratum;* ſive etiam, ut nobis placet, quod Pileolum eleganter complicatum habet, ſeu Calyciformem, non ſulcatum, ne cum lamellatis Fungis confundatur, neque inferne tubulatum, ne cum porcinis numerari poſſit. Boleti ſic ſumpti, vel ex *volva* erumpunt, vel ea ſunt deſtituti. (Volva autem eſt membrana quædam veluti coriacea, globoſa, craſſa, in qua, ſicut foetus in utero, ſic Fungus, dum adhuc immaturus eſt, continetur).

Claſſis

Digitized by Google

Claſſis IV. De Fungis Membranaceis.

Fungos membranaceos illos appello, quorum corpus una membrana lata componitur, ſive plana ſit, ſive vario modo plicata, ut auris humanæ plicas æmuletur, ſive ad cyathum accedat. Quæ membrana neque lamellata ſit in parte inferiori, neque tubulis patentioribus pervia, ne cum lamellatorum atque porcinorum Fungorum pileolis confundatur.

Claſſis V. De Fungis pileolo ſulcato, ex volva erumpentibus.

Id genus fungi volvam habent albidam, ſubſtantiæ carnoſæ, tenuis, ad mucorem accedentis, quæ, perpendiculariter ſecta, quomodo immaturus fungus in ea contineatur, oſtendit. Diſrupta volva, fungus aſſurgit, & ſupra pedunculum pileolum explicat, ſuperne generatim convexum, interne ſulcis, veluti radii circuli, a centro ad circumferentiam ductis munitum, qui circa pileoli peripheriam duplicantur, & membrana alba fugaci obducuntur. In pileolo eſt cutis, corpus carnoſum, & ſulci; triplici ideo ſubſtantia conſtat. In pedunculo vero, cutis, corpus carnoſum, & medullare.

Claſſis VI. De Fungis ſingularibus annulo inſtructis.

Fungos ſingulares annulo inſtructos, illos dicimus, qui cum aliis eiusdem ſpeciei naſci non ſolent, veluti ex caeſpite, tanquam communi principio, prodeuntes. Huiusmodi autem fungi, non longe a ſulcorum exordio, annulum quendam, ex tenui quadam veluti goſſypina ſubſtantia, conflatum geſtant.

Claſſis VII. De Fungis ſolitariis, velum ſulcos obtegens pro annulo habentibus.

Velum hoc interdum eſt membrana tenuis, goſſypina, candida, a pileoli margine ad pedunculum horizontaliter tenſa, ad ſulcos tegendos deſtinata; aut ex filamentis eiusdem ſubſtantiæ, inſtar aranearum texturæ, coaleſcens, quæ ſemper brevi evaneſcit, & ad ſummum marginem reliquiæ

 appa-

apparent, eo quod inferne denticulatum, ſeu fimbriatum eum relinquunt.

Claſſis VIII. De Polymycetibus, ſeu Fungis multiplicibus, annulo donatis.

Id genus Fungi caeſpitoſi vocantur ab aliis, eo quod ex communi principio varii pedunculi exſurgant. Hi duplicis ſunt naturæ, alii ſunt annulo inſtructi, alii ſunt eo deſtituti. Hi fungi *Famiglivole*, familiæ, a ruricolis nuncupantur.

Claſſis IX. De Omphalomycetibus, ſeu de fungis umbilicatis ſingularibus.

Fungi umbilicati ſingulares illi ſunt, qui ſolitarii naſcuntur, quorum pileolus eſt ſulcatus, & ſuperne in centro depreſſus, ut cyathum, tubam, aut craterem æmuletur.

Claſſis X. De Polymycetibus, ſive fungis multiplicibus, pileolo umbilicato.

Id genus Fungi, ex uno communi principio, plures pedunculos emittunt. Sulci a pedunculo exordiuntur, & per pileolum, in formam inverſi coni, expanduntur, qui pileolus ſuperne in medio eſt depreſſus, ut umbilicum æmuletur. Hi denique Fungi annulo ſunt deſtituti.

Claſſis XI. De Monomycetibus, ſeu fungis ſolitariis ſimplicibus.

Fungos ſolitarios ſimplices illos appello, qui cum aliis naſci non ſolent, qui præterea pileolum ſulcatum & non umbilicatum habent, ſed in medio aut acuminatum, aut tumentem, ſurſum geſtant, quamvis interdum aliqui margine ludant; pedunculum quoque abſque annulo præ ſe ferunt.

Claſſis XII. De Polymycetibus ſimplicibus.

Nomine Polymycetæ ſimplicis, caeſpitoſos illos fungos intelligo, qui ex uno principio pullulant, & pileolum umbilicatum non habent, ſed aut mammoſum, aut pulvinatum,

qui-

quique pedunculum absque annulo geſtant, nec ulla membrana communi ſulcos obtegunt.

Claſſis XIII. De Hydrophoris, ſeu de fungis multo humore aqueo ſcatentibus.

Fungos illos omnes pileolo ſulcato hac claſſe complectimur, qui tenuioris ſubſtantiæ ſunt, in quibus humor aqueus præ ceteris abundat.

Claſſis XIV. De Bullis.

Fungillos illos omnes hac claſſe complectimur, quorum ſubſtantia tenuis generatim eſt, ut in Hydrophoris, & quorum forma Bullas, ſeu clavulos illos æmulatur, quibus currus, ſubſellia, & alia id genus exornantur.

Claſſis XV. De Tuberaſtro, eiusque Fungis.

Tuberaſter, ſeu fungarius lapis, vulgo Petra fungifera, *lo fungale*, improprie Lapis appellatur; eſt enim corpus quoddam admodum durum ponderoſumque, in glebas efformatum, ex terra & materia pingui compoſitum, ingens nigrum tuber, interius exteriusque, æmulans. Intrinſecus innumeris albi mucoris laciniatis implicatisque membranis ſcatet. Hic, dum in glebas efformatur, folia, feſtucas, ſaxa, & cetera ſimilia ſibi conſociat. Aliæ id genus glebæ, veluti circa ramum, digiti craſſitie circumpoſitæ, cernuntur; aliæ vero hoc deſtitutæ apparent. Nullo Tuberaſter ſcatet odore. In variis Italiæ montibus id genus glebæ reperiuntur. In agro Campano prope Ferentinum; in variis Regni Neapolitani montibus etiam proſtant; quin etiam in Piceno monte, qui *della Luna* appellatur, fungis aptiſſimæ id genus glebæ proveniunt.

Claſſis XVI. De Ceriomycetibus, id eſt de fungis favaginoſis, qui & porcini, aut ſuilli ab aliis nuncupantur.

Huiusmodi fungi, porcini aut ſuilli a Botanicis appellantur, quia iis avide nutriuntur ſues, &, ubi naſcuntur, eo ſues ad paſcua conveniunt. Nobis autem favaginoſos placuit illos

los appellare, quia inferius pileoli ſtratum ex innumeris tubulis ſimul iunctis compoſitum habent, quod apum favos imitatur, ut in ſectione pileoli obſervari poterit.

Claſſis XVII. De Lycoperdis.

Lycoperdon græce, idem ac Lupi crepitus latine, italice vero *Veſcie:* eſt, cum Tournefortio. Plantæ genus ad fungum accedens, duræ primum, & carnoſæ; rumpuntur poſtea, & pulverem tenuiſſimum effundunt. Quatuor duntaxat ſpecies in Agro ſuo Auctor clariſſimus invenit.

Claſſis XVIII. De Agaricis.

Agaricus eſt fungorum genus, nulla conſtanti forma donatum, immo, quoad corporis texturam, alii molles ſunt, & ſpongioſi, alii coriacei, alii lignoſo-coriacei, alii lignoſi omnino. Colore etiam differunt. In hoc uno generatim conveniunt, quod duplici ſtrato creſcunt, quorum aliud fibroſum eſt, nempe ſuperius, aliud vero vel ex innumeris tubulis coaleſcit, ut in Ceriomycetibus videre eſt, vel ſinus habet anfractuoſos, vel ex lamellis conficitur, ut in fungis, pileolo lamellato, obſervamus. Arboribus & fruticibus ſolent adnaſci, tam virentibus, quam aridis, & ad humum deiectis; quamvis nonnulli, ab omnibus plantis ſemoti, ex terra erumpant. Differentia Agaricorum ſpecifica hactenus ignoratur.

Doctiſſimus Auctor, ſub finem operis, Clariſſ. Viri, *Ioa. Gottlieb* GLEDITSCHII, *Profeſſoris Botanices Berolinenſis, & Conſiliarii Regii,* Methodum Fungorum, antea a ſe non viſam, & ſerius acceptam, omni ex parte bono ordini haud reſpondere arbitratus eſt: partim quod illa ſeminibus, non niſi armato oculo conſpiciendis, rarius nudo oculo contemplandis, pro fundamento diviſionis uſa ſit; partim quod Agaricos a fungis lamellaribus diſerte haud diſtinxerit, & Boleti nomine fungos porcinos æque ac agaricos fuerit complexa; tandem, quod *Elvelae* notionem, qua pro genere uſus eſt *Gleditſchius* clare haud expoſuerit. Nos *gravi Viro*, magnam nominis celebritatem inter nos & ubivis habenti, ſuam cauſam perorandam relinquimus.

HI-

Digitized by Google

HISTOIRE DE LA CONFEDERATION Helvetique.

i. e.

HISTORIA FOEDERIS HELVETICI, AUctore ALEXANDRO LUDOVICO DE WATTEVILLE, in Supremo Tribunali Reipublicæ Bernenſis Conſiliario, & Comitatus Niddavienſis Præfecto.

Bernæ, ap. Gottſchalkium & Socios Tom. I. & II. Alph. 1. plagg. 9. 1754. in 8.

Manavit hæc Hiſtoria e monumentis maximam partem MStis, inter quæ eminent Commentarii Ioannis Franciſci de Watteville, Abavi Dni Auctoris, 18. voluminibus in folio congeſti. Inter impreſſos, Hiſtoria medii ævi, ex Guichenonii Hiſtoria Sabaudiæ, & Bibliotheca Sebuſiana, inprimis illuſtratur. Liber I. ad ſitum regionis, originem gentis, ſtatum Helvetiæ ſub Francis, Duces Alemanniæ, Regnum Burgundiæ Trans-Iuranum, Helvetiam Imperio unitam, Zaringios Duces, & ſtatum Helvetiæ poſt exſtinctos eos, pertinet: poſtremo de malis moribus Præfectorum Imperialium ſermo eſt. Hi incolas, propter admiſſa leviſſima, carceri addicebant, inexorabiles erant ad querimonias populi, & libertates ac immunitates gentis quotidie infringebant. Inter hos unus, Gesler nomine, ad inauditum inſolentiæ deſcendit gradum. Haſtæ is pileum infigi iubet, ea lege, ut omnes prætereuntes hunc pileum perinde ſalutent, ac ſi ipſe adeſſet. Reſciſcere ea ratione volebat, qui demum omnium eſſent maxime inflexibiles. Tranſit Wilhelmus Tell 1307. nec pileum ſalutat, ideoque novi criminis reus fit. Arcesſitur cum filio ſuo unico. Filii capiti pomum imponitur. Hoc telo auferre iubetur pater, remotus a puero ſatis notabili diſtantia. Paret iuſſui, & pomum telo aufert, illæſo filio. Interrogatus tum a Geslero, cui uſui alterum telum in balteo ſuo attuliſſet? ſi filium læſiſſem, reſpondet, ut te eo occiderem;

Digitized by Google

neque quievit Tellius, elapſus cuſtodum manibus, antequam Geslerum reapſe occidiſſet. Hunc Tellium, libertatis ſuæ vindicem colit Helvetia, ut Brutum Romani. Interemto enim Geslero, Wernherus de Stauffach, Waltherus Fürſt, & Arnoldus de Melchtal, 1305. tres Helvetiæ Pagos, Suitiam, Underwaldiam, Uraniam, primum pro libertate foedere iunxerunt.

Libro II. exponit Auctor, quo loco fuerint res Helvetiæ tempore mortis Alberti I. quæ vires Auſtriæ, & dein ſingulos Status & Urbes præcipuas Helvetiæ ſigillatim deſcribit. Ubi de Tiguro agitur, locus adducitur ex *Bochati* Commentariis de Helvetia, quo occaſio migrationis, ab Helvetiis tempore Cæſaris ſuſceptæ, ingenioſe proponitur. Bernæ nomen, vulgo, a voce Germanica Bahr derivatur, quod urſum hic occiderit Bertholdus, Dux Zærigiæ. Sed eam Etymologiam reiicit Auctor p. 94. in Nota ſub *, obſervatque, vocem Beræ locum iudicii ſignificaſſe, & inde veriſimiliter civitatem nomen nactam eſſe, adducto Cl. *Wachteri* Gloſſario in voce Bar. Baſilea veteribus Baſilia; in Actis autem medii ævi Baſula & Baſil dicitur, ut ex Schoepflini Alſatia illuſtrata T. I. f. 677. conſit, p. 104.

Summa foederis primi, inter tres Pagos primum foedere iunctis initi, ſiſtitur Libro III. Exponuntur deinde occaſiones, quibus alii quinque Pagi his tribus acceſſerunt. Sunt hi Lucerna, Tigurum, Glarona, Tugium, & Berna. Hi 5. Pagi cum ſuperioribus 3. octo veterum Pagorum nomine veniunt. Hi ſoli rempublicam Helvetiæ conſtituerunt per annos 125. Deſcribuntur hic etiam p. 116. arma huius ætatis, dicta *Geſae*, Gallis Halebardes. Eorum ferrum ex uno latere ſecurim ſiſtebat, ex altero in mucronem deſinebat.

Libro IV. p. 165. exhibetur Inſcriptio vetus, quæ hodienum in Helvetia lapidi inſcripta legitur:

NVMINIBVS AVGVST.
VIA FACTA PER
. . VR . . . VM PATER. VM.
II VIR. COL. HELVET.

Deſcri-

Deſcribitur deinde ad a. 1375. bellum ab Anglis in Helvetia geſtum. Scilicet Engucrandus de Coucy, Dynaſtæ Gallici filius, qui Principiſſam Angliæ in matrimonium duxerat, dotem repetebat, matri ſuæ a patre Leopoldo, Duce Auſtriaco, in his regionibus promiſſam. Sed fuſi Angli a Bernatibus. Prælium ad Sempachum, in quo 1386. viri nobiles 676. a partibus Auſtriacorum ceciderunt, late deinde litteris commendatur.

Bellum Abbatis-cellenſe, quod A. 1401. & ſequentibus geſtum eſt, aperit librum V. Sequitur Mediolanenſe primum, bellum Concilii Conſtantienſis, mors ultimorum Comitum de Kyburg & de Raperſweil, bellum Tigurinum, & Armeniacorum. In fine explicatur, quid ſit ius civitatis, Combourgoiſie, deinceps & ius Helveticum.

Parte ſecunda iterum capita 5. continentur, VI. VII. VIII. IX. & X. Sexto ad A. 1453. agitur de primo foedere Helvetiorum cum Gallis, adducitur Capitulatum Mediolanenſe, & late inde ab origine exponuntur rationes belli Burgundici, ab Helvetiis cum Carolo Audace geſti. *Commineus* T. I. p. 277. & eius veſtigiis inſiſtens *Barbeyracus*, in Notis Gallicis ad Grotii Ius Belli & Pacis L. II. c. 1. in fine, originem huius belli a duobus vehiculis corio repletis, raptisque, repetunt. Hos tamen vehementer errare docet Auctor p. 43. Ille magnus adamas Caroli Audacis, nunc præcipuum ornamentum coronæ papalis eſt, cui eum intulit Iulius II. p. 56. Capellæ, quæ oſſa militum ſervat, qui ad Murathum occubuerunt, p. 69. hæc verba inſcripta leguntur:

DEO OPT. MAX. CAROLI INCLYTI
ET FORTISSIMI DVCIS BVRGVN
DIAE EXERCITVS MVRATHVM
OBSIDENS AB HELVETIIS CAE
SVS HOC SVI MONVMENTVM
RELIQVIT. ANNO MCCCCLXXVI.

Iam omnia Helvetis erant, nec quicquam deerat niſi Sal. Eo abundat vicinus Comitatus Burgundiæ. Cum hoc igitur actum de foedere, ſed tractatus exitu caruere. Inter hæc Friburgum

Digitized by Google

& Solodurum in Foedus recipiuntur 1481. eodemque anno Ludovicus XI. Helvetios primo Privilegio donat. Iisdem Carolus VIII. foedere unitur, apud quos varii motus, Ducatus Mediolanenſis & Regni Neapolitani ergo. Hæc Summa Libri Septimi. Proximum eſt bellum Suevicum in Libro VIII. geſtum ab Helvetiis cum Maximiliano I. & in quo e ſex præliis victores abierunt. Ferox victor, militibus victis p. 129. ex civitate Thungenſi exeuntibus, nihil concedit præter induſium & album baculum. Inter hæc apud Tirolenſes inprimis ingens calamitas. Auctor eſt *Bilibaldus Pirkheimerus* de bello Helvetico L. II. ſe duas ibi mulieres vidiſſe, quæ 400. circiter infantes, gregatim, ovium inſtar, ante ſe egerint: qui poſtquam in pratum veniſſent, graminibus eius pecudum ritu veſci coeperint, hoc ſolo diſcrimine, quod gramina manibus decerperent & ori admoverent. Libri IX. initio Baſilea & Scaphuſia foederi accedunt 1501. quod exemplum civitas Conſtantia ſequitur. Fit deinde invaſio Burgundica, in quo celebris obſidio Divionenſis, per ſponſionem Helvetiis factam a Trimolienſi Dynaſta, ſoluta. Abbatis cella decimo tertio eodemque ultimo loco accedit Foederi 1513. & biennio poſt Helvetii Maximiliano I. & Hiſpanis iunguntur contra Gallos, donec cum Gallis fieret pax perpetua, omnium foederum inſecutorum baſis. In fine libri huius diſtinctio docetur inter Socios Pagorum Helvetiæ, & Confoederatos. Socii ſedem habent in Comitiis ordinariis, & partem faciunt Corporis. Tales ſunt Abbas S. Galli, & civitas eiusdem nominis, Mulhuſa, quæ tamen ab anno inde 1586. ſolis Pagis Tiguro, Bernæ, Baſileæ & Scaphuſiæ foedere iungitur, & Bienna, quæ in ſolo foedere trium Pagorum, Bernæ, Friburgi, & Soloduri eſt. Confoederati Helvetiorum ſunt Rhætii, Valeſia, & particulari foedere Geneva & Novum Caſtellum.

Abbas S. Galli, Civitas eiusdem nominis, Rhætii, Valeſia, Mulhuſa, Bienna, Geneva, Novum Caſtrum tandem, penitius deſcribuntur in Libro X. cui ſubiicitur index materiarum.

Auctor

Digitized by Google

Auctor huius Hiſtoriæ tam parum partium ſtudio fertur, ut, niſi de patria & religione ipſius aliunde nobis conſtaret, neutram ex libro eius colligere poſſis. Typus elegans, charta nitidiſſima eſt. Quæ hoc anno nova editio prodiit, Libro XImo aucta eſt, res inde ab a. 1513-1531. geſtas, Sacrorum mutationem inprimis, enarrante. Cætera eadem ſunt omnia.

ECCLESIAE VENETAE, ANTIQUIS MOnimentis, nunc etiam primum editis, illuſtratæ, ac in Decades diſtributæ. Decas I-VII.

Venetiis, typis Io. Bapt. Paſquali, MDCCXXXXIX. Quart. mai. Alph. 10. pl. 10.

Conſentimus cum clariſſimo operis elegantiſſimi, cuius notitiam iam ſuppeditare inſtituimus, auctore, inſignem illos, & hiſtoriæ eccleſiaſticæ, & univerſæ rei litterariæ adferre utilitatem, qui in conquirendis colligendisque, & in publicam lucem emittendis, vetuſtiſſimis eccleſiarum monimentis, cuiuscumque generis illa ſint, operam ſuam collocant. Eius rei quamvis nulla opus eſſe videatur probatione; vix tamen certiora atque illuſtriora documenta adferri poſſe nobis perſuademus, præſtantiſſima hac collectione, cuius octo priores decades, quinque tomis comprehenſas, percenſere animus eſt. Quo maior omni tempore fuit Venetiarum gloria, illuſtrisſimis civium Serenisſimæ Reip. & domi & foris geſtis rebus parta conſervataque, quove maior eſt, quæ admirandam urbem exornant, templorum & monaſteriorum numerus: hoc maiori laude cenſendam eſſe Cl. A. diligentiam, in deſcribenda illorum hiſtoria poſitam, quisque confitebitur, ſi reputaverit, maximam partem illorum antiquiori ætate conſtructam, atque inſignibus aliorum beneficiis cumulatam. Pietatis illius memoria, quum ſingularibus litterarum monimentis poſteris commendari conſueverit, eaque ad illuſtrandum omne hiſtoriæ genus quamplurimum conferant: multum ſane rei litterariæ intereſt, ſedulo illa conquiri, atque ex tenebris tabulariorum, quibus oppreſſa iacent, in lucem protrahi. Hoc nomine inter utilisſimos libros quum iſta eccleſiæ Venetæ

netæ monimenta referri merentur, partium noſtrarum eſſe ducimus, accurata induſtria de iis exponere. Quod ut rite fiat, quarum ædium ſacrarum hiſtoria quaque parte explicetur, primo loco dicendum eſt. Decade *prima* agitur de monaſterio S. Crucis de Iudaica: de eccleſia parochiali S. Baſilii epiſcopi, confeſſoris: de eccleſia parochiali SS. Viti & Sociorum martyrum: de monaſterio corporis domini: de monaſterio S. Andreæ apoſtoli: de monaſterio S. Chriſtophori de pace in inſula: de monaſterio S. Ioannis baptiſtæ in Iudaica; de eccleſia parochiali SS. Hermagoræ & Fortunati, martyrum: de monaſterio S. Ludovici epiſcopi, confeſſoris: de eccleſia parochiali S. Bartholomæi apoſtoli. Decade *ſecunda* & *tertia*, ſive ſecundo tomo: de monaſterio S. Mariæ ordinis ſervorum b. Mariæ Virginis: de monaſterio S. Hieronymi doctoris: de eccleſia parochiali S. Martialis epiſcopi & confeſſoris: de eccleſia parochiali S. Felicis confeſſoris: de eccleſia parochiali S. Sophiæ: de eccleſia parochiali SS. apoſtolorum: de monaſterio S. Mariæ, olim cruciferorum, nunc Societatis Ieſu: de eccleſia parochiali SS. Cantiani & Sociorum martyrum: de eccleſia parochiali S. Mariæ novæ: de eccleſia S. Ioannis Chryſoſtomi: de monaſterio & eccleſia parochiali S. Salvatoris: de eccleſia parochiali S. Mariæ, matris domini: de eccleſia parochiali S. Paulli apoſtoli: de eccleſia parochiali S. Thomæ apoſtoli: de eccleſia parochiali S. Pantaleonis martyris: de eccleſia parochiali S. Stephani confeſſoris: de eccleſia parochiali S. Auguſtini epiſcopi & confeſſoris: de eccleſia parochiali S. Ubaldi epiſcopi: de eccleſia parochiali SS. Euſtachii & ſociorum martyrum: de eccleſia parochiali S. Caſſiani epiſcopi, martyris. Porro Decade *quarta* & *quinta*, quarum utramque tomus III. complectitur, commentarios invenies de eccleſia parochiali S. Sylveſtri papæ: de eccleſia parochiali S. Apollinaris epiſcopi & martyris: de eccleſia parochiali S. Matthæi apoſtoli: de eccleſia parochiali S. Ioannis eleemoſynarii in Rivo alto: de eccleſia S. Iacobi maioris apoſtoli de Rivo alto: de eccleſia S. Mariæ conſolationis, congregationis oratorii S. Philippi Neri: de eccleſia parochiali S. Leonis IX. papæ:

Digitized by Google

pæ: de eccleſia parochiali S. Marinæ virginis: de monaſterio Mariæ virginis miraculorum: de Xenodochio S. Mariæ virginis derelictorum: de monaſterio S. Mariæ a planctu: de eccleſia parochiali S. Iuliani martyris, & de eccleſia S. crucis nationis Armenæ: de eccleſia parochiali S. Geminiani epiſcopi, & de prioratu S. Galli abbatis nuncupato: de eccleſia parochiali S. Moyſis prophetæ: de eccleſia S. Mariæ Iubanico: de eccleſia parochiali SS. Mauritii & ſociorum martyrum: de eccleſia parochiali S. Vitalis martyris: de monaſterio SS. Rochii confeſſoris & Margaritæ, virginis & martyris: de eccleſia parochiali S. Samuelis prophetæ. Quarti tomi, id eſt Decadis *ſextae*, commentationes exponunt: de monaſterio S. Mariæ de virginibus: de monaſterio S. Danielis prophetæ: de hoſpitali SS. Petri & Paulli apoſtolorum: de monaſterio S. Annæ: de monaſterio S. Ioſephi: de monaſterio S. Antonii abbatis canonicorum regularium S. Salvatoris: de monaſterio SS. Bartholomæi & Franciſci de Paulla: de eccleſiâ parochiali S. Martini epiſcopi & confeſſoris: de eccleſia parochiali S. Ioannis in Bragora: de eccleſia parochiali Sanctiſſimæ Trinitatis. Decadum denique *ſeptimae & octavae*, tomo quinto comprehenſarum, diſſertationes inſcribuntur: de monaſterio Mariæ de Salute: de monaſterio S. Mariæ de humilitate: de monaſterio S. Servuli martyris: de eccleſia parochiali S. Baſſi epiſcopi & martyris: de domo S. Ioannis baptiſtæ catechumenorum: de monaſterio Spiritus Sancti: de Xenodochio S. Salvatoris incurabilium: de eccleſia parochiali S. Agnetis virginis & martyris: de monaſterio S. Mariæ de caritate: de monaſterio S. Mariæ, olim Ieſuatorum, nunc Prædicatorum: de eccleſia parochiali SS. Gervaſii & Protaſii martyrum: de monaſterio S. Ioſephi monialium eremitarum: de monaſterio omnium Sanctorum: de monaſterio S. Sebaſtiani congregationis beati Petri de Piſis: de eccleſia & loco S. Mariæ de ſuccurſu: de eccleſia parochiali S. Raphaelis archangeli: de monaſterio S. Thereſiæ virginis: de eccleſia parochiali S. Nicolari epiſcopi: de monaſterio S. Mariæ maioris: de eccleſia parochiali S. Barnabæ apoſtoli. Quam ſequutus ſit Cl. A. tractandi

Digitized by Google

ctandi rationem, ut eo rectius conſtet, haud abſonum eſſe videtur, ſpeciminis gratia ſtrictim exponere, quæ de *eccleſia parochiali S. Pantaleonis martyris,* & de *monaſterio S. Sebaſtiani* commentatus eſt. De illa hæc habeto. Veneti, quum omni tempore mercaturæ operam darent, hancque ob cauſſam frequenter Conſtantinopolin peterent, facile adducti ſunt, ut ſanctos, qui in eccleſia Græca potiſſimum celebrantur, eodem honore eademque veneratione proſequerentur. In his quoque Pantaleon fuit, quem non ſolum tanti fecerunt, ut nomen eius infantibus, ſacro lavacro ablutis, imponerent; ſed etiam oſſa obtinuerunt, cum Gallis, urbem iſtam expugnantibus, operam navaſſent. Reliquiæ iſtæ Procuratoribus S. Marci creditæ erant adſervandæ, usque dum ann. MCCCXIIII. Iacobus Bertaldus, ſive Bonfaldus, eas impetraret, atque in fanum, memoriæ Pantaleonis conſecratum, transferret. Templi huius origines quamvis ad ann. MCCXIV. referat *Sanſovinus;* certum tamen eſt, falli virum doctiſſimum rerumque Venetarum adprime peritum, ſiquidem aliorum ſcriptorum, quorum monimenta typis nondum deſcripta fuere, exploratum eſt, ann. MIX. illud fuiſſe inſtauratum a familia Iordana, patriciis adſcripta, duce Ottone Urſeolo. Quo facile confutatur vulgare commentum, templum hoc antea fuiſſe abbatiam, S. Iulianæ virgini dicatam, quam Angelus Simiteculus in Parochiam commutarit, ac nuncuparit Pantaleoni. Exſtant enim varia vetuſtatis monimenta, inde ab anno MCCVII. confecta, quæ modo plebanum, modo presbyterum S. Pantaleonis memorant, atque efficiunt, ut iſta tempeſtate, fanum S. Pantaleonis parochiale, immo collegiatam eccleſiam fuiſſe, non ſit dubium. Primam illius conſecrationem factam eſſe ann. MCCCV. menſe Iulio, docet inſcriptio marmoris. Quum dein, longo temporis intervallo, nimia vetuſtate ædes ſacra ruinam minaretur, ann. MDCLXXXIIII. ſolo æquata fuit, ac de novo exſtrui coepit. Opus abſolutum ann. MDCCIIII. magnificum certe, arisque marmoreis exornatum. Inter quas ea præcipue eminet, quæ, S. Pantaleoni conſecrata, eius, aliorumque ſanctorum reliquias, ac portionem

nem, ut putant, ſanctæ crucis continet. Concluduntur vaſis pretioſis, ex quorum numero eſt capſula argentea inaurata, cum hac græca inſcriptione:

I'ATPO'C
O'V TOC MP'
ATV'CΠA
NTЄΛЄH'
MOON: —

Fragmentum oſſis complectitur lamina aurea, cui circumſtant hæ litteræ

✠ ΛΕΙΨΑΝΟΝ ΤΟȣ ΔCIȣ ΠΑΝΤ
ЄΠЄΗ ΟΟΗΟG: XOXOXO.

ut alia huius generis taceamus. Novi templi dedicationem peregit Aloyſius Foſcari, Patriarcha Venetus d. XXIX. Aug. MDCCXXXV. His enarratis, ſubiicitur ordo chronologicus plebanorum eccleſiæ illius, quem deſcribere, & nimis longum, & inutile fore arbitramur. Concluditur tandem commentatio nonnullis diplomatibus, iis, quæ narraverat, confirmandis illuſtrandisque inſervientibus. Hiſtoriæ *monaſterii S. Sebaſtiani* brevis ſumma hæc eſto: Petrus de Gambacurtis, nobilis Piſanus, auctor fuit ordinis eremitarum, qui divi Hieronymi nomen adſcivit, cuius origo ad ann. MCCCLXXX. refertur. Quum multi pietatis ſtudio ei ſeſe adiungerent, Venetias ſeceſſerunt, ibique coemerunt domum, tantamque conſequuti ſunt virtutis exiſtimationem, ut Antonius Venerio, Venetorum dux, illis ann. MCCCXCIII. concederet facultatem ſtipem rogandi. Exſtructum fuit templum, *ſanctae Mariae plenae gratia & miſericordia* dicatum, illudque arctiori vinculo cum baſilica Lateranenſi Romana coniunctum, ut pars & membrum eius cenſeretur, hincque in privilegiorum omnium venirent ſocietatem, quæ dictæ ædi Romanæ data ſunt. Ab eo tempore ſingularem pontificum Romanorum favorem monachi iſti experti ſunt, ita ut non ſolum varia in eos conferrent beneficia, eisque ædem ſuam dilatandi amplificandique

Digitized by Google

darent facultatem; ſed etiam Paullo II. papa, capella, quæ antea S. Mariæ nomine utebatur, nomen S. Sebaſtiani ſortiretur. At vero quum ædes minus ſpatioſa eſſet, denuo a Calixto III. impetrarunt, ut novum exſtruerent templum, magnificum atque elegans, & celeberrimorum architectorum, Sebaſtiani Serlii, & Iacobi Sanſovini, conſilio & auſpiciis confectum. Conſecrari quidem eam a quocumque antiſtite catholico, quum a patriarcha Veneto, ſenio confecto, non poſſet, permiſit Sixtus IV. ann. MCCCCLXXXIII. attamen ob longam controverſiam, a plebano & capitulo S. Raphaelis monachis illatam, dedicatio iſta dilata fuit usque ad ann. MDLXII. quo eam peregit Io. Franciſcus de Rubeis. Ubinam hic epiſcopatum geſſerit, lis eſt. *Io. Bapt. Saianellus*, hiſtoricis monimentis congregationis S. Petri de Piſis claris, epiſcopum Auſerenſem fuiſſe contendit, cui Cl. A. contradicit, ac præſulem eum fuiſſe Aurenſem, ex imagine quadam Io. Franciſci colligit, quam Titianus pinxit; nobilis vero familia de Rubeis in urbe Auſtria adhuc ſervat. Conſulto præterimus reliquias, & miracula, quæ illarum ope perpetrata eſſe feruntur; nec refert, piorum percenſere nomina, quæ diligenter enarrata fuere. Ex his abunde, credimus, cognoſcere quemque, quem dicendi ordinem Cl. A. ſequutus ſit. Quare hac de re nihil addimus; adgredimur potius ad alia commemoranda, quæ in doctiſſimis his commentariis notatu digna eſſe videntur. Si vera fateri licet, maxima, quæ ex illis exſpectari poteſt, utilitas, in chartis poſita eſt, aliisque vetuſtatis monimentis, quorum tanta copia iis inſerta eſt, ut certe numerus vix iniri queat. Varia eſſe eorum genera, nobis haud monentibus, quisque intelliget, ſive ad diplomatum auctores, ſive ad argumentum, ſive ad ætatem eorum animum advertamus. Maxima eorum pars ad rem ſacram pertinet, inter quæ illa noſtro iudicio præcipue notanda veniunt, quæ a pontificibus Romanis data ſunt, &, quum ex his haud pauca ſint, niſi ultima, media tamen ætate confecta, rei diplomaticæ egregiam lucem quin adferant non eſt cur dubitemus. Invenimus enim ex ſeculo XII, ut temporum ordinem ſequamur,

litte-

Digitized by Google

litteras *Anaſtaſii* IV. *tom.* IV. p. 187. *Alexandri* III. *tom.* II. p. 279. *tom.* III. p. 379. ſeqq. *tom.* IV. p. 189. ſeqq. *Clementis* III. *tom.* II. p. 399. *Innocentii* III. *tom.* II. p. 376. *tom.* III. p. 94. *tom.* V. p. 162. Ex ſeculo XIII. *Honorii* III. *tom.* III. p. 96. *tom.* IV. p. 197. *Gregorii* IX. *tom.* II. p. 280. *tom.* III. p. 74. *tom.* IV. p. 40. ſeqq. *Innocentii* IV. *tom.* II. p. 281. *tom.* IV. p. 45. *Alexandri* IV. *tom.* II. p. 282. *Clementis* IV. *tom.* IV. p. 646. *Gregorii* X. *tom.* IV. p. 47. ſeqq. *Bonifacii* VIII. *tom.* III. p. 113. Ex ſeculo XIV. *Ioannis* XXII. *tom.* IV. p. 89. & *tom.* V. p. 177. *Clementis* VI. *tom.* III. p. 312. & *tom.* IV. p. 59. *Urbani* V. *tom.* IV. p. 66. *Gregorii* XI. *tom.* III. p. 103. *Urbani* VI. *tom.* III. p. 124. & *tom.* IV. p. 203. *Bonifacii* IX. *tom.* I. p. 344. ſeqq. *tom.* III. p. 126. *tom.* IV. p. 71. ſeqq. Ex ſeculo XV. *Innocentii* VII. *tom.* III. p. 341. *Gregorii* XII. *tom.* I. p. 219. ſeqq. *tom.* V. p. 183. *Alexandri* V. *tom.* III. p. 197. *Martini* V. *tom.* I. p. 153. 226. 228. ſeqq. 309. ſeqq. *Eugenii* IV. *tom.* I. p. 63. 233. ſeqq. *tom.* II. p. 133. 291. ſeqq. 321. 350. *tom.* III. p. 129. ſeqq. *tom.* IV. p. 95. ſeqq. 221. & *tom.* V. p. 189. *Nicolai* V. *tom.* I. p. 274. *tom.* II. p. 146. 351. 389. *tom.* III. p. 138. ſeqq. & *tom.* IV. p. 97. ſeqq. *Calixti* III. *tom.* IV. p. 49. *tom.* IV. p. 101. *tom.* V. p. 312. *Pii* II. *tom.* IV. p. 102. *Paulli* II. *tom.* IV. p. 351. & *tom.* V. p. 190. *Sixti* IV. *tom.* I. p. 76. ſeqq. 244. *tom.* II. p. 92. *tom.* III. p. 268. *tom.* V. p. 279. *Innocentii* VIII. *tom.* III. p. 148. 191. *tom.* IV. p. 107. ſeqq. 227. 310. & *tom.* V. p. 255. *Alexandri* VI. *tom.* IV. p. 111. ſeqq. 228. 312. *tom.* V. p. 135. 190. Ex ſeculo XVI. *Iulii* II. *tom.* V. p. 256. *Leonis* X. *tom.* III. p. 148. 215. *tom.* IV. p. 272. 285. *Adriani* VI. *tom.* IV. p. 149. *Clementis* VII. *tom.* IV. p. 124. ſeqq. *tom.* V. p. 140. ſeqq. *Paulli* III. *tom.* II. p. 103. *tom.* III. p. 204. *tom.* IV. p. 137. ſeqq. 288. *tom.* V. p. 145. 259. *Iulii* III. *tom.* IV. p. 146. *Paulli* IV. *tom.* IV. p. 153. *Pii* IV. *tom.* I. p. 161. *tom.* IV. p. 250. 292. *tom.* V. p. 31. *Pii* V. *tom.* V. p. 261. *Gregorii* XIII. *tom.* II. p. 240. *tom.* IV. p. 153. *tom.* V. p. 33. *Sixti* V. *tom.* IV. p. 326. *tom.* V. p. 34. ſeqq. *Gregorii* XIV. *tom.* I. p. 355. *Clemen-*

 tis

Digitized by Google

tis VIII. *tom.* IV. p. 157. 180. *tom.* V. p. 38. Ex ſeculo VII. *Paulli* V. *tom.* IV. p. 159. *Gregorii* XV. *tom.* III. p. 236. ſeqq. *Urbani* VIII. *tom.* IV. p. 159. *Alexandri* VII. *tom.* II. p. 195. *tom.* III. p. 286. *tom.* IV. p. 233. ſeqq. & *tom.* V. p. 358. *Clementis* X. *tom.* III. p. 238. Quibus ſi alias huius generis addideris, tam a ſacrorum præſulibus, Conſtantinopolitano, Veneto, Aquileienſi, Tarviſino, pontificum legatis, monaſteriorum antiſtitibus; quam a principibus ſecularibus, Venetorum inprimis ducibus, datas, facili negotio coniicies, quam larga diplomatum ſeges exhibeatur. Prudenter vero Cl. A. perſpexit, non ſatis eſſe legere diplomata; ſed ut ea intelligantur, maxime elaborandum: adeoque, quum multa in illis obſcura non poſſint non eſſe obvia, requiri ab illorum editoribus, ut obſervationibus illis lucem accendant, qua egere videntur. Laude igitur digna Cl. A. diligentia, quam in eo poſuit, ut difficiliores chartarum locos breviter explicaret. Nactus ita eſt occaſionem, multa notandi, quæ rerum geſtarum monimentis recte intelligendis, artisque præſertim criticæ & diplomaticæ legibus præceptisque comprobandis, definiendis, illuſtrandisve, adprime apta ſunt. Ne quis hæc immerito a nobis putet eſſe dicta, earum rerum, quæ in obſervationibus, diplomatibus adſcriptis, placuerunt, dabimus ſpecimina. Sic *Livius Podocatharus*, quem *Michael Lequien* inter præſules Nicoſiæ, capitis regni Cyprii, numerare omiſit, reſtituitur, eumque, quamvis natione fuerit Græcus, inter Latinos tamen referendum eſſe, monetur. Ex bulla Martini V. eleganter eruitur formula eos nominandi, qui nonniſi per aliquod tempus pontificis Romani functi munere, eoque deinde deceſſerant. In illo enim Angelus Corrarius, qui ann. MCCCCVI. electus, Gregorii XII. nomen adſciverat, deinde vero hoc officio, ut quies reſtitueretur, ſeſe abdicaverat, ita adpellatur: *bonae memoriae Angelus, in univerſali eccleſia epiſcopus, in ſua obedientia, de qua partes illae erant, tunc Gregorius XII. nuncupatus.* Quum ſæpius in antiquis chartis, ad rem monaſticam ſpectantibus, *camini magni* fit mentio, quid nomine hoc deſignetur, A. explicat. *Sa-*

criſta

criſta Romanae curiae idem eſt ac præfectus Sacelli pontificii, hoc vero nomen confeſſariis, poenitentiariis, & bibliothecariis fuiſſe commune, perperam ſcripſit *Angelus Rocca. Indictiones* initium habuiſſe calendis Septembris, luculenter probatur. *Virtus & poſſeſſio* idem ſignificant ac *ius & poſſeſſio.* Vocabula *buſcare* & *campullare*, quæ omiſit *Cangius*, denotant *ſcindere* & *evellere.* Splendidum *baſilicae* nomen nonnumquam tenuibus quoque fanis tribuitur. Simili ratione titulus *ſanctiſſimi* & *beatiſſimi*, quo noſtro tempore pontifices Romani ſoli utuntur, priſca ætate omnibus epiſcopis fuit communis, iisque ab ipſis ethnicis conceſſus. Dignitatis *protoſebaſti*, id eſt πρωτοσεβάστου, primus auctor exſtitit Alexius Comnenus, qui eam Venetiarum duci impertivit. *Hypapante* a græcis dictum fuit feſtum purificationis Mariæ, quos Latinos ſubinde imitatos eſſe, bulla Alexandri III. luculenter docet. *Scalae* Conſtantinopoli dicebantur portuli, e quibus *Byzantini* in adverſam ripam traiiciebant. *Wadium*, ſive *radium*, ſive *gaudium*, ſignificabat omne id, quod rei alicuius eſt ſignum ſeu ſymbolum. Hæc ſufficiant. Addimus, non ſolum diplomata ac chartas antiquas, ſed alia etiam litterarum monimenta, partim antea numquam typis deſcripta, partim emendata, & ex codicibus MSS. priſtino nitori reſtituta, in egregio hoc opere exſtare. Quo loco merito habentur *inſcriptiones* ſepulcrales, antiqua & recentiori ætate confectæ. De recentioribus tacemus. Ex antiquiorum numero memorandus eſt lapis, cui non ſolum hæ litteræ: NЄIKΓOPAC MЄMMIH IN ΠAKЄ, id eſt, *Nicagoras Memmiae in pace*, inſcriptæ; ſed etiam monogramma ☧, ſigna cordis transfixi, anchoræ, aſciæ, adpicta ſunt, de quo perquam docte diſputavit Cl. A. Alia hæc eſt T. V. p. 21.

CRESCENTIONI
IN PACE QVI VIXIT
ANN XX DICOSITV
VI IDVS MART.

eique in fine columba adiecta fuit. Mendoſa vox *dicoſitu*, forte legenda eſt: *depoſito.* Accedunt *numiſmata*, quale eſt

Digitized by Google

memoriæ *Angeli de Amatis* conſecratum, & *ſigilla;* inter quæ notari oportet ea, quibus uſi ſunt: *Laurentius Iuſtinianus*, patriarcha Venetus, propterea quod in illo non nobilitatis gentilitiæ, nec epiſcopatus inſignia, ſed Chriſti imago, his additis verbis: *tibi honor & gloria*, conſpicitur: *Angelus Delphinus*, epiſcopus Caſtellanus, ſec. XIV. clarus: *Beſſarion* cardinalis, qui in illo *Biſſarion* adpellatur: *Antonius Contarenus*, patriarcha Venetus, & *Petrus Bembus*. Nec minoris pretii ſunt, quæ Cl. A. in commentarios ſuos transtulit, integra ſcripta. Ita e. c. exhibuit: *translationem S. Athanaſii, patriarchae Alexandrini*, italice ſcriptam, cuius nonniſi latinam interpretationem, ab *Aloyſio Carniolo* S. I. compoſitam, dederat *Papebrochius* T. I. *Maii* p. 252. *Petri Maffeii epiſtolam de fruſtulis ſpeluncae Sublacenſis*, in qua S. Benedictus per triennium delituiſſe creditur: *vitam b. Euphemiae Iuſtinianae Abbatiſſae virginis*, ex antiquo libro Italico deſumtam, & latinitate donatam: *ſermonem de beato Petro Acotanto, nobili Veneto ſeculari*, ex vetuſtiſſimo libro archivi S. Baſilii deſcriptum: *b. Ioannis Dominici*, Archiepiſcopi Florentini, qui ſub finem ſeculi XV. floruit, *iter Peruſinum & epiſtolas: vitam b. Gratiae confeſſoris: variantes lectiones actorum S. Maximi*, cum editione *Ruinarti* collatorum: *translationem beatiſſimi Theodori martyris*, quam plerique, erronea ſententia, cum *monimentis paſſionis*, quæ *Bollandini* T. IV. *Febr.* p. 23. publicarunt, confundunt: *lectiones ſacras de Stephano, presbytero Conſtantinopolitano ac confeſſore*, a *Laurentio Priolo* compoſitas: *Pacis de Forlivio*, qui in academia Patavina ſub finem ſeculi XIII. artis poeticæ laude floruit, *carmen de feſto Mariarum, olim Venetiis celebrato*, ex codice MS. protractum: *hiſtoriam translationis Paulli eremitae*, ex opere Bollandino: *translationem Ioannis martyris*, qui ſub Diocletiano martyris dignitatem conſequutus eſt, a *Petro Calo* conſcriptam, & antiquitate præſtantiorem illa, quam *Papebrochius* T. IV. *Maii* p. 305. edidit: *vitam Mariae Archangelae Salvatoriae, ſanctimonialis: translationem S. Leonis*, epiſcopi inſulæ Samos: *vitam S. Nicetae.* Antequam recenſionis huius finem faciamus, nonnulla iis, quæ diximus, addere liceat.

Quam-

Digitized by Google

Quamvis hiſtoriam templorum enarrare, inprimis ſibi propoſuiſſet Cl. A. tamen ſibi non temperavit, quin alia etiam argumenta vel uberius perſequeretur, vel ſtrictim attingeret, quæ univerſis hiſtoriæ partibus inſignem adferunt lucem. *Hiſtoriae eccleſiaſticae* illuſtrandæ quum ampliſſimus campus eſſet, partibus ſuis non defuit; ſed paſſim ſelectiora capita, ab aliis vel plane neglecta, vel ſatis negligenter tractata, eleganter, & quam fieri potuit copioſiſſime, expoſuit. Delectant ſane rerum peritos, quæ de *parthenio S. Angeli*, cuius, noſtra ætate deſtructi, exſtincta videtur eſſe memoria: de nefando more, quo olim viri apud virgines deo devotas, & mulieres apud monachos, cohabitarunt: de quæſtione, quæ in eccleſia Romana olim agitata fuit, num ante ſolemnem conſecrationem, a pontifice Romano factam, quis in ſanctis haberi, ideoque more Romanenſium religioſe coli poſſit? *de ſodalitio S. vultus* Lucenſi: de benedictione piſcium, eorumque oblatione in altari: de collegio ſororum tertii ordinis ſervorum beatæ Mariæ virginis: de cruce ænea, eaque antiquiſſima: de fundatione ordinis Artigiæ, in dioeceſi Lemovicenſi: de patriarchis Gradenſibus: de lite inter presbyteros S. Iuſtinæ, & patriarcham Gradenſem, per longum tempus protracta, & in *decretalibus* commemorata: de iure Romano ſeculo XIV. in Galliam traducto; quod quum Honorius III. ægre ferret, lepide ſane ita in huius rei auctores invectus eſt: *currunt illuc quidam improbi cum traditionibus ſecularium principum,* hoc eſt, Imperatorum Romanorum, *quaſi rarefacere ibi velint fabrum ferrarium, acuentem gladium, aut lanceam, vomerem, vel ligonem, & quum in locis plurimis plures habeant ſui ſtudii profeſſores, ultro ingerunt filiorum oculis mentes ſuas, ut ipſarum illecti faleris, & dulcedine provocati, a matris pulcritudine ac ſapidis uberibus abſtrahantur; non attendentes, quod coanguſtatum eſt illic ſeratum, & fere artus eſt locus ibidem filiis prophetarum. Sane, licet ſancta eccleſia legum ſecularium non reſpuat famulatum, quae ſatis aequitatis & iuſtitiae veſtigia imitantur: quia tamen in Francia, & nonnullis provinciis, laici Romanorum Imperatorum legibus non utuntur, & occurrunt raro*

eccle-

Digitized by Google

eccleſiaſticae cauſae tales, quae non poſſint ſtatutis canonicis expediri, ut plenius ſacrae paginae inſiſtatur, & diſcipuli heliſei liberius iuxta fluenta pleniſſima reſideant, ut columnae dum in ianuis ſcalas non invenerint, ad quas dumricare valeant pedes ſuos, firmiter interdicimus, & diſtrictius inhibemus, ne Pariſiis, vel in civitatibus, ſeu aliis locis vicinis, quisquam docere vel audire ius civile praeſumat, & qui contra fecerit, non ſolum a cauſſarum patrociniis interim excludatur, verum etiam per epiſcopum, loci adpellatione poſtpoſita, excommunicationis vinculo innodetur: porro de *Blaſio* patriarcha, contra *Ughellum:* de feſto Mariarum: de corpore S. Paulli eremitæ, quod Itali Byzantio Venetias, Galli vero in monaſterium Cluniacenſe translatum fuiſſe, acriter contendunt: de ſimilibus controverſiis, quibus Veneti & Budenſes de corpore Ioannis confeſſoris; Romani vero cum Venetis de corpore Anaſtaſii Perſæ, pugnant, diſſeruit. Hiſtoriæ Germanicæ partem illuſtrant ea, quæ de *ordine Teutonico* A. protulit, equites illius domum habuiſſe Venetiis, ibi celebraſſe comitia, ſeu capitula generalia, falli *chronici ordinis Teutonici* ſcriptorem, qui, capta a Saladino Accone, ſedem Magiſtri Marpurgum translatam eſſe, credit; certum eſſe, ante urbem illam occupatam, Hermannum de Saltza domicilium ſuum fixiſſe Venetiis, donec in Pruſſiam translocaretur, electum fuiſſe Venetiis Gottfriedum Comitem ab Hohenlohe, & Siegfriedum de Feuchtwangen, qui primus in Pruſſiam ſeceſſerit, retinuiſſe tamen ordinem templum, ſanctisſimæ Trinitati dicatum, & quæ nomine eius ibi peragenda eſſent, a provinciali Longobardiæ peracta fuiſſe; Magiſtro denique Maximiliano II. Archiduce Auſtriæ, electoque Poloniæ rege, templum illud venditum, ac ſeminario puerorum fuiſſe adnexum. Inter viros, vel meritis, vel litteris illuſtres, quorum memoriam Cl. A. diligentius poſteritati commendavit, præcipue numeramus *Thomam Thomaſinum, Ioannem Caſa, Conſtantium Aconitanum, Petrum Acotantum, Ioannem Dominicum, Coſmatum Melioratum, Gregorium* XII. pontificem maximum, *Hieronymum Aleandrum, Andream Dandulum, Georgium Scholarium, Gabrielem Aloyſium Pioneneum, Franciſcum*

Digitized by Google

ciſcum Quirinum, & Apoſtolum Zenum. Præterea multa heic tradita eſſe de ſanctorum reliquiis, miraculis, aliisque huius generis rebus, neminem, credimus, non intelligere; nos ea omnia præterimus, quod doctorum virorum, talia ſcire, parum intereſt.

OSSERVAZIONI SOPRA I SALI DELLA CRETA &c.

h. e.

OBSERVATIONES CIRCA SAL CRETAE INNAtum, adiuncto tentamine de naturalibus Sienenſibus. Per Doct. IOSEPHUM BALDASSARI, Medicum.

Sienæ 1750. In Typographia publici, impenſis Vincent. Pazzini Carli. in 8. pagg. 56.

SAGGIO DI PRODUZIONI NATURALI DELLO Stato Saneſe &c.

h. e.

TENTAMEN INDICIS RERUM NATURALIUM Sienenſium, in Muſeo Nobilis Domini, Equitis IOANNIS VENTURI GALLERANI reperiundorum.

Ibid. eod. pagg. 32.

Primum quod nominavimus opuſculum, epiſtola eſt ad Dom. *Saverium Manetti*, Profeſſorem & Secretarium Societatis Botanicæ Florentinæ, cuius Societatis membris Auctor noſter adſcriptus eſt. Narrat primo, equitem Galleranum naturalia Sienenſia collegiſſe, præterea quæcunque ad honorem patriæ conferre quidpiam poſſent, ut libros ſcriptorum Sienenſium, numos honori eorum cuſos, & ſimilia. Tractus cretaceus, ſale illo, quod deſcripturus eſt auctor, fecundus, prope Sienam incipit, & in longitudinem, verſus ortum ſolis hibernum, 20. & ultra millia paſſuum protenditur, latitudine,

Digitized by Google

pro diverſa regionum, per quas tranſit, conditione variata. Regio collibus plerumque ruptis & inviis aſpera eſt; colles hi conſiſtunt ex ſtratis mirabili varietate, nunc horizontaliter progredientibus, nunc inclinatis, nunc fere verticalibus. Materies plurium generum eſt, cretæ, tophus, argilla, arena, calculi maiores minoresve, paſſim reperiundis teſtaceis marinis, integris, calcinatis, confractis, ut diu poſt creatum mundum, ex ſtratis ſucceſſive ſibi ſuperimpoſitis, colles ortos eſſe appareat, regioque ante non multa ſæcula ſinus maris fuiſſe videatur. In ipſa ſuperficie terræ marina diſperſa iacent, non confuſe, ſed quæ eiusdem generis ſunt accumulata, aliqua petrefacta, Achate duriſſimo ſplendentia, alia concretionibus cryſtallinis plena. In pura & ſimplice creta, teſtæ minimæ & elegantiſſimæ, canaliculi vermiformes, neritulæ, chamæ, turbinatæ &c. ſpectantur in craſſiore terra, ad tophum accedente, oſtreæ pinnæ, cylindri, trochi &c. in montibus cretæ proximis, ex creta & arena compoſitis, marina maxima, oſtreæ ingentes, conchæ diametri dimidiæ ulnæ (*braccio*) &c. Creta ipſas teſtas, cum elegantiſſimis illarum ornamentis ſervavit, alibi figuræ ſaltim reſtant, aut ſplendor teſtæ tamen periit. Saxa quoque in fluviis reperiuntur, foraminibus conicis verſus interiora in anguſtum coeuntibus, dactylis procul dubio habitata. Frequentia etiam ſunt lithophyta, canis carchariæ dentes, lapis ſpecularis, carbo foſſilis, aliaque corpora bituminoſa, concretiones variæ lapidoſæ, marcaſitæ, qui aeri libero expoſiti in vitriolum fatiſcunt, terra quæ talco minerali plena videtur. Poſt hæc agit Auctor breviter de plantis, quæ in hoc ſolo naſcuntur, item de fontibus & ſimilibus, tandemque ad ipſum illud ſolum cretaceum, in quo ſal exſiſtit, progreditur. Quocunque anni tempore, ſuperficies huius terræ cretaceæ conſperſa reperitur ſale, coloris ſubalbidi, aut rectius coloris cineritii. Humida & pluvioſa tempeſtate nihil apparet, ſerena & ſicca continuo in conſpectum venit, præcipue ſi humidis & auſtrinis ventis ſeptentrionales & ſicci ſuccedant, ut tunc tellus velut pruina tecta ſplendeat. Sal pulveris forma apparet, præcipue ubi aeri exponitur, ſed

in

in cavernis ab aqua & vento tutis, forma lanuginis vel mucoris conſpicitur, cuius fila latum pollicem longa ſunt; interdum cruſta albisſima cavernas obducit. Hoc ſal omnes eretarum ſpecies continent, aliæ plus, aliæ minus: id tamen perpetuum eſt, unam ſpeciem coloris ſubnigri, e natura terrarum pinguium & bituminoſarum participantis, ubi carbo foſſilis reperitur, huius ſalis plus habere quam reliquas. Poſtimbres copioſos, & in ſaxis, & in luto, vi aquæ in cava montium delato, & ſimilibus corporibus, hoc ſal cernitur. Linguæ impoſitum, primo ſaporem ſali marino ſimilem producit, cui immediate ſapor amarisſimus ſuccedit, nauſeoſusque, per aliquod tempus petinaciter durans. Elixato ſale, filtrata ſolutione & evaporata, denuo ſoluta maſſa quæ reſtiterat, & rurſus filtrata, reperit auctor in filtro materiem nigram, pinguem, lenteſcentem, tactu oleoſum quid monſtrantem, ſapore ſummo gradu nauſeoſam. Combuſta, odorem edidit gravem, bituminoſum, ſuperficiem vero eius occupavit exigua lambens flamma cærulea. Cryſtallorum forma fuit parallelepipedi rectanguli, addita extremo cuivis pyramide quadrangula, ut tota coagmentata fuerit ex columna quadrata, utrinque in pyramidem deſinente. In aliis parallelepipeda obliqua fuere, maior copia ſalis ſimul in maſſam informem coiit. Calcinatio cryſtallos in pulverem albidum, mollem, redegit; nec cum acidis, nec cum calicis efferveſcentem, ſyrupum vero violarum elegantisſimo colore viridi tingentem, qui additis paucis olei vitrioli guttis evanuit. Cum pluribus indiciis Auctor cognoſſet, ſali huic ſulphur bituminoſum ineſſe, hoc ut ſepararet, ſal cum calce viva coxit, ad cuticulam evaporavit, obtinuitque cryſtallos albas pellucidas, figura iis, de quibus ante diximus, perſimiles, ſaporis vero mitisſimi, ablata omni amaritudine nauſeoſa, unde ſeparatum eſſe bituminoſum conſtitit. Eundem ſaporem, bituminis indicem, perdidit ſal in crucibulo fuſum, ubi vi ignis bitumen abactum eſt.

Ex his omnibus infert Auctor, ſal neutrum vel tertium eſſe, cuius compoſitionem terra calica, acidum volatile, indole ſpiritus ſalis marini, & ſulphur bituminoſum, ingrediantur. Terra

Digitized by Google

calica, ex ſolutione ſalis ab oleo tartari, coaguli in formam præcipitatur, acidum volatile prodit ſe in ſpiritu diſtillatione elicito, ſyrupum violarum colore rubro tingente. Has partes conſtitutivas vere ineſſe ſali huic, inde probat Auctor, quoniam contra poſſit ex talibus partibus commixtis ſal huic ſimile produci. Sic oſſi ſepiæ in pulverem redacto, adfuſus ſpiritus ſalis marini, poſt vehementisſimam ebullitionem, efficit ſal amarisſimum, primo linguam ſapore ſalſo feriens, cui intenſe amaricans & nauſeoſus ſuccedit. Iam os ſepiæ calicam terram continere certum eſt, bituminoſumque illi ineſſe cognoſcitur ex odore ingrato, quem combuſtum edit, & colore nigerrimo, ad carbonis extincti ſimilitudinem, quem nanciſcitur. Varia alia ſimilia tentamina recenſet Auctor, quæ non omnia æque bene ſucceſſerunt. Sali huic multum adfinitatis intercedere fatetur Auctor cum ſale Sedlicenſi, ab Hoſmanno deſcripto, hoc tamen diſcrimine, quod Sedlicenſe ad aquæ ſimilitudinem in crucibulo fluat, italicum vitri ad modum, neque illi Hoſmannus bituminoſam naturam tribuat; præterea Sedlicenſis cryſtalli nitroſis ſimiles ſint. Dein Auctor varia alia ſalia, vel a natura iam perfecta, vel arte compoſita, cum ſuo comparat, & diſcrimen vel convenientiam recenſet, egregiamque tum hic, tum in omni ſcripto, rei chymicæ peritiam oſtendit. Sic rationem redditurus, cur in diſtillando ſale ſuo non uſus ſit terra bolari, ut vulgo faciunt, ſed ſimplici creta, monet, bolares terras acido abundare, quod miſceri poſſit cum acido ſalis, quod ſolum quæritur.

Ex abundantia ſalis huius deducit Auctor rationem, cur fructus, herbæque, in locis illis, ſaporis melioris fiant, quam alibi, & cur naſcantur ibi complures plantæ aromaticæ, præcipue ſeriphium montanum, in terris ſale plurimum repletis læte progerminans. Idem ſal plurimum ad lapidis ſpecularis formationem facere contendit, quoniam, ut cryſtalli ſalinæ maiores ex ſimilibus minoribus componantur, ita lapis ſpecularis ex minoribus particulis, maioribus ſimilibus, conſtet. Coagmentatio irregularis ſalis, in laminas, laminis lapidis ſpecularis ſatis ſimiles, ſcinditur. His omnibus quidem, maiorem, quam

Digitized by Google

quam coniecturæ, vim Auctor non tribuit: monet tamen, Lanciſium, in notis ad Mercati Metallothecam, aſſerere, ſpecularem lapidem e liquore ſalino ſulphureo produci, quod huic ſali ſulphureo bituminoſo ſatis conveniat. Vitri etiam fruſta, in loco ſale pleno, arroſa reperit Auctor, ita ut in lamellas ſeparari potuerint; quod vitro, ab aliis acidis, ipſoque vino, accidere notum eſt.

Subiungitur his obſervationibus, quem ſuperius indicavimus, catalogus naturalium regionis Sienenſis, in Muſeo equitis Gallerani adſervatorum. Conſtat ea numeris 167. continetque terras, lapides, ſalia, marcaſitas, antimonii, ferri, plumbi, argenti mineras, auri etiam mineram, marmora varia, achates, amethyſtos, petrefacta. Horum multa illuſtrantur adnotationibus utilibus, induſtriamque collectoribus omnibus rei naturalis ſtudioſis commendant, in eo præcipue laudandam, & ad imitandum proponendam, quod patria præcipue producta colligere, & ſic natalis ſoli accuratius cognoſcendi occaſionem præbere, voluerit.

ANALECTA LITTERARIA DE LIBRIS rarioribus, edita a FRIDER. GOTTHILF FREYTAG, I. C.

Lipſiæ 1750. in officina Weidmanniana, 3 Alph. 3 pl. in 8.

Quum, noſſe artis ſuæ inſtrumenta, atque illius colendæ adminicula tamquam in numeratis habere, tantum abſit ut iis vitio detur, qui artes, quas populares dicunt ac ſellularias, tractant, ut laudi etiam haud exiguæ ducatur: quid eſt, cur multi clament, hiſtoriam, quam dicunt litterariam, nimis hodie noſtris ab hominibus celebrari, quæque fuerint addiſcendæ quondam divinæ humanæque ſapientiæ adiumenta, & adhuc ſint, maiori, quam par ſit, ſtudio, ingeniorumque contentione erui, & in memoriam doctorum virorum revocari? Etſi enim fieri poteſt, ut quis colendi fundi litterarii inſtrumenta potius, quam ipſum fundum tractet: tamen, neque ſæpe ita accidit; ſiquidem raro noſſe opes littera-

rias geſtiunt, quorum animus ab ipſis litteris abhorret; nec prave facta nonnullorum hominum rei pulcerrimæ uſum frequentationemque tollere ullo modo debent. Quapropter non inutiliter egiſſe cenſendus eſt *Freytagius*, quod, poſt *Vogtii* & *Gerdeſii*, VV. CC. labores, hoc in genere egregios, ad ea colligenda & edenda excitari ſe ab aliis paſſus eſt, quæ diligentiam eorum effugiſſent. Ipſe enim, quum ab adoleſcentia loculos omnes Bibliothecæ *Athenaei Portenſis*, eiusque, quam *Pater Celeb.* domi privatim inſtruxerat, excuſſerit; neque incurioſus fuerit Bibliothecarum in Academia ſpectator: invenire facile potuit, vel ignorata aliis, vel non accurate ſatis ab illis pertractata. Quam diligentiam ſuam & multis aliis probavit, & *Eminentiſſimo* nuper QVIRINO, ingeniorum omnium fautori prolixiſſimo, quod ipſum litteris, humanitatis pleniſſimis, ad *Clar. Freytagium* datis, teſtatum eſſe, aliunde ſatis novimus. Ita vero noſter rem agit, ut, elementorum ſeriem ſecutus, de libris, qui quidem rariores ſibi videantur, exponat, aliorumque de iis iudicia vel confirmet, vel emendet. Quorum raritas etſi non eiusdem generis eſt, ut facile intelligent, qui aliquem eius rei uſum habent: tamen ea de plerisque monet, quæ ſcitu & utilia ſint, & iucunda. Ut fides verbis noſtris fiat, paucis ea, quum plura non capiat brevitas noſtra, exemplis, iis maxime, quæ ad
Pag. 9. humanitatis pertineant litteras, confirmabimus. Librum, cui index eſt: *Æſopi fabulatoris lepidiſſimi, traductio, materno ſermone, fideliſſima Franciſci Tuppi Parthenopei I. V. Doctoris, cum figuris. Neapol. d. XIII. menſ. Februar. 1485. Fol.* inter rariſſimas Æſopi verſiones facile primum obtinere locum, ex Fabricii Bibl. Græc. L. II. c. IX. p. 404. aliisque docet.
23. Verſio Longi Gallica: *Les amours paſtorales de Daphnis & de Chloë, ecrites en Grec par Longus ancien auteur, & traduites en françois par Amiot*, a Paris 1718. in 8. traditur ex eorum librorum eſſe numero, qui inter rariſſimos non ultimum obtineant locum, propterea, quod Ducis Aurelianenſis, Galliam eo tempore regentis, ſumtibus, pauca admodum exemplaria
29. typis exſcripta eſſent. *Anthologia graecorum poetarum graece.*

Flo-

Digitized by Google

Florent. 1494. in 4. omnium prima dicitur eſſe & rariſſima editio, litteris capitalibus græcis per *Laur. Franciſci de Alopa,* Venetum, impreſſa. *Apollonii Pergaei conicorum libri IIX.* Pag. 31.
& *Sereni Antiſſenſis, de Sectione cylindri & coni L. II. gr. & Lat. Oxon. 1710. e theatro Sheldoniano in fol. mai.* rariſſimi eſſe dicuntur, quoniam ultra CCCC. exemplaria impreſſa non ſint.
Apuleii liber de deo Socratis, ex recenſione Ioſiae Merceri, Lutet. apud Robert. Stephanum 1625. in 12. extremæ raritatis liber 33.
eſſe fertur. *Ariſtophanis comoediae novem, Plutus, Ranae,* 48.
Acharnes, Aves, Contionantes, Nebulae, Equites, Veſpae, Pax. Impreſſ. Florent. opera & ſumtu Philippi Iuntae, anno a nativitate 515. ſupra mille, menſe Sept. Leone Decimo pontifice in 8. fol. 246. In hoc parvo libro haec inſunt: Ariſtophanis Cereris Sacra celebrantes. Eiusdem Lyſiſtrate. His ſumma manus impoſita eſt quinto Kl. Februar. 1515. Leonis Papae noſtri anno tertio, in 8. fol. 54. rariſſima Græci comici editio habetur.
Neque minus *Ariſtotelis opera graece, Venetiis apud Aldum* 50.
Manutium 1498. fol. & primum edita, & rariſſima eſſe perhibentur; ut & eiusd. *theologia, ſeu myſticae Ægyptiorum* 51.
philoſophiae Libri XIV. Rom. 1519. 4. de quibus, an extent, diu multumque eruditos diſputaſſe, tradit; nunc, extare eos, dubio carere commonſtrat. *Ariſtotelis etiam, de poetica, li-* 53.
ber, Graece & Latine. Analytica methodo illuſtratus, authore Theodoro Goulſton, Lond. 1623. in 4. libris rariſſimis accenſetur. *Laur. Begeri Hercules ethnicorum, ex variis antiquitatum* 79.
monumentis delineatus, additis in fine modernis quibusdam eiusdem argumenti picturis. 1705. fol. chart. max. rariſſime dicitur inveniri, adeo ut Niceronio (T. IV. Memoir. p. 172.) aliisque, operum Begeri catalogum exhibentibus, ille fuerit incognitus. *M. Tullii Ciceronis officia & paradoxa per Io. Fuſt* 250.
typis exſcripta in 4. fol. 88. rariſſima eſſe pronuntiantur, & quovis auro pretioſiora. Finita eſſe *anno MCCCCLXVI. quarta die menſis Februarii,* obſervatio, in fine addita, docet; unde hanc editionem ab ea, quæ annum MCCCCLXV. ſibi præfixum habet, nonnihil differre, inſtituta utriusque collatione, contra *Maittairium* T. I. Annal. Typogr. p. 274. demon-

Digitized by Google

Pag. 399. monſtrat. Rariſſimum *Hugonis Grotii Syntagma Arateorum*
Graece & Latine, cum eius notis, & figuris aeneis Iacobi de
Gheyn Lugd. Bat. in 4. (minime 1604. ut *Vogtius* p. 317.
642. voluit,) ſed 1600. foras datum eſſe evincit. *Oppiani Ana-*
zarbei de piſcatu Libr. V. de venatione Libr. IV. Pariſiis, ty-
pis regiis apud Adrianum Turnebum, typographum regium,
1555. in 4. p. 218. nitidiſſimos & rariſſimos eſſe, textumque
Græcum modo exhibere, teſtatur; neque tamen a Budæo, ut
quidam credidere, ſed ab ipſo potius Turnebo editos eſſe,
una probat; propterea, quod neque ulla usquam Oppiani,
1555. ab eo editi, memoria occurrat, & ipſe 1540. d. 24.
676. Aug. anno ætatis LXXIII. diem ſuum iam obiiſſet. Rariori-
bus etiam libris *Phaedri fabulas & Publii Syri ſententias, Pa-*
riſ. e typographia regia 1729. in 16. adſcribendas eſſe, non du-
bitabunt, qui cogitent, earum, ſumtu Regis, machinis exſcri-
pta eſſe pauciſſima exemplaria, quibus aulæ purpuratos ipſe
781. donaret. *Auctores finium regundorum, cum Nic. Rigaltii ob-*
ſervationibus & notis, item gloſſis Agrimenſoriis, Lut. ap. Io.
Libertum 1614. in 4. rariſſime inveniri, ſimulque, quæ conti-
900. neat ea editio, eleganter docet. *Plutarchi, quae extant, ope-*
ra, cum Latina interpretatione, ex vetuſtis codicibus, nunc pri-
mum plurima emendata ſunt, ut ex Henrici Stephani annotatio-
nibus intelliges: quibus & ſuam quorundam librorum interpre-
tationem adiunxit. Æmylii Probi de vita excellentium Impera-
torum liber. 1572. excudebat Henricus Stephanus, in 8. Huius
operis præſtantiſſimi, XIII. Volumina complexi, quorum VI.
contextum Græcum, reliqua verſionem Latinam exhibeant,
non minus raro facultatem hodie haberi poſſe, quam aliorum
viri illius docti ſcriptorum, ab eo vel confectorum, vel edito-
944. rum, perhibet. Nec minus raræ cenſentur eſſe, atque ho-
minum doctiſſimorum, quorum in eo genere præclara fuit
induſtria, ſcientiam effugiſſe, duæ *Terentii editiones*, altera
Lipſienſis ex *officina Melchioris Lottheri, 1519. in 4. fol. 137;* al-
tera *Veneta, apud Io. Mariam Bonellum, in folio, 1563. folia*
948. *234.* ſi præmiſſa & indicem non numeraveris, continens. Li-
brorum novi foederis ſacrorum editiones rariores, repetere
hic

Digitized by Google

hic non libet, præſertim quum ſuccurrat, Celeberr. *Baumgartenium,* in *commentariis ſuis, de libris memoria dignis, (Nachrichten von merckwürdigen Büchern,* Vol. I. P. I. II.) poſt noſtrum, erudite, ut ſolet, copioſeque de iis expoſuiſſe. *The-* Pag. 980.
ſaurum utriusque linguae, hoc eſt Philoxeni aliorumque veterum authorum gloſſaria Latino-Graeca, & Graeco-Latina &c. Lugd. Bat. 1600. in fol. raro ſe hodie bonorum librorum ſtudioſis offerre, facile credent, qui ei comparando fuerunt intenti. Nec minus rara habenda eſt editio *Valerii Maximi fa-* 1017.
ctorum & dictorum memorabilium. Ad Tiberium Ceſarem. Libri. in fol. minori, habens fol. 159. ſine mentione loci & anni; quippe adhuc memorata nemini. Quæ manu antiqua in fine allita eſſe, Auctor doctiſſimus ait, *opus nempe in nobili urbe Argentina Reni terminatum eſſe anno MCCCCLXX. 18. Kal. Iulii, per virum quemdam egregium, impreſſorie artis majiſtrum:* iis, pro ſuo quemque arbitrio, vel addere fidem, vel demere poſſe, profitetur. Sed æque propemodum rara 1020.
eſt illa, quæ, ut in fine legitur, *Liptzk anno Chriſtiane Salutis milleſimo quingenteſimo primo, decimo Kalendas menſis Novembris, per Baccalaureum Martinum Herbipolenſem, feliciter eſt conſummata.* Plura perſequi, nunc quidem inſtituti prohibet ratio. Quare id modo profitemur, quum *doctiſſimus Freytagius* de ſingulis libris optimorum ſcriptorum proferat iudicia, librum eius præſtantiſſimorum rariorumque operum notitiam præclare adiuvare poſſe, nec male eum operam ſtudiumque collocaturum, ſi hac via perrexerit, bene de litteris mereri; præſertim quum in dies libri eruantur, & in memoriam hominum revocentur, qui tenebris adhuc quaſi ſepulti iacuerunt. Ut vero, non per transennam, quod aiunt, opus politiſſimum a nobis inſpectum eſſe appareat, nonnulla, quæ inter legendum occurrerunt, pace eiusdem, transſcribere huc liceat. Iure ſuo *Catalogus Graecorum codicum Bibliothecae* 220.
Auguſtanae, a Davide Hoeſchelio concinnatus, a raritate ſua laudatur. Obſervatione tamen dignum erat, priore editione, quæ anno 1575. in quaternis exſcripta prodierat, alteram quadruplo auctiorem, multoque præſtantiorem, opem ferente,

 opus-

opusque urgente Marco Velſero, *ex officina ad inſigne pinus,* 1595. foras datam eſſe, hac liberali invitatione præfixa: *Quisquis reipublicae litterariae faves, ſive lector, ſive typographus, horum omnium codicum, ſive interpretandi, ſive conferendi, ſive edendi, ita tibi futura copia eſt, ſi de iis incolumibus reſtituendis caveris.* Multo vero etiam rarior eſt *Catalogus Graecorum MStorum codicum, qui aſſeruantur in inclita Sereniſſimi utriusque Bavariae Ducis Bibliotheca A. MDCII. in 4. typis Adami Sartorii, Ingolſtadii,* quem IO. GEORG. HERWARTVS *ab Hohenburg*, Bavariæ Cancellarius, Auguſtanorum exemplo excitatus, conficiendum curaverat. De quo vide eleganter diſſerentem, eiusque auctarium, manu *Matthiae Raderi* ſcriptum, publicantem, *S. R. Schelhornium, in Sel. commercii*
691. *epiſt. Uffenbachiani*, Vol. I. p. 100. ſeqq. *Platinae,* qui hiſtoriam urbis Mantuæ ſcripſit, nomen verum BAPTISTAE SACCHI fuiſſe; Platinam autem a patria, vico prope Cremonam, eum dictum eſſe, ab eodem diſcimus, l. l. p. 246.
843. *Quinti Sectani* Satiras anno 1692. ſparſas eſſe, auctoremque habuiſſe *Senenſem quendam,* Cardinalis Petri Otthoboni a poculis, virum excellentis ingenii, ſed effrenis linguæ; iisque Romanos mores, & optimos viros, inprimis *Ianum Vincentium Gravinam*, modo *Philodemi*, modo *Bionis* nomine, exagitatos eſſe; porro, eas primo miris laudibus exceptas, poſtea vero *Em. Martini*, Hiſpanum, eas *Satyromaſtige*, ſive *notis criticis in Q. Sectani decem priores ſatiras*, ultum, quibus ipſe, Gravinæ ſuo 16. Kal. April. A. MDCXCIV. miſſis, tam magnam ab hoc gratiam inierit, ut Gravina in *dialogo de Latina lingua* vindicem ſuum adeo diſputantem induceret; *Ill.* MAIANSIVS *in vita Em. Martini, huius epiſtolis praemiſſa,* p. 10. do-
890. cet. Denique *ſpeculum humanae Salvationis*, ab *Ioanne Fuſt*, quo anno, nunc non occurrit, impreſſum, in academica Vitembergenſi Bibliotheca nos videre meminimus. In averſa ſingulorum foliorum parte, figura quædam, ligno inciſa, exhibetur, ipſæque litterarum formæ rudes adhuc videntur, ac ſuſpicionem præbent, eas non ſingulas, ſed integros earum verſus, vel ligno, vel aeri, quondam inciſos eſſe. Plura afferre nunc non vacat.

PIT-

Digitized by Google

PITTURE DELLE CHIESE DI RIMINO &c.

i. e.

PICTURAE IN TEMPLIS ARIMINI, A CAROLO FRANCISCO MARCHESELLIO, eiusdem Civitatis Patricio, quondam deſcriptæ, quibus res aliæ maxime notabiles antiquæ & recentiores adduntur.

Arimini 1754. typis Albertinianis. pagg. 80. in 8.

Huius Opuſculi titulus ſatis clare oſtendit, quid in eo contineatur. Optandum ſane eſſet, ut pro qualibet Italiæ Urbe Libellus huiusmodi exſtaret, qui res pictas & ſculptas, quibus certe Italia ſemper maxime floruit, & res alias notatu dignas, antiquas & recentiores, illic contentas exponeret, idque non tantum civium commodo, ſed præſertim peregrinantium, qui ictu oculi cernerent, quid in quavis urbe potiſſimum conſiderandum ſit inviſendumque, ſine erroris periculo, ut accidit iis, qui freti libris itinerariis, qui res curſim deſcripſerunt, quas utplurimum a cauponarum ſervis, aut ab aliis viliſſimis hominibus acceperunt, ab quibus advenæ per Urbes ducti fuere.

Libellus iſte conſcriptus fuerat a nobiliſſimo Viro, *Carolo Franciſco Marcheſellio,* Ariminenſi, gentis ſuæ ultimo, ultimis Vitæ ſuæ diebus, quando requies aliqua a doloribus calculi in veſica ipſi dabatur, & præſertim conſcriptus in gratiam *Io. Baptiſtae Coſtae,* Ariminenſis pictoris non ſpernendi, amici ſui, qui nunc demum poſt viginti annos a morte Auctoris edit, ſuaſu potisſimum *Iani Planci,* Medici primarii Arimini, *Marcheſellii* ipſius & *Coſtae* amici, cuius Præfationis loco præmiſſa eſt elegans epiſtola ad *Coſtam,* qua ei ſuadet ut Libellum edat, & res alias maxime notabiles adiungat, quæ in Urbe Arimino reperiantur. Quare, præter picturas celebriores, quæ in Templis Arimini cernuntur, addidit *Coſta* & picturas quæ ſunt Arimini in privatorum ædibus, ut v. g. in domo *Zollia,* cuius Urbis Flamen eſt M. *Antonius Zollius.* Præter picturas recenſet quoque monumenta diverſa

veterum, ut eximium pontem ſuper Ariminum fluvium, ab Auguſto inchoatum, & a Tiberio Impp. finitum, & arcum ab eodem Auguſto erectum magnifice. Inter monumenta autem medii ævi, & recentiora, memorat Templum famoſum d. Franciſco ſacrum, marmoribus a Sigismundo Malateſta, eius Urbis Domino, extructum. Memorat Domum publicam Urbis, item forum piſcatorum recens, quæ inter res magnificas Arimini merito recenſeri debebant. Item Bibliothecam publicam memorat, & *Iani Planci* domum, in qua & Muſeum veterum Numiſmatum, Inſcriptionum antiquarum, idolorum, inſtrumentorum, teſſerarum, figlinarum, rerumque aliarum antiquarum, una cum ſelecta Bibliotheca reperitur, nec non Muſeum rerum naturalium; quibus in rebus, ut in Botanica, & Anatome, ceteriſque diſciplinis *Plancus* multum valet, ut ex eius editis libris cuique erudito notum eſt. Ea omnia, ut accepimus, inviſit non ita pridem Sereniſſimus Margravius Baruthinus, una cum *Wagnero* Medico ſuo, & *Planci* amico, in ſuo itinere Italico. Quare Urbem Arimini, ope *Marcheſellii*, *Coſtae*, & *Planci*, libello hoc edito, ætas nulla tacebit. In fine opuſculi exſtat Index alphabeticus & chronologicus, pictorum, ſculptorum, architectorumque, quorum opera Arimini cernuntur.

LETTERA DEL SIG. DOTT. GIOVANNI BIANCHI.

i. e.

EPISTOLA IANI PLANCI M. D. ET URBIS Arimini Medici Primarii ad Amicum Cæſenatem, circa Supplementum quoddam ad Hiſtoriam ſuam medicam apoſtematis cerebelli, a CAROLO SERRA, M. D. eiusdem Urbis, editum.

Arimini, typis Albertinianis, 1755. plag. 19. in 8.

Ianus Plancus, Auctor epiſtolæ huius apologeticæ, ab anno usque 1749. in Appendice Libri ſui Venetiis excuſi, *de Monſtris ac monſtroſis quibusdam,* expoſuit Obſervationem raram

raram, de Apoſtemate lobi dextri cerebelli in puero nobili decem annorum, cui ante mortem acceſſit paralyſis membrorum in eadem parte dextra, & cui pulſus & reſpiratio fuerunt ſemper in ſtatu valido, & res alias notatu dignas in ſectione cadaveris *Plancus* obſervaverat. Hanc Obſervationem, una cum Hiſtoria morbi, iterum edidit *Plancus*, vernacula Italorum lingua, Venetiis inter Opuſcula Calogeriana To. 46. anno 1751. Iſta omnia relata a nobis fuere in Acta noſtra anni 1751. pag. 709. & anni 1752. pag. 214. Poſt ſex annos a prima editione huius Obſervationis, *Carolus Serra* M. D. ſupplementum quoddam edidit criticum in Hiſtoriam hanc *Planci*, non ut in hoc ſupplemento in dubium vocaret anatomicas obſervationes de genuina ſtructura cerebelli, eiusque falcis, quas res diligenter deſcripſerat *Plancus*; neque verbum ullum facit *Serra* de Paralyſi nata in parte dextra membrorum pueri, & de validitate pulſus eius, & reſpirationis, quæ res permiſcent mirum in modum, & invertunt, doctrinas vulgares Medicorum & Anatomicorum. Hæc ſiquidem *Serra*, purus putus Medicus Clinicus, non curat, & fortaſſe non novit: in eo eſt, ut oſtendat, mancam eſſe *Planci* Hiſtoriam, quod ſeriem præſcriptionum in ea non recenſuerit, ut ipſe minute facit ad nauſeam usque. Cum etiam *Serra*, ut *Plancus* in Hiſtoria ſua adnotaverat, miſſionem ſanguinis initio morbi neglexerit, deceptus a ſpecie morbi, qui re ipſa erat acutus & inflammatorius, opinans eſſe fluxionem quamdam in auribus, cui interdum obnoxius erat puer: in eo quoque eſt, ut dicat, ultimum morbum a tali fluxione originem duxiſſe, ut ab aure externa ad os petroſum aſcenderet, carieque os illud afficeret, & cerebellum ipſum inficeret. His omnibus nervoſe reſpondet *Plancus*, & primo ait, in Hiſtoriis medicis non neceſſe eſſe rem omnem minutatim ab ovo ordiri, & præſcriptiones omnes medicas recenſere; ſufficere, eas generatim innui, ut ſapienter ipſe fecit *Plancus*. Deinde, ait, morbum illum ultimum pueri fuiſſe vere acutum, & inflammatorium, qui ad ſuppurationem verſus eſt, propter neglectam venæ miſſionem ab initio: nam puer ante morbum ve-

getus erat & alacer, qui talis non fuiſſet, ſi cariem oſſium in aure dextra habuiſſet, quæ etiam fieri non poterat ſpatio brevi quatuordecim dierum, quo noviſſime laboravit puer, & intra quod obiit. Varias contradictiones in ſupplemento *Serrae* obſervat *Plancus*, ut eſt princeps illa, qua concedit *Planco*, tumorem illum in dextro lobo cerebelli eſſe magnitudinis ovi columbini, & tamen deinceps dicit, pus inde eductum eſſe quinque vel ſex unciarum. Ridet hoc *Plancus*, & ait, neque lobum cerebelli hominis prægrandis continere poſſe ſex uncias puris, quas ne contineat quidem cerebellum elephantis, nedum pueri decem annorum. Quare ex his omnibus concludit *Plancus*, ſupplementum hoc Serrianum res non continere niſi ſuperfluas, dubias, & manifeſte ſibi contradicentes, & falſas; quare melius feciſſet omnino, ſi ſupprimere *Serra* opuſculum, quam poſt tam diuturnum tempus ſex annorum publicare illud maluiſſet. *Plancus* reſpondit eadem die, qua in publicum emiſit *Serra* ſupplementum, ut permulti in Italia, & in ipſamet Cæſena, ubi moratur *Serra*, prius viderint nervoſam *Planci* reſponſionem, quam incompoſitum *Serrianum* ſupplementum.

RISPOSTA D'ERCOLE BERTELLI &c.

i. e.

APOLOGIA HERCULIS BERTELLI CIVIS BONOnienſis, Chirurgi Oppidi Sabiniani, ad epiſtolam IOSEPHI ROCCHI, Pharmacopoei, ſub nomine Teagetis Libadenſis, cui in fine addita eſt epiſtola IANI PLANCI, Medici primarii Arimini.

Piſauri, ex typographia Gavellia. 1755. pag. 36. in 8.

Sabiniani in Gallia ciſalpina, ſeu, ut modo aiunt, in Aemilia, non ignobilis oppidi, ceciderat e tecto laterculus oblique ſuper oculum dextrum Viri cuiusdam, veſpere ingruente, atque ex hoc caſu facta eſt laceratio in palpebra oculi eiusdem. Vulneratus accurrit ad Pharmacopoeum quemdam illius loci, qui ſtatim admovit ad vulnus

lin-

Digitized by Google

linteum ſpiritu vini valde madidum, ex quo æger per totam noctem dolore intollerabili vexatus eſt in palpebra vulnerata, qui dolor ſe propagavit usque ad dentes; mane æger Medicum & Chirurgum accerſivit, qui varia remedia adhibuerunt, quibus dolor quidem ſedatus eſt, & ſimul convulſionis principium ceſſavit, at æger coecus remanſit in oculo dextro, cuius coecitatis cauſam tribuit *Hercules Bertellius* Chirurgus, Auctor iſtius Apologiæ, præſertim ſpiritui vini, qui irritaverit nimis partes in oculo contentas, & convulſionem induxerit magnam in nervis omnibus, qui ad oculos ſunt, ſane permultis, ut Anatomici norunt. Pharmacopoeus ille, ſentiens cauſſam horum malorum ſibi imputari, epiſtolam quamdam conſcripſit nomine Teagetis Libadenſis Pharmacopoei Corcyrenſis, quam manu tantum exaratam vulgavit, & qua generatim Chirurgorum Italorum irridebat inſcitiæ, putans, ſpiritum vini, vulneri admotum, tot mala in ægro inducere non potuiſſe, ſed dolorem, convulſionis principium, & coecitatem ipſam, a concuſſione in oculo, & a laceratione in palpebra, originem duxiſſe; quod ut explicaret, Anatomen oculi expoſuit. *Bertellus* igitur, Chirurgus, reſpondet epiſtolæ Teagetis illius Corcyrenſis, enumerans caſus alios varios, in quibus ſpiritus vini, admotus vulneribus faciei & oculorum, excitavit dolorem maximum in parte vulnerata, una cum convulſione, quæ mortem vulneratorum interdum cauſaverit. Antequam ederet hanc Apologiam Bertellus, miſit Iano Planco, Medico Arimini primario, amico ſuo, ut eam exploraret. Re conſiderata, Plancus reſpondit, & ſe vidiſſe caſus aliquot, in quibus ſpiritus vini, vulneribus faciei admotus, & præſertim ad partes quæ ſunt circa oculos, naſum, & tempora, convulſionem induxerit; idque accidere irritatione nervorum multorum, qui ſunt circa has partes, & præſertim nervorum quinti paris, cuius ſurculi communes ſint oculis, auribus, ori, & aliis partibus. Simul improbat Plancus temeritatem Pharmacopoeorum quorumdam in Italia, qui, quamquam imperitiſſimi ſint in arte ſua, tamen & munus Medici atque Chirurgi

ſibi

ſibi ſumunt, ut Teagetes Libadenſis iſte, cuius ignorantia, & imperitia in arte Anatomica inde apparet, quod in expoſitione ſua dixerit, ſex oculorum muſculos ad viſionem efficiendam eſſe datos, quum hi tantum ad oculos movendos ſint deſtinati, & viſio ipſa intra oculos, per retinam vel choroidem, & non per muſculos externos, perficiatur. Deinde ridet etiam ignorantiam Pharmacopoei in hoc, quod putat, Scleroticam tunicam ita dici, quod opaca ſit, quum ita dicatur, ut omnibus notum eſt, ἀπὸ τȣ σκληρὸν ἐιναι, ſcilicet quia dura eſt, quod Teagetes ille, qui Græcum ſe fingit, & in Græca Inſula morari, ſcire debebat. Quare, *Bertello* Auctor fuit *Plancus*, ut apologiam ſuam ederet, qua ignorantiam & temeritatem *Teagetis* illius, & ſimul ceterorum Pharmacopoeorum, Teageti ſimilium, compeſceret.

Digitized by Google

NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipſiæ
Calendis Maii Anno MDCCLVII.

ANONYMUS MURENSIS DENUDATUS, & ad locum ſuum reſtitutus. Seu Acta Fundationis principalis monaſt. Murenſis denuo examinata, & auctori ſuo adſcripta. Opus duobus libris comprehenſum: ac vindiciis Actorum Murenſium pro & contra R. D. P. MARQUARD. HERRGOTT, Genealogiæ diplomaticæ aug. gent. Habsburgicæ auctorem, anno MDCCL. editis, oppoſitum, Auctore P. RUSTENO HEER, Principalis Monaſterii ad S. Blaſium in Nigra Silva O. S. B. Capitulari, Bibliothecæ Præfecto, & Nummophylacii Directore. Acceſſit appendix gemina: I. Origines Habsburgo-Auſtriacas, compendio redditas, exhibens: II. Conradi de S. Blaſio Chronicon Bürglenſe, antehac ineditum.

Friburgi Brisgoviæ, 1755. 3 Alphab. 6 plagg. in 4.

Auctor vindiciarum Actorum Murenſium, quibus opus hoc noſtrum opponitur, eſt R. P. *Fridolinus Kopp*, Monachus, quum ſcriberet, Murenſis, iam Principalis huius Monaſterii S. R. I. Princeps Abbas. Privatus ſcripſit: privato reſpondetur, non Principi, non Abbati. Dixerat nimirum R. P. *Herrgottus*, in Prolegomenis ſuæ Genealogiæ Aug. Gent. Habsburgicæ: „Anonymum Murenſem, ſe ſolo, nulliſque ad„miniculis aliunde, puta ex re diplomatica, accerſitis ſuffultum, „ad condendam, ac præcipue ad ſtatuminandam Genealogiam

„Habsburgicam, haud ſufficere.“ Anonymi igitur Murenſis auctoritatem firmare & ſtabilire volebat *Koppius:* eius contra fidem creperam & ſubleſtam utique eſſe, hac denudatione oſtendit Doctiſſ. *Heer*. Anonymum itaque Murenſem cum grano ſalis legendum eſſe, iam *Blondellus* monuit, (p. 15.) qui eo uti potuit, quum, obſtetricante *Peireſcio*, prima huius Anonymi editio prodiret 1618. Spirembergii, ſeu potius Lutetiæ Pariſiorum. Charta porro, in qua ſcriptus eſt Codex Anonymi, papyracea, de ætate eius dubium iniicit (p. 37). Charta enim linea vix ante ſeculum XIV. invaluit, quamvis fieri potuerit, ut antea exſtiterit exemplum vetuſtius; quum a *Peireſcio* ad XII. imo XI. ſeculum referatur. Figuram litterarum etiam, quas præferat hic codex, eum reiicere in ſeculum XIII. Litteram enim *i* accentu ſuperius acuto in eo notari; qui ſit characteriſmus ſeculi XIII. Examinatur deinde vis argumenti, quod P. *Herrgottus*, pro ætate Murenſis ſtabilienda, ex ipſo eius contextu deduxerat. Quæ Cap. IX. & X. de ſententia Peireſcii proponuntur, ea nobis aliquantum diſplicuerunt, quod olere vitiligium videntur, & ſunt in Peireſcium, (qui non debebat Peireskius ſcribi,) aliquantum iniqua. Quærit deinde C. XI. num unus, an plures, Codicis Murenſis Auctores fuerint; ipſe duos fuiſſe contendit, (p. 97.) quorum unus Genealogiam, alter, Actuarius dictus, Acta Murenſia conſcripſerit. Oſtendit id ex contextu, doctrinæ diſſimilitudine, nec non ex erroribus bene multis ab Genealogo admiſſis. Argumentum a ſtili diverſitate petitum non admittit, quia iudicium de ſtilo ſæpe fallat. Illuſtrat id (p. 95.) exemplo Eraſmi & Iacobi Billii, de Homiliis quibusdam S. Chryſoſtomi iudicantium. En verba Eraſmi: *Ex Chryſoſtomo in Acta, verteram homilias tres: cuius operae me poenituit, cum nihil hic viderem Chryſoſtomi. Tuo tamen hortatu recepi codicem in manum; ſed nihil unquam legi indoctius. Ebrius ac ſtertens ſcriberem meliora. Habet frigidos ſenſiculos, nec eos commode poteſt explicare.* Billius, veluti de compacto, oppoſitum ſentit. *Graeco codice*, inquit, *nihil fingi poteſt elegantius, quod* CHRYSOSTOMI *phraſin melius referat.* Cap. XII. doce-

docetur, Actuarium Murenſem fuiſſe Chunonem, ſeu Conradum, ex monaſterio S. Blaſii in ſilva nigra, Muros poſtulatum Abbatem. His expoſitis, ipſa Genealogiæ verba proponuntur p. 122. quæ in Autographo viginti ſex admodum lineas explent. Eam Genealogiam, in prima, ſecunda, tertia, quarta, quinta, ſexta, ſeptima, & octava progenie Rudolphi I. Habsburgici, iam mancam & incompletam eſſe, docte ad p. usque 190. probat Auctor, ſimulque p. 130. obſervat, nomen Comitatus Habsburgici ante initia ſeculi XII. exortum non fuiſſe. Omnino fatendum eſt, Rev. P. *Heer* hac tractatione eviciſſe, quod evincendum ſuſceperat, Genealogum noſtrum, *ſe ſolo*, non ſufficere ad conſtituendam Genealogiam Aug. Dom. Auſtriacæ; ſed ſubſidiis adminiculisque aliunde petitis indigere. Documenta quoque Murenſia, a Dominico Tſchudio prolata, etſi magni facienda, Genealogiæ tamen Habsburgicæ haud ſufficere probat Auctor (p. 199.). Refertur inter ea p. 197. cornu venatorium Alberti III. annum MCXCIX. præferens, quod dentem Elephantinum fuiſſe aſſirmant, qui viderunt, hac ornatum inſcriptione:

NOTVM. SIT. OMNIBVS. CORNV. ISTVD. ASPICIENTIBVS. QVOD. COMES. ALBERTVS. ALSATIENSIS. LANT GRAVIVS. DE. HABSBVRG. NATVS. SACRIS. RELI QVIIS. CORNV. ISTVD. DITAVIT. HEC. ACTA. SVNT. ANNO. M. C. XC. VIIII.

Quo ipſo anno tamen hæc inſcriptio confecta fuiſſe, minime videtur. Sequuntur errores communes cum Genealogi, tum Actuarii Murenſis, in C. XXIV. Ut commentitii reiiciuntur Comitatus Vindoniſſæ & Altenburgi, a Guillimanno conficti, C. XXV. & recte p. 228. colligitur, fruſtra gloriari Auctorem vindiciarum, *Acta Murenſia tantae auctoritatis eſſe, ut ex ſe, & propria virtute, tam in Genealogia, quam Chronologia, plenam ac indubitatam fidem facere poſſint.*

Libro II. oſtenditur, quo pacto cum Genealogo, tum Actuario, fides iam nutans, ope Diplomatum reſtitui poſſit. Medicina hic paratur erroribus iis omnibus, qui a Genealogo, intuitu Guntramni divitis, Lanzelini, Radebotonis, & reliquo-

Digitized by Google

rum, admiſſi fuerunt: ubi lectu digna ſunt, quæ p. 308. de vi adverſativa voculæ *nunc* afferuntur.

Appendix I. p. 328. Stemma Habsburgicum exhibet, adiectis brevibus ubique probationibus, Tabula I. ab Ethicone, Duce Alſatiæ, usque ad Maximilianum I. Imp. Videas hic Ludewigium quoque, Koehlerum, & Glaſeium adduci. Tabula II. familiam ſiſtit Lauffenburgo-Habsburgicam. Tabula III. exhibet Stemma Comitum Kyburgicorum, ex ſanguine Habsburgico deſcendentium. Notabilis hic p. 337. coniectura, qua nominis *Altenburgi Comitis* originem veriſimiliorem reddere tentat Auctor. Putat nimirum, & probabiliter, nomen Comitis de Altenburg, non ab illo *Altenburgo Argoviae*, ſed ab Altenburgo Cleggoviæ, pago Turgoviæ contiguo, ac non longe a monaſterio Rhinovienſi, cuius iurisdictioni locus hodieque ſubiectus ſit, ſito, derivandum eſſe. Suo non carent pondere argumenta, quibus Auctor hanc in rem utitur.

Appendix II. Conradi, Monachi S. Blaſii in Nigra Silva, Chronicon Bürglenſe exhibet. Fuit id antea ineditum, & eſt Bürglen monaſteriolum in ſuperiore Briſgovia. Index Auctorum, & alter Rerum, uterque eſt locupletiſſimus.

VENTRIS FLUXUS MULTIPLEX, EX ANtiquis & recentioribus monumentis propoſitus a N. LAMBSMA, Philoſ. & Med. Doct.

Amſtelod. apud Ioh. Schreuder & Petrum Mortier iuniorem. 1756. plag. 19. in 8.

Si quis umquam eorum, qui artem ſcriptis docent, latinitatem illam puram & ſimplicem, qua *Celſus* uſus eſt, fuit aſſecutus, certe Clariſſ. Auctor eſt, cuius libellum, volumine exiguum, contentis vaſtum, nunc commendamus. Poterat ille ſola lectione placere, ſed placet inſuper ingenio, & rerum varietate. Ventriculi & inteſtinorum fabrica, fibrarum, quæ in iisdem occurrunt, ſeries, vaſorum ordo, exponitur ita, ut ex his, lectori, de fluxuum, qui circa inteſtina occurrunt, legibus, conſtare poſſit. Aliqui fluxus *ſtercorei*, cum

natu-

Digitized by Google

naturales ſunt, tum quoque ſine morbo, præterquam quod animus laborat, ex timore, dolore, ſtupore, contingere ſolent. Ceteræ fluxiones morbi notionem involvunt, ſuntque multiplices. Alimenta ſi quando ſub eadem ſpecie, qua aſſumpta fuerant, iterum excedunt per ani oſtium, *laevitatem inteſtinorum* & Leienteriam, &, quoniam in iſta ægritudine ventriculi os inferius offenſum eſt, *coeliacam paſſionem* appellant, debilitate fibrarum eo usque invaleſcente, ut retineri retinenda nequeant; veluti, alio tempore, robur auctum, evacuationum quoque auctarum cauſa eſſe poteſt. Hine eſt *fluxio aquoſa*, cum tenuis materies per ſedem abit in ſtatu ſano, ſi forte omnia potulenta ſorberi a vaſis lacteis nequeunt, licet, ſi inteſtinum forte eſt, ad craſſa pertingere aqua haud ſoleat, ut homo, qui mane aquas Spadanas copioſiſſime hauſit, fluidiorem propterea alvum habere haud ſoleat. Frequentius autem evenit, ut ex morbo aquæ deiiciantur aliquando ſalubriter, ſi inteſtina, quæ quodammodo cloaca corporis univerſalis dici poſſunt, translatos in ſe humores deiiciunt. Aliquando autem ex deiectionibus iſtis malum creſcit, veluti in ægrotis pituita alba affectis hoc evenire ſolet. Sunt etiam deiectiones glutinoſæ ac mucoſæ Illæ tenacitatem involvunt, ut clyſtere, ad viſcidum educendum, opus ſit: hæ autem ſunt fluidiores. Materia iſta vel ex catarrhis nata, vel in ipſo tubo genita. Namque parietes inteſtinorum muco inducuntur per naturam; igitur fluxiones mucoſas, tam ſpontaneas, quam arte excitatas, ita regi fas eſt, ne tubus iſto ſuo involucro defendente orbetur. *Bilioſae* deiectiones frequenter occurrunt, atque bilis ſæpe putris eſt, ſæpe acredinis deſtruentis notas habet, mox viret, mox nigreſcit. Hæc aliquando mala eſt, nec tam bilis, quam ichor, ex cancere vel gangræna hepatis natus, appellanda, & mortis ſignum, qualem multi vomitu quoque reddunt. Profluit *pus* ex alvo, atque illud, mox aliunde ex vomica pulmonum, & abſceſſu inter pleuram nato, lege circuli, advectum eſt; mox e vicino hepatis viſcere deſcendit iisdem viis, quibus bilis ducitur; mox, perrupto meſenterii abſceſſu, ad alvum compellitur; mox etiam, ſoluta morbo in-

 teſti-

Digitized by Google

teſtinorum villoſa tunica, veluti in dyſenteria fieri animadvertimus, puris ſpeciem ſiſtit. Aliquando prope ad ani marginem tuberculum oritur, quod, cum ruptum eſt, purulentiam inteſtini recti producit. Oportet autem medicos ſecuros eſſe, ſitne id, quod fluit, verum pus, an ſanies; poteſt enim ex carcinomate, aut vetuſto ulcere, quod vel intra hepar, vel inter inteſtinorum tunicas, vel in perinæo natum eſt, effluere ichor acris, quem pus haud eſſe tenuitas oſtendit, & color, & foetor, & ſymptoma. *Sanguinem* per ſedem ire, vulgatiſſimum eſt, qualem etiam haud raro vomunt, & eadem ſæpe cauſa eſt, quæ ſanguinem ad cavitatem ventriculi, quam quæ illum ad inteſtinorum tubum compellit. Namque ſi impedimentum adeſt, propter quod ille per hepar procedere nequeat, tunc erga venoſa oſtia, quorum pars ventriculum, pars cætera inteſtina, & finem potiſſimum recti, reſpicit, niſus oritur ſuperans reſiſtentiam, quam fluxuris liquidis canalis alimentoſus obiicere poteſt. Fit igitur, ut ſanguis per venarum ora devolvatur ad inteſtinum, ſi copiæ eius porro accedit debilitas. Sub iſto conatu, quo humores erga venarum ora, quæ in recto inteſtino exiſtunt, urgetur, irrita virium, ad hoc opus haud ſufficientium, occurrunt quandoque conamina; hinc venæ intumeſcunt, indurantur glandulæ, fiuntque condylomata. *Calculos deiici* notum eſt, non tantum illos, qui, poſtquam intra cyſtidem felleam ex bile concreverunt, eadem, quam qua bilis, via, ad duodenum, hinc ad ſedem compelluntur; ſed fieri quoque poteſt, ut ſenſim coacta inter inteſtinorum tunicas materies in toſum compingatur, &, rupto folliculo, exeat. Præterea quoque memoriæ proditum eſt, hydatidas excerni, & corpora aliena deiici, quæ prodigium alere videntur; ac vel fraude ſuggeruntur ad movendam miſericordiam, aut aliquam tantum ſpeciem rei alienæ habent, cum ſunt concrementum calcarium, vel aliud, calore aliove modo coactum. Alvus fluens in beneficio eſt, & morbi cauſas frequenter haurit. Etiamſi enim alvus, ſine incommodo dura, vigentibus cæteris excretionibus morbo propriis, neminem offendit: eſt tamen in omni morbo, adeoque etiam

in

Digitized by Google

in febribus, commodum, ſedem ſuis inquinamentis perviam eſſe, quam quidem medicamentis ſollicitare non ſemper opportunum eſt, aſt mollire, vel victu, vel enemate, vel lubricante pharmaco, nunquam nocuit. Accipienda iſthæc fluxio eſt, non extorquenda. Illam ſæpe neceſſariam faciunt excretiones cæteræ oppreſſæ, quibus febris indicanda eſt, præcipue ſudoris impedimenta, ſi quando cutem cruſta varioloſa vel morbillacea induxit, & omnem tranſpirandi facultatem illi eripuit, ut, pro conſueta iſta inter omnes excretiones viciſſitudine, alvi deiectiones id præſtent, quod ſudor præſtare nequit. Igitur ſæpe opportunum eſt, ſub iſtis conditionibus alvum ſollicitare, rheo, manna, clyſteribus. Ut autem alvus fluat, non ſemper opus eſt ut adſit ſtimulus; ſiquidem aliqua ex acerrimis, alvum non tantum haud movent, ſed etiam adſtringunt, ſimiliter, quæ adſtringunt, eandem aperire, aucto inteſtinorum muſculari robore, ſolent. Igitur & anodyna quandoque eandem aperiunt, cum detur ex debilitate fluxio, atque etiam cauſæ, quæ longius ab inteſtinis diſtant, ſpaſmo excitato, eadem inſtigare poſſunt, uti foetor, & contagium illud, quod ex corpore dyſentericorum, eorumque ſtercoribus, ſpirat. Sunt enim haud pauci, ſi quando dyſenterica lues popularis eſt, qui, etſi recte vixerunt, nec quidquam ab illis peccatum eſt, quod potuerit acrimoniam inteſtinalem gignere, ſolo commercio cum ægrotantibus, vel etiam ſine hoc, a ſola conſtitutione epidemica, quidquid illa ſit, in mali communionem perveniunt. Sponte igitur movetur alvus, aliquando arte ducitur, ſi quando ingeſta ſunt pharmaca, quæ ſtimulo ſuo, excitatis motus periſtaltici conatibus ſolito maioribus, id efficiunt, ut vel domeſtica, vel translatitia, effundantur liquida. Aliquando opportunum eſt, externo remedio, prope ad umbilicum applicato, ſuperare ventris ſegnitiem; poſſunt enim medicamenta aliqua, illi loco admota, quæ propterea ἐπομφάλια veteribus dicta fuerunt, ſollicitare tubum alimentorum, eundemque ad excretionem compellere, quod de unguento ex arthanita notum eſt. Frangi vires corporis, illudque celeriter extenuari, ſi profuſior liquidorum deiectio orta eſt,

eſt, nemo ignorat. Ideoque, quodiı̃ fluxione illa pro medicina uti non poſſumus, atque illa damnoſa eſt, cogitare medentes de remedio oportet, quo illa opprimatur, ablatis primo cauſis procatarcticis, quæ eandem efficere videntur. Aer, ſub conſtitutione epidemica, ſuffimigiis, & arte Halleſiana corrigatur; quod motum eſt, promoveatur; eductis vomitu liquidis, quæ canalem alimentoſum ſunt offenſura, veluti dyſenteriæ, prope ab initiis, Ipecacuanham ſalubriter obiici, novimus. Deinde opus eſt adſtringentibus, vel etiam, ſi dolor urget, anodynis. Inanem deſidendi ſtimulum teneſmum vocant, quem ulcus, acarus, conſentiens veſica, uterus, excitant. In iſtis omnibus, quæ breviter nunc a nobis adducta fuerunt, argumentis, ita verſatur *Clariſſimus Auctor*, ut ſuas meditationes, tam veterum, quam recentiorum placitis, ubique fulciat, & eruditioni, in pertexendo hoc opuſculo omnino utili & iucundo, lectionum variarum ſedulitatem adiunxerit.

CAROLI ARBUTHNOTII TABULÆ ANtiquorum nummorum, menſurarum, & ponderum, pretiique rerum venalium, variis diſſertationibus explicatæ, & exemplis illuſtratæ, ex Anglica in latinam linguam converſæ, opera DANIELIS KOENIGII, M. D.

Traiecti ad Rhenum apud Herm. Beſſeling, 1756. Alphab. 1. plag. 16. 4 mai. cum tabulis XVIII. f. æn.

Accuratiorem numorum antiquorum, menſurarum, atque ponderum notitiam, magna cum utilitate coniunctam eſſe, nemo facile inficias ire poteſt. Illorum frequens apud priſcos ſcriptores iniicitur mentio, & nominantur paſſim in ipſis tabulis ſacris, quibus proinde hac opera lux eximia adfunditur. Porro ope huius, divitias antiquorum, ſpeciatim Romanorum, æſtimare poſſumus, quantum in aere habuerint, quid in luxum, veſtes, epulas, ædes, famulitium impenderint, cognoſcere. Sed enim illa multis circumſepta eſt difficultatibus. Loci antiquorum auctorum, qui ſubſternendi, multo cum labore

Digitized by Google

labore ſunt conquirendi, invicem comparandi, aliquando etiam, ubi minus conveniunt, emendandi. Quoniam autem ad hoc non cuique ſuppetit otium, pauciores etiam ea ſunt peritia, & iudicii acie, ut iſtiusmodi diſquiſitioni ſe dare, ac certi quid conſtituere queant: ſatis adparet, non vulgaria, ad tale quid adgrediendum, feliciterque profligandum, ingenia ſufficere. Accedit, proportionem metallorum, quibus pretium eminens competit, non omni tempore eandem fuiſſe, ſed pro illius viciſſitudine multum variaſſe: quale quid tempore *Iul. Caeſaris* contigiſſe ferunt, qui ex ſpoliis templorum atque urbium, ingentem vim auri urbi intulerit, qua re proportioni auri & argenti haut parum deceſſerit. Pondera, itemque numi, pro temporum rationibus, ſunt imminuta, ut hinc in iis determinandis multa prudentia ſit opus. Id Romæ haut raro contigiſſe, ſcriptores probatæ fidei memoriæ prodiderunt; & de Iudæis adfirmatur, eos, ab everſa per Titum urbe, de ſicli, quem ab illa tempeſtate Romanis pendere debebant, valore aliquid detraxiſſe. Denique ſcriptores antiqui, valorem numorum, non æque cognitum per alios, quorum æſtimatio pariter dubio eſt obnoxia, determinant. Sic v. c. Romani valorem ſeſtertiorum per aſſes, drachmas, & denarios definivere. Licet igitur argumentum hoc admodum ſit impeditum, inde tamen a renatis litteris multi eximii viri ſunt inventi, qui, utilitate perſpecta, manum operi huic admoverunt, quorum ſatis prolixum catalogum texunt *Labbeus, Fabricius* bibl. antiqu. p. 529. ſeqq. *Struvius,* & *Walchius* præf. præmiſſa *Beverini Syntagmati de ponderibus & menſuris.* Ex illis cumprimis eminent *Eduard. Bernardus,* & *Io. Caſp. Eiſenſchmidius,* quorum prior quibusdam viſus eſt huic argumento ita ſatisfeciſſe, ut nihil amplius addi poſſet Ab illo tamen tempore exſtiterunt, ex Britannis potiſſimum, qui omnem induſtriam ac contentionem adhibuerunt, quo hæc eruditionis pars maiori in luce poneretur, inter quos *Greavium & Hooperum* laudare fas eſt, & quibus eruditiſſ. Arbuthnotius noſter iure accenſeri meretur.

Digitized by Google

Anteceſſorum ſuorum laboribus prudenter eſt uſus, optima quæque ex illis, maxime *Hoſto, Bernardo, Greavio, & Hoopero* enotavit, quæ ſuo iudicio vel comprobat, vel emendat. A multo iamdum tempore tabulas, quibus pretium & pondus antiquorum numorum, & ponderum rationem deſignavit, atque ad valorem pecuniæ anglicanæ, modulumque menſurarum & ponderum gentis ſuæ comparavit, publicaverat. Quibus divenditis, non defuerunt, qui eum ſollicitarent, ut easdem iterum litterarum formis exſcribendas curaret, iisdemque explanationes quasdam adderet. Ipſum hoc, præſenti opere, idiomate anglico conſignato, ita eſt exſecutus, ut profecto inſignis cumulus laudibus eius acceſſerit. Utilitas & præſtantia operis, *Beſſelingium,* a multis iamdum annis de re litteraria bene merentem, movit, ut in notiorem linguam, & quo æquiore pretio harum deliciarum ſtudioſis conſtaret, convertendum curaret. Labori huic humeros ſubdidit vir doctiſſimus, *Dan. Koenigius*, medicinæ doctor, frater *Samuelis Koenigii*, viri celeberrimi. Nec ſolum munere interpretis, quod in huius generis ſcriptis in aliam linguam transferendis ſatis eſt arduum, functus eſt, verum etiam paſſim adiunxit obſervationes, quoties auctorem a recto tramite deflexiſſe iudicaret, illuſtrationes, ubi obſcurior videretur, ſubiunxit, nomen vero ſuum, qua fuit modeſtia, non adſcripſit. Exemplo eſſe poteſt explicatio, quæ legitur p. 189-191. Porro, integrum caput de *ſpectaculis* inſeruit. Numerorum ſummas, in exemplari anglico obvias, ubi ſuſpectæ viderentur, novo examini ſubiecit, numeros, in locis excitatis deſignatos, integritati reſtituit, deficientes ſupplevit. Opus ita apte ac erudite concinnatum, dum prelo ſubmitteretur, & magna illius pars iamdum typis impreſſa eſſet, *Koenigius*, cum vix XXII. annos vivendo attigiſſet, ardenti febre correptus, ingenti ſui deſiderio relicto, viventium numero anno 1747. exemtus eſt. Ab illo temporis articulo, opus, carceris quaſi clauſtris detentum, delituit, iisque forſitan numquam expeditum fuiſſet, niſi foetum eum ampliſſimus frater miſeratus, eidem, in dias luminis auras prodire geſtienti, obſte-

tri-

Digitized by Google

tricantes manus admoviſſet. Hic enim reſiduas chartas, quæ in ipſius poteſtate erant, bibliopolæ tradidit, facultatem opus inchoatum conſummandi dedit, ac virum celeberrimum, *Io. Fridericum Reizium*, precibus compulit, ut præfationem operi ornando præfigeret.

Abſolvitur igitur, quale in præſentia, nova veſte ornatum, comparet, præfatione auctoris, itemque modo laudati *Reizii*, diſſertationibus item, & tabulis. Diſſertationum omnino ſunt V. quarum I. complectitur *principia & auctoritates, quibus tabulae* innituntur. Illius cap. 1. agitur *de antiquitate monetae, & eius inventoribus:* 2. *de metallis, & reliqua numorum communi materia, eorumque vulgaribus typis:* 3. *de numis Romanis:* 4. *de numis Graecis:* 5. *de numis Ebraeorum, eorundemque ponderibus:* 6. *de auri ad argentum apud veteres ratione, & de eorum numis aureis:* 7. *de Romanorum, Graecorum, & Arabum ponderibus:* 8. *de menſuris intervallorum & ſuperficierum apud Romanos:* 9. *de menſuris cavis Romanorum, Graecorum, Hebraeorum, praecipuarumque orientis gentium.* Diſſ. II. exponit *de Romanorum re numaria, illorumque opibus.* Cap. 1. eſt *de pretio tritici:* 2. *de pretio vini:* 3. *de pretio pecudum:* 4. *de ſumtibus conviviorum:* 5. *de pretio veſtimentorum:* 6. *de annua habitatione:* 7. *de pretio ſoli:* 8. *de aromatum communi pretio:* 9. *de pretio ſervorum:* 10. *de pretio tabularum pictarum, ſignorum, aliorum operum, & varii generis artificiorum:* 11. *de gemmis & vaſis:* 12. *de ſummis alea dilapidatis, & ſumtu ferali:* 13. *de militum ſtipendio:* 14. *de donativis militibus datis:* 15. *de congiariis principum:* 16. *de vectigalibus imperii Romani:* 17. *Obſervationes in rem graecorum numariam habentur:* 18. *tabularum uſus, in ratiociniis numariis Hebraeorum, paucis exemplis manifeſtatur:* 19. *de ſumtibus templi, & divitiis Davidis & Salomonis* diſſeritur: 20. *de uſuris numariis:* 21. Diſſ. III. eſt *de Romanorum ſpectaculis.* Diſſ. IV. *de navigatione veterum.* Diſſ. V. *de doſibus medicamentorum, a veteribus medicis datis.* Hunc materiarum pertractatarum indiculum ea de cauſſa exhibere oportuit, ut lectores intelligerent, quid in libro hoc, inſigni doctrina referto, quærendum

 ſit,

Digitized by Google

ſit, & quantum aliis huius generis commentationibus præſtet. Certe, multa, quæ ab aliis vel plane negliguntur, vel tantum ὡς ἐν παρόδῳ attinguntur, enucleatius ediſſerit. Coronidem imponunt tabulæ, quibus illuſtrandis diſſertationes ſunt deſtinatæ.

Noſtrum iam foret, quædam excerpere, ſed quoniam difficile admodum eſt, ex eiusmodi libris compendia facere, contenti erimus, generalia quædam indicaſſe; inde obſervationes quasdam ſubiungemus, illas cummaxime, quæ præ aliis notatu dignæ nobis ſunt viſæ. Hac via incedit præſtantiſſimus Auctor. Quidquid de numis, ponderibus, & menſuris veterum in medium adducit, teſtimoniis & exemplis optimorum auctorum antiquorum confirmat, quorum ubi errorem in numeros irrepſiſſe animadvertit, emendationem inſtituit. Calculos ubique accurate ſubducit, & ad valorem, pondus, & menſuram anglicanam reducit. Sed iam ad ſpecialia quædam deſcendamus. Talmudicos ſcriptores, in æſtimatione veterum numorum, a *Ioſepho* & *Philone* multum diſcrepare no-
Pag.32-33. tat, & hos præ illis ſequendos eſſe, demonſtrat. Iudæos iisdem, quibus in Ægypto adſueti erant, menſuris uſos fuiſſe,
62-63. oſtendit. De cubito Iudæorum, æquali Ægyptio, itemque ſacro, quæ expromit, attentionem merentur. Lectu etiam digniſſima ſunt, quæ de viis Romanorum publicis, miliario aureo, viis militaribus, & diverſoriis, in gratiam iter facientium propter eas excitatis, item pontibus, eorumque firmitate ac magnificentia,
67-70. commentatur. Controverſiam de patina *Claudii Æſopi*, memorata *Plinio* & *Tertulliano*, quæ criticorum ingenia exercuit, quæque lites excitavit, attingit quidem, & difficultates expromit, ſed nihil definit, eruditorum potius iudicium & ſententiam ſi-
123. 124. bi exorat. In diſſ. de Romanorum re numaria, quatuor hæc expedienda ſibi ſumſit: 1) quam exigua pecuniæ ſumma, Romæ, in prima eius infantia, fuerit; 2) quantam divitiarum proportionem urbs Roma habuerit in faſtigio ſuo, ſi cum ditiſſimis Europæ emporiis conferantur; 3) quam proportionem pecunia, in commercio circulans, ad mercium pretia, aut incolarum numerum, obtinuerit; 4) Licet, quo tempore imperium

Digitized by Google

perium Romanum in flore & faſtigio erat, minor quantitas pecuniæ currentis in Europa fuerit quam nunc, etiam poſt detectam Americam: Romam tamen, pro rata, maiorem partem pecuniæ circulantis ſuo ævo poſſediſſe, quam ullam urbem Europæ umquam. De uſuris numariis A. diſſerit ita, ut oſtendat, illas initio Romæ & Athenis moderatas admodum fuiſſe, cum tempore autem ita creviſſe, ut populi ſeditiones non raro fuerint ortæ. De ſpectaculis, quod integrum caput induſtriæ & doctrinæ *Koenigii* debetur, ita tractat, ut breviter deſcribat theatrum, amphitheatrum, circum, pegmata, ſive cancellos, & tum prolixius ſummas ſupputet, quæ in illis edendis ab Imperatoribus effuſiſſime fuerunt impenſæ. Et quoniam multi homines ex agris in urbem alliciebantur, qui maius lucrum ex ſervitiis, quæ in ludis præſtarent, capere poterant, indeque Italia colonis orbabatur, agrorum cultu etiam neglecto: pauperiem fuiſſe ſecutam, quæ barbaris gentibus, impreſſionem in imperium Romanum facientibus, facilem victoriam fecerit. In diſſ. de *navigatione veterum* A. multa habet, quæ lectorem & oblectare & docere poſſunt, illa latius tradens, quæ *Huetius* ſuper hoc ipſo argumento peculiari commentario erudite tractaverat. Sermonem Auctor facit de materia, e qua naves diverſæ formæ conſtructæ. Phoenices & Ægyptios omnium primos fuiſſe, qui mare transmiſerint, docet, quos dein aliæ gentes fuerint imitatæ, de quarum re nautica, & commodis inde redeuntibus, erudite diſputat. *Pyxidem nauticam* iamdum *Ludovici ſancti* temporibus, qui a. 1226. regnum adeptus ſit, in uſu fuiſſe, notat p. 259. etſi alii a *Ioanne Goa* ſub initium ſæc. XIII. inventam; alii vero ab antiquiſſimis inde temporibus, ut *Fullerus* & *Hydius* faciunt, repetendam putent. Mendæ typographicæ, ſerius repertæ, ſub finem operis ſunt notatæ; ſunt tamen & aliæ facile in oculos incurrentes, quo pertinet inſcriptio ſicli *hekadoſch Ieruſalaim*, pro *Ieruſalaim kedoſcha*, vel *hakkedoſcha* p. 33. Cl. Auctor valorem quidem pecuniæ veteris, itemque menſurarum pondera, ad normam pecuniæ & ponderum anglicanorum exegit: ſed qui contule-

Pag. 186. ſeqq.

Digitized by Google

rit tabellam operi præmiſſam, qua pecuniæ anglicæ valor ad valorem pecuniæ belgicæ reducitur, facile ad noſtram pecuniam traducere poterit. Chartæ & typorum nitor eſt eximius, ſed & pretium longe æquius, cum exemplar anglicanum VI. thaleris conſtet. Index ſubiectus non eſt, quoniam res huc ſpectantes, ſub ſuis titulis & capitibus, absque multa opera, inveniri poſſunt.

SEGIM. FRID. DRESIGII COMMENTArius de verbis mediis N. T. nunc primum editus, cura IOH. FRID. FISCHERI. Addita eſt præter LUD. KUSTERI libellum, IOH. CLERICI diſſertatio, de eodem genere verborum græcorum, e lingua francogallica in latinam converſa.

Lipſiæ 1755. 1 Alphab. 14 pl. in 8.

Vim atque naturam eorum verborum, quæ media græcis appellantur, antequam *Ludolphus Kuſterus* exortus eſt, vulgus grammaticorum plane ignoravit. Ex quo tempore autem Viro iſti Clariſſimo in mentem venit, rem pulcerrimam & antiquiſſimam ſuſpicari, & in tantis tenebris lucem clariſſimam præferre volentibus, ex eo tempore rationem iſtorum verborum plerique agnoverunt, nec pauci novis obſervationibus, ex optimis ſcriptoribus, ita confirmarunt, ut dubitare ea de re nihil ſit aliud, quam ſuam nec mediocrem græci ſermonis ignorantiam profiteri. Atque huius quidem generis laus pluribus, nulli vero iure maiori, quam *Dreſigio* debetur. Etenim is omnium primus inſtituit, verba Novi Foederis media ſingulari ſtudio compilare, multa loca, ope Kuſteriani inventi, ſcopuloſa atque difficilia, explanare, alia vero diligentius aliquanto, quam ante hoc tempus factum erat, nove etiam nec abſurde, interpretari. Quo magis vellemus, ut ipſi *Dreſigio* opus hoc multarum ſane vigiliarum edere, ac deſtinatæ iam laudis fructum percipere vivo licuiſſet. At enim ereptus nobis eſt, in media cura ac cogitatione eius rei, miſero funeſtoque fato, relicto libro orbo, & haud dubie perituro,

rituro, niſi in tutelam *Fiſchero* C. V, qui & ipſi intervallo ſucceſſit, a celeberrimo *Kappio* traditus fuiſſet. Enimvero iſte ut vidit, librum ita eſſe ſcriptum, ut facile appareret, in animo auctori fuiſſe, eum ſic ad librarium mittere, ac perſuaſum habuit, vulgato illo, opinionem de eruditione virtuteque *Dreſigii* non minutum, ſed auctum potius, atque, ut omnino multorum græcorum verborum vim & naturam melius a multis cognitum, ita non pauca N. T. loca rectius, certe facilius iri a tironibus intellectum: non dubitavit publicare hunc de verbis mediis commentarium, ſumma, atque ea fide, quæ debetur ſcriptis mortuorum; quamvis non admodum probaret, in demonſtranda eorum verborum ſignificatione, ab auctore frequentatas *Achillis Tatii*, *Æliani*, *Dionyſii Halicarnaſſei*, *Herodiani*, *Longi*, *Plutarchi*, & aliorum id genus recentiorum ſcriptorum auctoritates, e quibus conſtat, nec omnino naturam græcæ linguæ, nec vero mediorum verborum vim addiſci poſſe, idemque nollet, verba media N. F. e ſolis ſcriptoribus græcis illuſtrata eſſe. Etenim, quum videatur extra omnem dubitationem poſitum, ſcriptores N. T. etiam in uſurpandis & adhibendis verbis mediis, interpretes Alexandrinos V. T. ſecutos eſſe, eademque adeo cum iis verba hebraica græcis expreſſiſſe; non melius putat vim verborum mediorum N. T. demonſtrari poſſe, quam ſi oſtendas, quod ſit illud verbum hebraicum, quod reddiderint græco, & quæ ſit verbi illius hebraici poteſtas. Nihilo ſecius tamen & ſic hunc librum, ſperamus cum Clariſſimo Fiſchero, qui eum non temerario editionis honore vulgavit, tironibus, ac græcarum litterarum ſtudioſis, non parum profuturum eſſe. Præf. p. 18.

Ac de Kuſteri nobiliſſimo libello, cuius auctoritas noſtrum excitavit ad ſcribendum ſuper eodem genere verborum, vel potius incitavit, & de Clerici diſſertatione in latinam linguam eleganter converſa, ac pleniſſima obtrectationis, ut ex adiectis notis evidens ac manifeſtum eſt, nihil attinet dicere. Rectius hunc omnem locum occupabit Dreſigii laus, eiusque de verbis mediis N. T. commentarius, diviſus ille in ſectiones tres, quarum quidem prima hæc verba media exhibet,

quæ

Digitized by Google

quæ per pronomen reciprocum *ſe* vel *ſibi*, vel etiam addita præpoſitione per *ad ſe*, *in ſe*, *inter ſe*, ſunt explicanda. Altera iis eſt verbis mediis dicata, quorum vis & indoles eſt reddenda per *curo*, *iubeo*, *mando*, *patior*. Tertia vero illorum verborum indicem habet, quorum forma, ſed non æque ſignificatio, eſt media. Ex prima ſectione hæc ſunt:

I. αἱρέω eſt *vi capio.* αἱρέομαι, medium, non activum, quod, indicem Æliani ſecutus, male ſtatuit Reizius, *eligo*, ſive *mihi capio*. Hebr. 11, 25. μᾶλλον ἑλόμενος συγκακουχεῖσθαι. add. 2 Theſſ. 2, 13. *II.* αἰσχύνω *pudefacio alterum*, quod activum hac notione in N. T. non deprehenditur. αἰσχύνομαι, *pudefacio me*, i. e. *pudet me*. Luc. 16, 3. ἐπαιτεῖν αἰσχύνομαι. *III.* ἀλείφω, *ungo alterum*, Luc. 7, 46. τὴν κεφαλήν μου οὐκ ἤλειψας. ἀλείφομαι, *me ipſe ungo*, Matth. 6, 17. ἄλειψαί σου τὴν κεφαλήν. *IV.* ἀμφιέννυμι, *induo alterum*. Matth. 6, 30. ὁ Θεὸς οὕτως ἀμφιέννυσιν. Medium ſive perfectum paſſivum, apud græcos ſenſu medio uſurpari ſolitum. Luc. 7, 25. ἐν μαλακοῖς ἱματίοις ἠμφιεσμένοι. *V.* ἀναζώννυμαι, διαζώννυμαι, & περιζώννυμαι, *me ipſe ſuccingo*. 1 Petr. 1, 13. διὸ ἀναζωσάμενοι. Ioh. 21, 7. Luc. 12, 37. Activum, *cingo alterum*. Ioh. 21, 18. καὶ ἄλλος σε ζώσει. *VI.* ἀνάκειμαι, *me ipſe facio accumbere* i. e. *accumbo*. Matth. 22, 10. *VII.* ἀνακλίνω, *facio diſcumbere aliquem*. Luc. 9, 15. καὶ ἀνέκλιναν ἅπαντας. Medium, ſeu aoriſt. 1. paſſivus media ſignificatione, *me facio diſcumbere*, i. e. *diſcumbo*. Matth. 14, 29. καὶ κελεύσας τοὺς ὄχλους ἀνακλιθῆναι. *VIII.* ἀναμιμνήσκω, *revoco in animum alteri*. 1 Cor. 4, 17. ὃς ὑμᾶς ἀναμνήσει. ἀναμιμνήσκομαι, *revoco mihi ipſe in animum*, i. e. *recordor*. Hebr. 10, 32. ἀναμιμνήσκεσθε τὰς πρότερον ἡμέρας. *IX.* ἀναπαύω, *facio requieſcere*, vel *recreo alterum*. Matth. 11, 28. κἀγὼ ἀναπαύσω ὑμᾶς. 1 Cor. 16, 18. ἀναπαύομαι, *facio requieſcere me*, i. e. *requieſco, dormio, recreo me*. Matth. 26, 45. καθεύδετε τὸ λοιπὸν, καὶ ἀναπαύεσθε. *X.* ἀνέχω duplicem inprimis notionem obtinet: ſonat enim *ſuſtinere*, quo ſenſu paria fere faciunt activum & medium, idque in N. T. perquam eſt uſitatum. 2 Cor. 11, 1. 2 Theſſ. 1, 4. Deinde

etiam

etiam ſignificat *coercere, continere.* ἀνέχομαι itidem, *vel ſuſtineo me,* Col. 3, 13. vel *coerceo, contineo me,* quo ſenſu fortaſſe accipiendum eſt 1 Cor. 4, 12. διωκόμενοι, ἀνεχόμεθα, ut ſit: *continemus nos* a vindictæ cupiditate. *XI.* ἀνίστημι, *excito alterum.* Ioh. 6, 39. ἀλλὰ ἀναστήσω αὐτό. ἀνίσταμαι, *excito me ipſe,* i. e. *ſurgo.* Legitur medium hoc in N. T. de *Chriſto* Matth. 20, 19. Marc. 10, 34. Luc. 18, 33. de *fidelibus* adhibetur Iohann. 11, 23. 24. & ita videtur exponi poſſe, ut mortui in Chriſto *ſibi,* i. e. *in ſuum ipſorum commodum ac ſalutem* reſurgere dicantur. Denique ἀνίσταμαι pari ratione atque activum de iis reperitur, *qui docendi & praedicandi* provinciam capeſſunt, ſed *privata auctoritate* eam ſibi vindicant, Act. 20, 30. *XII.* ἀντιλαμβάνομαι duplici inprimis notione in N. F. obſervatur: altera eſt, *ſuſcipio curam.* Luc. 1, 54. altera, *particeps ſum,* 1 Tim. 6, 2. *XIII.* ἀντιτάττω, *oppono alteri aliquem;* ἀντιτάττομαι, *ipſe oppono me,* Rom. 13, 2. ὁ ἀντιτασσόμενος τῇ ἐξουσίᾳ. Iacob. 4, 6. Actor. 18, 6. *XIV.* ἀπάγξαι, *ſtrangulare alterum;* ἀπάγξασθαι *ſtrangulare ſe ipſum,* vel *ſe ſuſpendere.* Matth. 27, 5. καὶ ἀπελθὼν ἀπήγξατο. *XV.* ἀπαλλάττειν valet *liberare, dimittere, abducere alterum;* ἀπαλλάττεσθαι medium eſt, *ſe liberare,* etiam *ſe ipſum abducere, dimittere,* i. e. *diſcedere.* Act. 19, 12. καὶ ἀπαλλάσσεσθαι ἀπ' αὐτῶν τὰς νόσους. Locum autem difficillimum, Luc. 12, 58. ἐν τῇ ὁδῷ δὸς ἐργασίαν ἀπηλλάχθαι ἀπ' αὐτοῦ, noſter cum Salmaſio ſic interpretatur: *da uſuram, ut abſolvaris* ſeu *dimittaris ab eo,* ſcilicet adverſario. *XVI.* ἀπειπεῖν, præter alia multa, ſignificat *interdicere;* medium ergo ſignificabit *ſibi ipſi interdicere,* vel *ſe abdicare aliqua re,* h. e. *repudiare, reiicere aliquid, renuntiare alicui rei.* Sic eſt 2 Cor. 4, 2. ἀλλ' ἀπειπάμεθα τὰ κρυπτὰ τῆς αἰσχύνης. *XVII.* ἀπεκδύσασθαι eſt *exuere ſe,* vel *ſibi,* inde Col. 2, 15. ἀπεκδυσάμενος τὰς ἀρχὰς καὶ τὰς ἐξουσίας ἐδειγμάτισεν ἐν παρρησίᾳ, ita a noſtro redditur: *traduxit Chriſtus poteſtatem ac paene maieſtatem legis tum forenſis, tum maxime caeremonialis, in V. T. omnino obſervandae palam, dum eam, novo foedere conſtituto, ſibi exuit,* id eſt, *abrogavit.* *XVIII.* ἀπέχω, in

Digitized by Google

actìvo *abs teneo* i. e. *procul teneo ab aliqua re*, cui contrarium admoveo; ἀπέχομαι, *me abs teneo, abſtineo me ipſum, fugio.* Act. 15, 20. 1 Petr. 2, 11. *XIX.* ἀποκόπτω, eſt *abſcindo, reſcindo*, etiam *divello* & *abſtraho alterum ab aliquo*; ἀποκόπτομαι, *amputo* & *reſcindo me, diſcedo, ſeceſſionem facio.* Sic optime locus exponi poteſt, Gal. 5, 12. ὄφελον καὶ ἀποκόψονται οἱ ἀναστατοῦντες ὑμᾶς, *utinam ſua ſponte a nobis faciant ſeceſſionem, abeantque lubentes.* *XX.* ἀπολύω, *dimitto alterum*, Act. 23, 22. Act. 3, 13. ἀπολύομαι, *dimitto me, diſcedo.* Act. 28, 25. ἀσύμφωνοι δὲ ὄντες πρὸς ἀλλήλους ἀπελύοντο. Grotius ad h. locum, ἀπολύεσθαι, pro diſcedere, locutionem Polybianam nominat. *XXI.* ἀπομάσσομαι, *a me ipſe abſtergo*, Luc. 10, 11. καὶ τὸν κονιορτὸν — ἀπομασσόμεθα ὑμῖν. Sic etiam ἐκτινάξασθαι eſt *excutere a ſe*, Act. 13, 51. 18, 6. ἀπομάσσω autem, *abſtergo ab altero*, Luc. 7, 38. καὶ ταῖς θριξὶ τῆς κεφαλῆς αὐτῆς ἐξέμασσε. Ioh. 12, 3. *XXII.* ἀπονίπτειν, *alterum abluere*; medium, *abluere ſe, manus proprias, non alienas.* Matth. 27, 24. ἀπενίψατο τὰς χεῖρας. *XXIII.* ἀποσκευάζεσθαι, eſt *deponere a ſe*, vel *amovere aliquid* & *aliquem*, Act. 21, 15. μετὰ δὲ τὰς ἡμέρας ταύτας ἀποσκευασάμενοι ἀνεβαίνομεν εἰς Ἱερουσαλήμ· quod ſi h. loco ἀποσκευάζεσθαι exponas *a ſe deponere*, vel *amovere*, non erit neceſſe, ut illud pro ἀνασκευάζεσθαι, cum Beza, poſitum arbitreris, quod eſt *colligere ſarcinas* diſertioribus græcis. *XXIV.* ἀποσπάω, *abſtraho alterum*; ἀποσπάομαι, *abſtraho me ipſe*, i. e. *diſcedo, abeo.* Legimus hoc verbum forma quidem paſſiva, ſed ſignificatione omnino media, Luc. 22, 41. καὶ αὐτὸς ἀπεσπάσθη ἀπ' αὐτῶν ὡσεὶ λίθου βολήν. *XXV.* ἀποστρέφειν, eſt *avertere alterum*, vel *aliquid*, 2 Tim. 4, 4. καὶ ἀπὸ μὲν τῆς ἀληθείας τὴν ἀκοὴν ἀποστρέψουσι, Luc. 23, 14. ἀποστρέφεσθαι, *ſeipſum avertere*, & deinde *averſari*, Ebr. 12, 25. οἱ τὸν ἀπ' οὐρανῶν ἀποστρεφόμενοι. *XXVI.* ἀποτίθεσθαι, eſt in medio *a ſe deponere aliquid*, Act. 7, 58. καὶ οἱ μάρτυρες ἀπέθεντο τὰ ἱμάτια αὐτῶν. *XXVII.* ἀποτρέπειν, notat *avertere, avocare*, ſeu *dehortari alterum*; ἀποτρέπομαι, *averto, avoco*, ſeu *dehortor me ipſe*, h. e. *averſor.*

2 Tim.

Digitized by Google

2 Tim. 3, 5. καὶ τούτους ἀποτρέπου, *iſtos averſare*, vel *ab iſtis te avoca & diſcede.* *XXVIII.* ἀπώσασθαι, verbum eſt medium, ac ſignificat *a ſe* vel *a ſuis propulſare*, & ſæpe in N. T. uſurpatur, Act. 7, 27. 13, 46. 1 Tim. 1, 9. *XXIX.* ἄρχω, *incipio alii;* ἄρχομαι, *incipio mihi*, *incipio*, Luc. 3, 23. Nec minus celebris eſt uſus verbi ἄρχεσθαι in N. F. quando πλεονάζει. In hunc cenſum autem falſo referri noſtro videtur Marc. 2, 23. καὶ ἤρξαντο οἱ μαθηταὶ αὐτοῦ ὁδὸν ποιεῖν τίλλοντες τοὺς στάχυας: quem locum nova plane ratione explicat, docetque, tantum differre ὁδὸν ποιεῖν & ὁδὸν ποιεῖσθαι, quantum differant latinorum, viam facere, & iter facere; ac tandem cenſet, Marci locum ſic eſſe reddendum: *Et coeperunt viam facere ſeu ſternere vellentes ſpicas*, i. e. *dum vellunt ſpicas crebrius & ſpiſſius*, *novam quaſi viam*, *quae ante ſpicis erat obſita*, *euntibus per haec ſata parare ac ſternere coeperunt diſcipuli.* *XXX.* αὐξάνω *aliquid augeo*, 1 Cor. 3, 6. ἀλλ' ὁ Θεὸς ηὔξανε; ſæpe etiam in N. T. ut & in ſcriptoribus græcis poſterioris ætatis, quamvis minus attice, *creſco*. Matth. 6, 28. Act. 19, 20. αὐξάνομαι, *me augeo*, i. e. *creſco*. 2 Cor. 10, 15. Col. 1, 10. *XXXI.* ἀφανίζω, *facio ut aliquid evaneſcat*, Matth. 6, 19. ὅπου σὴς καὶ βρῶσις ἀφανίζει. Medium notat, *facio me ipſe in vanum abire*, i. e. *evaneſco*, Iacob. 4, 14. ἀτμὶς ἀφανιζομένη. *XXXII.* ἀφίστημι, *facio* ut *aliquis deficiat*, *impello alterum ad defectionem*, *auctor alicui ſum defectionis*, Actor. 5, 37. καὶ ἀπέστησε λαὸν ἱκανὸν ὀπίσω αὐτοῦ; ἀφίσταμαι, contra, medium eſt, *me ipſe ad defectionem impello*, i. e. *deficio*, *deſciſco*, Luc. 8. 13. καὶ ἐν καιρῷ πειρασμοῦ ἀφίστανται. Huc etiam pertinet verbum ἐπανίσταμαι, Marc. 13, 12. καὶ ἐπαναστήσονται τέκνα ἐπὶ γονεῖς. quod verbum non ſine cauſſa Marcus videtur adhibuiſſe; eſt enim, nec ea exigua, differentia τῆς ἀποστάσεως & ἐπαναστάσεως: hæc fit, quando quis, nulla laceſſitus iniuria, ſine ulla cauſſa, contra aliquem inſurgit, eumque hoſtiliter perſequitur; illa, ſi quis male habitus, & ex iuſta cauſſa deficit, ut docet Scholiaſtes Thucydidis lib. III. c. 39. *XXXIII.* βαπτίζεσθαι, eſt inter alia in N. F. vel *ſe baptizandum curare*, vel *ſibi calamitates inferri*

Digitized by Google

ſerri pati, vel *ſe periculis vitae ſponte offerre,* Ioh. 3, 23. Actor. 18, 8. Matth. 20, 22. Locum autem vexatiſſimum, 1 Cor. 15 29. noſter ſic reddit poſt Ioh. Henric. Maium: *Cur maioribus ſe offerunt periculis nonnulli, quam ipſi ſubierunt, qui iam diem in domino obierunt,* ſi mortui non reſurgunt? *XXXIV.* βασανίζω inter alia eſt *torqueo alterum,* Marc. 5, 7. μή με βασανίσῃς; medium, *ipſe me torqueo,* Marc. 6, 48. καὶ εἶδεν αὐτοὺς βασανιζομένους ἐν τῷ ἐλαύνειν. *XXXV.* βόσκω, *paſco alterum,* propriumque paſtorum, Luc. 15, 15. καὶ ἔπεμψεν αὐτὸν βόσκειν χοίρους. Medium de grege dicitur, Matth. 8, 30. ἦν δὲ ἀγέλη χοίρων πολλῶν βοσκομένη. *XXXVI.* βουλεύω, *conſilium do alteri,* Eſ. 23, 8. τίς ταῦτα ἐβούλευσεν ἐπὶ Τύρον; medium, ſi de pluribus dicitur, *inter ſe conferre conſilia, conſultare, deliberare,* Act. 5, 35. καὶ ἐβουλεύοντο ἀνελεῖν αὐτούς. Ioh. 12, 10. quando autem de uno dicitur, ſignificat *ſecum deliberare,* vel *conſultare,* 2 Cor. 1, 17. τοῦτο οὖν βουλευόμενος, μήτι ἄρα τῇ ἐλαφρίᾳ ἐχρησάμην. Luc. 14, 31. *XXXVII.* γεύομαι, eſt verbum vere medium; quamvis Kuſtero ſecus viſum ſit. Activum eſt γεύω, *guſtare facio alterum, guſtandum praebeo alteri,* habeturque apud Euripidem atque Polybium, etiam Geneſ. 25, 30. γεῦσόν με ἀπὸ τοῦ ἑψήματος πυῤῥοῦ. Medium eſt *guſtare facio ipſe me,* i. e. *guſto,* ut ſæpe in N. T. Ceterum autem videtur noſter fruſtra ſtuduiſſe, phraſin, γεύεσθαι θανάτου, ex numero Hebraiſmorum eximere. *XXXVIII.* διαλέγω, *diſcerno.* Medium, *inter ſe colloqui,* ſive *invicem dare & accipere ſermones;* quod verbum proprie de colloquio amico & familiari noſter dici exiſtimat. Ebr. 12, 5. ἥτις ὑμῖν ὡς υἱοῖς διαλέγεται. Deinde etiam adhibetur de colloquio, quod ad conſilia capienda inſtituitur, notatque *deliberare, agere de aliqua re.* Tandem ad philoſophos quoque translatum eſt, ſignificatque *de rebus diſſerere inter ſe, diſputare verbis;* ſic eſt Actor. 20. 7. ὁ Παῦλος διελέγετο αὐτοῖς. Ep. Iudæ v. 9. *XXXIX.* δογματίζω, *dogmata* ſeu *placita propono aliis;* δογματίζεσθαι, *dogmata ſibi proponi iubere, pati,* vel *curare.* Col. 2, 20. τί ὡς ζῶντες ἐν κόσμῳ δογματίζεσθε; ubi ſummus Grotius verum ſenſum unice aſſecutus

eſt:

Digitized by Google

eſt: *doceri vos ſinitis*. *XL.* δελόω *ſervum facio, in ſervitutem redigo alterum,* Actor. 7, 6. medium, δελῶσθαι, eſt vel *ſe ipſum ſervum conſtituere, mancipare,* vel *alium ſibi & ſuo imperio ſubiicere.* Priori ſenſu, & quidem improprio, eſt Tit. 2, 3. Πρεσβύτιδας μὴ ὄινῳ πολλῷ δεδελωμένας. *XLI.* ἐγείρω, *excito alterum.* Medium, de Chriſto, ſe ipſum ex mortuis excitante, Matth. 27, 63. μετὰ τρεῖς ἡμέρας ἐγείρομαι. Deinde uſurpatur de prophetis tam veris, quam falſis, muneris ſui auſpicia facientibus, Matth. 24, 11. 11, 11. *XLII.* ἐγκομβώσασθαι, verbum eſt medium, atque rarum, non minus in ſacris, quam profanis litteris. 1 Petr. 5, 5. πάντες δὲ ἀλλήλοις ὑποτασσόμενοι, τὴν ταπεινοφροσύνην ἐγκομβώσασθε, *induite vos ſubmiſſione animi.* *XLIII.* ἐγκρατεύω, ſimpliciter *contineo.* Medium, *contineo me,* 1 Cor. 7, 9. εἰ δὲ ἐκ ἐγκρατεύονται, γαμησάτωσαν. 1 Cor. 9, 25. πᾶς δὲ ὁ ἀγωνιζόμενος πάντα i. e. κατὰ πάντα ἐγκρατεύεται. *XLIV.* ἐκτρέπειν eſt *deflectere de via.* Medium, quaſi *ſe divertere de via.* 1 Tim. 1, 6. ἐξετράπησαν εἰς ματαιολογίαν; & *de via deflectendo aliquem declinare, evitare,* & inde ſimpliciter *aliquid fugere, evitare.* 1 Tim. 6, 20. ἐκτρεπόμενος τὰς βεβήλες κενοφωνίας. *XLV.* ἐκςρέφειν, proprie de *veſtibus extrinſecus ſordidis dicitur, quae ita invertuntur, ut interior veſtis fiat exterior, & tota novam acquirat faciem & ſplendorem.* Medium, *ſe ipſum invertere,* Tit. 3, 11. εἰδὼς, ὅτι ἐξέςραπται ὁ τοιῦτος, *quum noveris, talem hominem tandem mores inverſurum, & foris bellam formam praelaturum, ad inſtar veſtis ſordidae inverſae.* Sic noſter cum Cl. Alberti hunc locum. *XLVI.* ἐμπλέκω, *implico aliquid* vel *alterum.* Medium, *ſe ipſum implicare.* 2 Tim. 2, 4. ἐδεὶς ςρατευόμενος ἐμπλέκεται ταῖς τῦ βίε πραγματείαις. *XLVII.* ἐναγκαλίζομαι, *in ulnas meas,* non alienas, *recipio.* Marc. 9, 36. καὶ ἐναγκαλισάμενος αὐτό. Cap. 10, 16. eadem eſt ratio verbi ἐνωτίζεσθαι, exteris inauditi. Actor. 2, 14. *XLVIII.* ἐνδύω, *induo alterum.* Marc. 15, 17. medium, *me ipſe induo.* Luc. 12, 22. τί ἐνδύσησθε. Epheſ. 6, 11. *XLIX.* ἐνθυμεῖσθαι, *ſecum cogitare, conſiderare, perpendere aliquid,* inprimis autem *diligentius conſiderare, penſitare,*

 cum

Digitized by Google

cum accuſativo, Matth. 1, 20. ταῦτα δὲ αὐτοῦ ἐνθυμηθέντος, *quae cum diligenter conſideraſſet, ſecumque cogitaſſet.* quo in loco τὸ ἐνθυμεῖσθαι Ioh. Vriemoet putat eſſe cogitare cum favore ac benevolentia; ſed hunc ſenſum nec contextus poſtulat, nec indoles græcæ linguæ admittit, verbum enim hoc, cum genitivo, ſignificat quidem *rationem alicuius habere*, ut ex Iſocrate patet, non vero cum accuſativo. *L.* ἐντρέπω, *pudore afficio alterum*, 1 Cor. 4, 14. Ἐντρέπομαι, *mihi ipſe pudorem iniicio, revereor*, Luc. 18, 2. καὶ ἄνθρωπον μὴ ἐντρεπόμενος. Matth. 21, 37. Paſſivum, *pudore ſuffundi.* 2 Theſſ. 3, 14. *LI.* ἐξαγοράζω, *redimo alterum, ut ad redemtum redeat utilitas.* Gal. 3, 13. Χριστὸς ἡμᾶς ἐξηγόρασε. Cap. 4, 5. ἐξαγοράζομαι, *redimo aliquem, ita, ut redemtionis fructus ad me redimentem ipſum, non vero ad redemtum perveniat*, Epheſ. 5, 16. ἐξαγοραζόμενοι τὸν καιρόν. Col. 4, 5. *redimentes ſibi tempus, redemtoque ſapienter utentes. LII.* ἐπαγγέλλω inter alia ſignificat *imperare*, vel ut imperator militibus, vel ut præceptor diſcipulis. Medium, *imperare ſibi aliquid, profiteri aliquid*, quia, qui aliquid conſtitutum apud animum habet facere & exercere, illud deinde etiam palam profitetur. 1 Tim. 2, 10. ὃ πρέπει γυναιξὶν ἐπαγγελλομέναις θεοσέβειαν, *quod decet mulieres, quae exercendam ſibi pietatem imperarunt.* 1 Tim. 6, 21. *LIII.* ἐπαθροίζω & ἀθροίζω, *congrego alios.* Medium, *me congrego, convenio.* Luc. 11, 29. τῶν δὲ ὄχλων ἐπαθροιζομένων. *LIV.* ἐπαίρειν proprie dicitur de corpore, *tollere aliquid*, ſeu *in altum ferre*, 1 Tim. 2, 8. Luc. 18, 13. de corpore transfertur ad animum, notatque, *efferre alterum, eique altos ſpiritus indere.* Inde medium ἐπαίρομαι eſt *me effero*, ſeu *ſuperbio*, 2 Cor. 10, 5. καὶ πᾶν ὕψωμα ἐπαιρόμενον. 2 Cor. 12, 7. *LV.* ἐπεκτείνομαι, *extendo me ipſum*, i. e. *ſummo ſtudio atque impetu ago.* Activum ὑπερεκτείνω legitur 2 Cor. 10, 14. *LVI.* ἐπιτελεῖν eſt *perficere aliquid*, ſeu *peragere.* Medium ἐπιτελεῖσθαι eſſe poteſt *ſe perficere*, ſeu *peragere*, h. e. *evenire, accidere.* Nos quidem mallemus: *ſibi perficere, defungi*, 1 Petr. 5, 9. εἰδότες, τὰ αὐτὰ τῶν παθημάτων τῇ ἐν κόσμῳ ὑμῶν ἀδελφότητι ἐπιτελεῖσθαι. *LVII.* ἐπιτίθεμαι,

me-

medium quaſi *me impono, incumbo,* i. e. *adorior, inpreſſionem facio, clam, palamve,* Actor. 18, 10. ὐδεὶς ἐπιθήσεταί σοι τῦ κακῶσαί σε. Præterea hoc verbum inter media eſt referendum, quia inter verba *pugnandi, certandi,* locum habet. *LVIII.* ἐργάζομαι non raro habet ſignificatum vere medium, & valet *ſibi operari, ſibi comparare aliquid,* Iohann. 6, 27. ἐργάζεσθε μὴ τὴν βρῶσιν τὴν ἀπολλυμένην. *LIX.* εὐαγγελίζω, *praedico evangelium ſcripto,* vel ſimpliciter *annuncio aliquid, revelo,* Apoc. 10, 7. ὡς εὐηγγέλισε τοῖς ἑαυτῦ δύλοις τοῖς προφήταις. Cap. 14, 6. εὐαγγελίζομαι autem medium eſt, *ore & ſermone praedico evangelium.* Luc. 8, 1. Cap. 9, 6. alia infinita. At enim hæc obſervatio nobis videtur eſſe nimia, neque ſatis demonſtrata: namque neuter locus apocalypſeos id perſuadet; &, quod noſter vere quidem ſcripſit de differentia, quæ intercedit inter λόγον ποιεῖν, & λόγον ποιεῖσθαι, putamus eſſe ἀπροσδιόνυσον. *LX.* εὐφραίνω eſt *oblecto, exhilaro alterum,* 2 Cor. 2, 2. τίς ἐστιν ὁ εὐφραίνων μέ. Medium εὐφραίνομαι, *oblecto me,* i.e. *laetor.* Luc. 12, 19. ἀναπαύυ, φάγε, πίε, εὐφραίνυ, *gaude. LXI.* θερμαίνομαι, *calefacio me.* Iacob. 2, 16. θερμαίνεσθε καὶ χορτάζεσθε. Ioh. 18, 18. *LXII.* θορυβέω eſt verbum quidem neutrum, ſed tamen etiam activum habet ſignificatum. Actor. 17, 5. καὶ ὀχλοποιήσαντες ἐθορύβυν τὴν πόλιν. Medium eſt vel *ſe ipſum turbare,* vel *inter ſe turbas dare,* Marc. 5, 39. τί θορυβεῖσθε καὶ κλαίετε. *LXIII.* ἵστημι, *ſiſto,* vel *ſtare facio alterum,* Matth. 4, 5. καὶ ἵστησιν αὐτὸν ἐπὶ τὸ πτερύγιον τῦ ἱερῦ. Marc. 9, 36. Medium ἵσταμαι, *ſiſto me,* ſeu *ſtare facio me* i. e. *ſto.* Apoc. 18, 15. *LXIV.* καθέζω, *ſedere facio alterum.* Medium, *me ſedere facio,* i.e. *ſedeo.* Luc. 2, 46. εὗρον αὐτὸν καθεζόμενον. Iohann. 4, 6. Eadem ratio eſt τῦ καθίζειν & καθίζεσθαι, Epheſ. 1, 20. Luc. 22, 30. *LXV.* καταδυλέω, Atticis eſt *in ſervitutem alteri aliquem redigo, poteſtati alterius aliquem ſubiicio.* Medium, καταδυλόομαι, *mihi* aut *meae poteſtati aliquem ſubiicio,* Luciano his plane adverſa & contraria, contra auctoritatem Atticorum, tradente. Activum legitur 2 Cor. 11, 20. Medium Gal. 2, 4. *LXVI.* κατακαλύπτομαι

τομαι medium eſt, *me ipſe velo.* 1 Cor. 11, 6. εἰ γὰρ οὐ κατακαλύπτεται γυνή. comm. 7. Activum, *velare alterum,* Luc. 22, 30. καλύψατε ἡμᾶς. Iacob. 5, 20. *LXVII.* κατακλίνω, *facio diſcumbere aliquem,* Luc. 9, 14. Medium, *facio me diſcumbere,* i. e. *diſcumbo.* Luc. 14, 8. *LXVIII.* κατοπτρίζω, *repraeſento aliquid tanquam in ſpeculo alteri,* quod Gellio XVI. 18. eſt *imaginare.* Medium, *ſibi ipſi repraeſentare aliquid in ſpeculo*, vel *ſibi ſe ipſum repraeſentare in ſpeculo* i. e. *ſe intueri.* 2 Cor. 3, 18. ἡμεῖς δὲ πάντες ἀνακεκαλυμμένῳ προσώπῳ δόξαν κυρίου κατοπτριζόμενοι, *intuentes tanquam in ſpeculo,* i. e. *accurate cognoſcentes.* Sic etiam Latinis, *aliquid tanquam in ſpeculo intueri,* ſignificat, *aliquid accurate cognoſcere.* Cic. in Piſon. 29. *in quibus,* verſibus ſcilicet, *ſi quis velit, poſſit iſtius tanquam in ſpeculo vitam intueri.* *LXIX.* κείρω, *tondeo alterum,* Actor. 8, 32. medium, vel *ſe tondere,* vel *ſe praebere alteri tondendum.* 1 Cor. 11, 6. Actor. 18, 18. *LXX.* κινέω, *moveo alterum,* Matth. 27, 39. κινοῦντες τὰς κεφαλάς. Medium eſt *ſe movere,* poniturque de iis, quibus Deus vim quandam naturalem ſe movendi indidit. Actor. 17, 28. καὶ κινούμεθα, καὶ ἐσμεν. *LXXI.* κοιμάω, *facio cubare, dormire alterum.* Medium, *facio dormire me,* i. e. *dormio.* Actor. 12, 6. Frequentiſſime hoc verbum de mortuis reperitur in N. T. *LXXII.* κολλάω, *agglutino aliquid alicui.* Medium, *agglutino me alicui,* i. e. *adhaereo, coniungo me cum aliquo,* & inprimis uſurpatur de conſuetudine, eaque familiari. Actor. 10, 28. 1 Cor. 6, 16. aliis in locis. *LXXIII.* κομίζω *fero, apporto aliquid alteri,* Luc. 7, 37. Medium *fero, porto aliquid,* vel *quod meum eſt,* vel *pro me, in meum uſum,* vel *in proprio negotio,* dicitur que inter alia de iis, qui mercedem, ſeu rem promiſſam tandem accipiunt, 1 Petr. 1, 9. Ebr. 11, 19. ὅθεν αὐτὸν καὶ ἐν παραβολῇ ἐκομίσατο. *LXXIV.* κόπτω, *caedo, ferio,* Matth. 21, 8. ἔκοπτον κλάδους. Medium *plango,* i. e. *proprie me percutio,* vel pectus meum, quod lugentes facere ſolent. Matth. 24, 30. καὶ τότε κόψονται πᾶσαι αἱ φυλαὶ τῆς γῆς. Luc. 8, 52. *LXXV.* κραταιοῦμαι, *firmiorem me reddo.* 1 Cor. 16, 13. *LXXVI.* κρύπτω, *abſcondo aliquid,* Matth.

Matth. 13, 44. Medium, *occulto me.* Iohann. 8, 59. Cap. 12, 36. *LXXVII.* κτάομαι medium, *acquiro mihi.* Actor. 8, 20. ὅτι τὴν δωρεὰν τοῦ θεοῦ ἐνόμισας διὰ χρημάτων κτᾶσθαι. Præteritum huius verbi fere *poſſidere* ſignificat; ſed tamen & præſens in ſignificatu *poſſidendi* habetur in N. T. 1 Theſſ. 4, 4. Luc. 18, 12. *LXXVIII.* λογίζομαι, *mecum reputo,* Ebr. 11, 19. *LXXIX.* λούω, *lavo alterum.* Actor. 16, 33. ἔλουσεν ἀπὸ τῶν πληγῶν. Apocal. 1, 5. Medium, *lavo ipſe me,* 2 Petr. 2, 22. ὗς λουσαμένη. Ebr. 10, 22. *LXXX.* λυπέω *triſtitia afficio, contriſto alterum* vel *verbis* vel *factis,* etiam *ad iram provoco,* ſeu *animum alterius offendo.* Medium, *ſe ipſum ad indignationem provocare* h. e. *ſine ulla cauſſa iraſci, offendere.* Rom. 14, 15. εἰ δὲ κατὰ βρῶμα ὁ ἀδελφός σου λυπεῖται, i. e. σκανδαλίζεται. *LXXXI.* μάχομαι medium eſt, ut omnia verba pugnandi. vid. Kuſterus. 2 Tim. 2, 24. *LXXXII.* μεθύω & μεθύσκω *inebrio alterum.* Medium, *inebriare ſe ipſum.* Luc. 12, 45. Sed tamen activum minime raro paſſive, & pro *ebrium eſſe,* adhibetur, ut 1 Theſſ. 5, 7. Apocal. 17, 6. *LXXXIII.* μέμφομαι *queror, incuſo.* Rom. 9, 29. τί ἔτι μέμφεται. *LXXXIV.* μερίζω *divido inter alios.* Rom. 12, 3. ἑκάστῳ ὡς ὁ θεὸς ἐμέρισε μέτρον πίστεως. Medium, *ita divido, ut ad me ipſum pars earum rerum, quas divido, redeat.* Luc. 12, 13. εἰπὲ τῷ ἀδελφῷ μου μερίσασθαι μετ᾽ ἐμοῦ τὴν κληρονομίαν. 1 Cor. 9, 13. *LXXXV.* μετασχηματίζω, *aliam formam aut veſtitum alteri induo,* i. e. *transformo.* Phil. 3, 21. Medium, *me ipſe transformo.* 2 Cor. 11, 14. αὐτὸς γὰρ ὁ σατανᾶς μετασχηματίζεται εἰς ἄγγελον φωτός. *LXXXVI.* μετατίθεμαι medium, *tranſpono, transfero me.* Gal. 1, 6. θαυμάζω, ὅτι οὕτω ταχέως μετατίθεσθε: *miror, vos tam cito a Chriſto ipſos traduxiſſe,* i. e. *defeciſſe ad aliud evangelium.* *LXXXVII.* μετεωρίζεσθαι medium, inprimis ſignificat *vana ſpe & inani ſe ad aliquid impellere & incitare,* quo ſenſu hoc verbum Polybius & Diodorus Siculus, Lucæ Evangeliſtæ ætate proximi, frequentare ſolent. Luc. 12, 29. καὶ μὴ μετεωρίζεσθε, quem locum noſter ſic περιφράζει: *nolite, vana ſpe & inani vitae longioris ducti, exemplo paullo ante memorati*

Digitized by Google

divitiis, vos impellere ad avaritiam, opesque futurae adhuc vitae profuturas, ac neceſſarias ſtudioſe colligendas. *LXXXVIII.* *μιμνήσκομαι mihi in animum revoco,* i. e. *memor ſum, recordor.* Ebr. 13, 3. *LXXXIX. μολύνω foedo, inquino aliquem* vel *aliquid.* Apocal. 3, 4. Medium, *ſe ipſum inquinare, contaminare.* 1 Cor. 8, 7. Apocal. 14, 4. *XC. μυέω initio, inſtituo alium.* Paſſivum in ſenſu medio, eſt *ſe ipſum initiare, inſtituere.* Phil. 4, 12. *ἐν παντὶ καὶ ἐν πᾶσι μεμύημαι, me inſtitui,* i. e. *didici,* ut verſu antecedente *ἔμαθον.* *XCI. νίπτω lavo manus* vel *pedes alterius.* Iohann. 13, 6. Medium Iohann. 9, 7. Matth. 15, 2. Marc. 7, 3. *XCII. νοσφίζω ſeparo, averto alterum,* etiam *eripere aliquid* aut *ſurripere.* Medium, *eripere* vel *ſurripere ſibi aliquid, clam in ſuum uſum convertere,* aut *retinere aliquid.* Unde de variis furti generibus uſurpatur. Actor. 5, 2. Tit. 2, 10. *XCIII. ξενίζω hoſpitio excipio aliquem.* Actor. 10, 23. Ebr. 13, 2. *ξενίζομαι* medium, *me hoſpitio excipi curo, rogo, ut hoſpitio excipiar,* h. e. ex conſequente, *hoſpitor, diverſor.* Actor. 10, 6. 18. 32. *XCIV. ὁπλίζω armo alterum;* medium 1 Petr. 4, 1. *ὁπλίσασθε vos armate ipſi.* *XCV. ὀργίζω irrito, ad iram provoco alterum.* Ita etiam *παροργίζω.* Eph. 6, 4. medium, *me ipſe irrito* i. e. *iraſcor.* Matth. 5, 22. Eph. 4, 26. *XCVI. ὀρέγω extendo, porrigo;* medium, *me extendo,* i. e. *manus meas extendo ad aliquid accipiendum,* & improprie *deſidero, expeto.* 1 Tim. 6, 10. Cap. 3, 1. *XCVII. παραιτέομαι recuſo,* Actor. 25, 11. *deprecor* Ebr. 12, 19. *averſor* Ebr. 12, 25. *vito* Tit. 3, 10. Sed enim in hoc medio declarando, noſtri diligentiam non nihil deſideravimus. *XCVIII. παρακαλέω* proprie *voco advoco:* deinde *rogo alterum* 1 Theſſ. 2, 12. *exhortor* Tit. 2, 6. *conſolor* 2 Cor. 7, 6. Medium inter alia eſt *ſe ipſum conſolari,* vel *ſe invicem conſolari* 2 Cor. 7, 13. Cap. 13, 11. *XCIX. παρασκευάζω praeparo alteri aliquid* in genere, in ſpecie eſt *praeparare milites,* diciturque proprie de *praefectis militum,* qui eos docent, inſtruunt. Medium contra de *militibus ipſis,* quando ſe præparant *ipſi* ad prælium, idemque eſt quod *ὁπλίζεσθαι.* 1 Cor. 14. 8. *τίς παρασκευάζεται εἰς πόλεμον.* C. *παρέχω praebeo, exhibeo*

Digitized by Google

hibeo alteri. Act. 28, 2. Cap. 16, 16. ἥτις ἐργασίαν πολλὴν παρεῖχε τοῖς κυρίοις αὐτῆς. Medium, *praebeo mihi,* i. e. *in meam utilitatem,* ſeu *una cum aliis mihi ipſe praebeo aliquid.* Actor. 19, 24. Δημήτριος παρείχετο τοῖς τεχνίταις ἐργασίαν οὐκ ὀλίγην. *CI.* παύω *ceſſare facio alium.* 1 Petr. 3, 10. Medium παύομαι, *facio ceſſare me* i. e. *deſino,* quod frequentiſſimum eſt in ſacris profaniſque litteris. *CII.* πείθω *perſuadeo alteri;* πείθομαι *perſuadeo ipſe mihi,* i. e. *credo,* & ex conſequente *obedio, obſequor.* Activum habetur Act. 26, 28. Medium Cap. 26, 26. Gal. 3, 1. *CIII.* περιβάλλω *induo alteri veſtes,* Iohann. 19, 2. Medium, *mihi ipſe induo veſtes.* Actor. 12, 8. Apoc. 3, 18. *CIV.* περιζώννυμαι *me ipſe accingo, ſuccingo.* Luc. 12, 37. aliis in locis. *CV.* περιΐστημι inter alia eſt *amoveo ab altero aliquid.* Medium *a me ipſo amoveo aliquid,* & ex conſequente, *vito, fugio.* 2 Tim. 2, 16. τὰς δὲ βεβήλους κενοφωνίας περιΐστασο. *CVI.* περιποιέω *alteri aliquid acquiro,* vel *comparo.* Medium, *mihi aliquid comparo.* Actor. 20, 28. 1 Tim. 3, 13. *CVII.* περισπάω proprie eſt *circumflecto,* vel *ab alio abſtraho, & ad alterum attraho, in contrarium traho.* Medium, *ſe ipſum diſtrahere labore,* h. e. *nullo exigente & cogente, ſua ſponte ſe labore diſtringere.* Luc. 10, 40. ἡ δὲ μάρθα περιεσπᾶτο περὶ πολλὴν διακονίαν. *CVIII.* περπερεύομαι, 1 Cor. 13, 4. ἡ ἀγάπη οὐ περπερεύεται, *non ſibi prae ceteris placet, non ſe ſuaque iactat & ubique oſtentat:* quo vitio inprimis laborabat poeta ille Suffenus, in quem extat Catulli epigramma n. 22. *CIX.* πικραίνω *amaro, amaritudinem affero,* Apoc. 10, 9. transfertur quoque ad animum Ebr. 3, 16. quo ſenſu medium eſt Col. 3, 19. καὶ μὴ πικραίνεσθε πρὸς αὐτάς, *ne vos exacerbate ipſi,* i. e. *nulla data occaſione iraſcendi, iraſcimini.* *CX.* πλανάω *errare facio alterum.* Matth. 24. 11. καὶ πλανήσουσι πολλούς. Medium, *errare me facio,* i. e. *erro.* Gal. 6, 7. μὴ πλανᾶσθε, *ne erretis.* *CXI.* ποιεῖν refertur plerumque ad alterum: ποιεῖσθαι ad ipſum facientem; Exemplis a Kuſtero laudatis noſter adiecit bene multa, in quibus hæc ſunt biblica, Iohann. 5, 27. κρίσιν ποιεῖν, quod idem eſt ac κρίσιν τιθέναι, *iudices conſtituere.*

κρίσιν ποιεῖσθαι autem eſt *iudicare*, propriumque *iudicium*. Apocal. 17, 17. γνώμην ποιεῖν eſt *facere alicuius voluntatem*; γνώμην ποιεῖσθαι autem *cognoſcere*. Atque hoc loco noſter inculcavit non contemnendam diſputatiunculam, de vero uſu verbi ποιεῖν, quæ his quinque regulis, docte ac copioſe illuſtratis, continetur. 1. *verbum ποιεῖν quoties proprie dicitur, aut idem, quod πράττειν vel ἐργάζεσθαι notat, eſt activum, non medium:* propria autem eius ea eſt notio, qua de illo dicitur, qui facit, ut aliquid fiat vel exiſtat. 2. *verbum ποιέω quando idem ſignificat, quod ἡγέομαι, puto, exiſtimo, duco, ſemper eſt medium.* 3. *quando verbum ποιέω in dictione ita adhibetur, ut vim ſuam non a ſubſtantivo, ſed ab adiectivo in eadem dictione occurrente accipiat,* activum eſt, non medium; e. g. Iſocr. in Paneg. ἐκδότους τοῖς βαρβάροις ἐποίησαν, *barbaris prodiderunt.* Id. Æginet. τὴν διαθήκην ἄκυρον καὶ τὸν οἶκον ἔρημον ποιῆσαι, teſtamentum *abolere,* & *familiam deſolare.* 4. *quando autem verbum medium ποιεῖσθαι cum ſubſtantivo & adiectivo ſimul poſitum reperitur, tunc vim ſuam non ab adiectivo, ſed a ſubſtantivo accipit, ipſumque adiectivum plerumque per adverbium, non incommode, effertur;* e. g. Thucyd. 6, 10. ταχεῖαν τὴν ἐπιχείρησιν οἱ ἐχθροὶ ποιήσονται, *hoſtes celeriter nos invadent.* 88. τόν τε πόλεμον σαφέστερον ποιεῖσθαι πρὸς τοὺς Ἀθηναίους, *ad bellum apertius contra Athenienſes gerendum.* 5. *quando verbum ποιέω cum ſubſtantivo quodam in dictionibus ita coniungitur, ut vim ſuam ab illo accipiat, ac plerumque per verbum eiusdem originis, cuius ſubſtantivum adeſt, explicari poſſit, medium eſſe, non activum conſuevit;* e. g. ποιεῖσθαι ἔπαινον pro ἐπαινεῖν; κοινωνίαν ποιεῖσθαι pro κοινωνεῖν; ἐνέδραν ποιεῖσθαι pro ἐνεδρεύειν. *CXII.* πολιτεύω *pro cive me gero*, & proprium eſt *civium.* Paſſivum *de republica* dicitur, quæ regitur. Medium proprie *de iis, qui rempublicam regunt*, ſeu *adminiſtrant.* Actor. 23, 1. ἐγὼ πεπολίτευμαι τῷ θεῷ, *functus ſum munere meo ad Dei gloriam, eiusque eccleſiae utilitatem atque incrementum;* quamvis negari non poſſit, hanc differentiam activi & medii minus perpetuam eſſe, ut vel ex Phil. 1, 27. manifeſto apparet. *CXIII.* πορεύω

Digitized by Google

ῥέυω *transfero.* Medium *transfero me,* iſt eſt, *proficiſcor, eo, etiam vivo.* 2 Petr. 3, 2. κατὰ τὰς ἰδίας αὐτῶν ἐπιθυμίας πορευόμενοι. Luc. 1, 6. eodem ſignificatu, quo περιπατεῖν. *CXIV.* προκαλοῦμαι *provoco ad certamen,* ideo eſt verbum medium, quia verbis *pugnandi* poteſt annumerari. Gal. 5, 26. *CXV.* προσανατίθεμαι *mei animi ſenſa alicui expono, & aperio, eumque conſulo.* Gal. 1, 16. 2, 6. *CXVI.* προσποιέω *facio, ut alteri aliquid accedat.* Medium, *facio ut mihi aliquid accedat, acquiratur, aſſumo mihi,* & inde *ſimulo.* Luc. 24, 28. *CXVII.* προστίθημι *addo, adiicio aliquid,* vel *aliquem.* Luc. 17, 5. πρόσθες ἡμῖν πίστιν. Medium, *ſe ipſum adiicere,* vel *adiungere alicui.* Act. 5, 14. μᾶλλον δὲ προσετίθεντο. *CXVIII.* προσφέρομαι *offero me, praebeo me, oppono me, gero me:* extremo ſenſu eſt Ebr. 12, 7. εἰ παιδείαν ὑπομένετε, ὡς υἱοῖς ἡμῖν προσφέρεται ὁ θεός. *CXIX.* προτρέπω ſemper notat *adhortor alterum.* Medium vero, etiamſi interdum nullam, niſi activi, vim ſuſtineat, haut raro tamen ita, ut vere ſit medium, uſurpatur, ſignificatque *ſe invicem cohortari,* ſive, *dum alterum ad aliquid adhortamur, nos una ipſos ad idem adhortari.* Actor. 18, 27. βουλομένου δὲ αὐτοῦ διελθεῖν εἰς τὴν ἀχαίαν προτρεψάμενοι οἱ ἀδελφοὶ ἔγραψαν τοῖς μαθηταῖς ἀποδέξασθαι αὐτόν: quem locum ita περιφράζει: *quum autem ire vellet in Achaiam Apollo, poſtquam ipſum & ſemetipſos ſimul ad fidem & eccleſiam ampliandam cohortati eſſent fratres illi, ſcripſerunt diſcipulis* &c. *CXX.* σκύλλω *vexo* ſeu *fatigo aliquem itinere longiore.* Marc. 5, 35. Medium, *ſe ipſum fatigare itinere.* Luc. 7, 6. *CXXI.* στέλλω *mitto alterum.* Medium, *me ipſe mitto,* i. e. *iter facio, quocumque id fiat modo,* ſive *pedibus,* ſive *equis,* ſive *navibus.* 2 Theſſ. 3, 6. παραγγέλλομαι δὲ ὑμῖν, στέλλεσθαι ὑμᾶς ἀπὸ παντὸς ἀδελφοῦ, *ut diſcedatis ab omni fratre.* 2 Cor. 8, 20. autem *fugiendi* omnino ſignificatum habet. *CXXII.* συγκατατίθεμαι eſt verbum vere medium, notatque *una cum aliis calculum adiicio,* h. e. *conſentio, probo.* Activum, ut Elsnerus falſo exiſtimat, eam vim non habet. Luc. 23, 51. οὗτος οὐκ ἦν συγκατατεθειμένος τῇ βουλῇ καὶ τῇ πράξει αὐτῶν, paſſivum media poteſtate.

ſtate. *CXXIII.* συλλαμβάνω notat inter alia *alicui manum iniicere*, ſeu *manibus comprehendere*. Luc. 22, 54. Medium proinde, *una cum aliis alicui rei manus admovere*, i. e. *adiuvare, opitulari*. Phil. 4, 3. συλλαμβάνου αὐταῖς, *adiuva eas*. Eiusdem generis eſt verbum συναντιλαμβάνεσθαι. Luc. 10, 40. Rom. 8, 26. *CXXIV.* συμβάλλομαι *ſimul cum aliis confero*, ſeu *adiumentum praeſto*, iterum eſt verbum vere medium. Actor. 18, 27. συνεβάλετο πολὺ τοῖς πεπιστευκόσι διὰ τῆς χάριτος, *multum adiumenti attulit iis*. *CXXV.* συνάγω *congrego* ſeu *cogo alios*. Act. 14, 27. συναγαγόντες τὴν ἐκκλησίαν. Medium, *me congrego ipſe*, h. e. *convenio*. Marc. 6, 30. καὶ συνάγονται οἱ ἀπόστολοι πρὸς τὸν Ἰησοῦν. Matth. 24, 28. *CXXVI.* συναγωνίζομαι verbum eſt vere medium, quemadmodum verba *certandi* tantum non omnia. Rom. 15, 30. *CXXVII.* συναθροίζω *congrego alios*. Medium, *congrego me, convenio*. Actor. 19, 25. Cap. 12, 12. *CXXVIII.* συναλίζω & συναλίζομαι, eundem cum proxime priori verbo ſignificatum habent. Act. 1, 4. καὶ συναλιζόμενος παρήγγειλεν αὐτοῖς, *& conveniens*. *CXXIX.* συναμίγνυμι *miſceo aliquid cum aliquo*. Medium, *commiſceo me*, h. e. *commercium & rem cum aliquo habeo*. 2 Theſſ. 3, 14. καὶ μὴ συναναμίγνυσθε αὐτῷ. 1 Cor. 5, 9. μὴ συναναμίγνυσθαι πόρνοις, & verſ. 11. *CXXX.* συναπάγω *abduco*, vel *duco alios una mecum*. Medium *abduco*, vel *duco me ipſe una cum aliis*, h. e. *cum iis eo, eandem cum ipſis viam incedo, me ago una cum aliis*. Activum eſt Exod. 14, 6. Medium vero pro *me ago*, i. e. *eo, proficiſcor*, videtur noſtro Rom. 12, 16. μὴ τὰ ὑψηλὰ φρονοῦντες, ἀλλὰ τοῖς ταπεινοῖς συναπαγόμενοι, *cum humilibus vos agentes* (non hominibus; ταπεινοῖς enim neutrum eſt, nec maſculinum h. loco). Quod præceptum reſpondet illi Ciceronis: *quanto ſuperiores ſumus, tanto* nos geramus ſubmiſſius. *CXXXI.* συνευωχέομαι *una cum aliis epulor, convivio interſum*. 2 Petr. 2, 13. Iud. v. 13. συνευωχούμενοι ὑμῖν. Activum εὐωχεῖν eſt *ſolum epulari, nullis ſociis*. *CXXXII.* συνήδομαι *me oblecto*, h. e. *gaudeo*, conſtruiturque cum dativo vel rei, vel perſonæ. Rom. 7, 22. συνήδομαι γὰρ τῷ νόμῳ, *oblecto*

me

Digitized by Google

me lege Dei: cum dativo perſonæ ſignificat *una ſe delectare,* ſeu *gaudere cum aliquo, & gratulari.* Activum autem notat *oblectare alterum CXXXIII.* συντίθεσθαι, quando *inter ſe componere,* h. e. *paciſci,* vel *una cum altero calculum ſuum ponere,* h. e. *aſſentiri,* ſignificat, vere medium eſſe verbum videtur. Priori ſenſu eſt Ioh. 9, 22. ἤδη γὰρ συνετέθειντο οἱ Ἰουδαῖοι. Luc. 22, 5. poſteriori ſignificatu reperitur Actor. 24, 9. συνέθεντο δὲ οἱ Ἰουδαῖοι, φάσκοντες, ταῦτα οὕτως ἔχειν. *CXXXIV.* συσχηματίζομαι *me ipſe conformo, eundem, atque alii habent, veſtitum, eandemque formam mihi ipſe induo.* Rom. 12, 2. καὶ μὴ συσχηματίζεσθε τῷ αἰῶνι τούτῳ. 1 Petr. 1, 14. Activum autem notat, *alteri aliam formam,* aut *veſtitum induo.* Philipp. 3, 21. ὃς μετασχηματίσει τὸ σῶμα. *CXXXV.* τυρβάζω *turbo alium* in genere, quamvis proprie ſit *turbare lutum,* ut tradit Scholiaſtes Ariſtophanis. Medium τυρβάζομαι, *ſibi ipſi turbas excitare.* Luc. 10, 42. μεριμνᾷς καὶ τυρβάζῃ περὶ πολλά, *tumultuando te fatigas circa multa.* Nobis & hic propria notio locum habere videtur, ut ſit: *multa ſordida ac lutulenta opera facis:* quam rem uno, ſed ſordidiſſimo verbo exprimunt noſtri. *CXXXVI.* τυφόω *inflo,* ſeu *ad ſuperbiam incito alterum.* Medium, *ipſe me inflo,* h. e. *ſuperbio,* diciturque inprimis de iis, qui ſe propter ſcientiam efferunt, ac ſæpe falſo iactant, unde etiam hoc ipſum verbum *dementem eſſe* ſignificat, *nihilque intelligentem* 1 Timoth. 6, 4. τετύφωται μηδὲν ἐπιστάμενος. *CXXXVII.* ὑπεραίρομαι, ut ſupra ἐπαίρομαι, *me effero ipſe.* 2 Theſſ. 2, 4. 2 Cor. 12, 7. *CXXXVIII.* ὑποδήσασθαι ὑποδήματα, vel abſolute ὑποδήσασθαι, eſt *induere calceos,* vel *calceare ſe.* Actor. 12, 8. Epheſ. 6, 15. Activum ſimplex habetur Luc. 13, 16. *CXXXIX.* ὑπομιμνήσκω, & ὑπομιμνήσκομαι, idem plane, quod ἀναμιμνήσκω & eius medium, de quibus ſupra, notare videtur. Activum Ioh. 14, 26. Medium Luc. 22, 61. *CXL.* ὑποστέλλομαι, *clam abeo, me ſubduco, diſſimulo, ſubterfugio* Ebr. 10, 38. ὁ δὲ δίκαιος ἐκ πίστεως ζήσεται καὶ ἐὰν ὑποστείληται. Actor. 20, 20. Activum noſtro in aſſiduo quodam ſcriptore non obſervatum eſt. Gal. 2, 12. ὑπέστελλε καὶ ἀφώ-

ριζεν

Digitized by Google

ῥιζεν ἑαυτόν. *CXLI.* ὑποτάσσω *ſubiicio alterum.* 1 Cor. 15, 27. Epheſ. 1, 22. ὑποτάσσομαι *me ſubiicio ipſe,* h. e. *pareo, obedio.* Luc. 2, 57. καὶ ἦν ὑποτασσόμενος αὐτοῖς. Epheſ. 5, 22. aliis in locis. *CXLII.* φαίνω *apparere facio alterum,* quo ſenſu nunquam reperitur in N. F. neutraliter vero ſæpe reperitur, e. g. Ioh. 1, 5. φαίνομαι *apparere facio me,* i. e. *appareo.* Iacob. 4, 14. ἀτμὶς γάρ ἐστιν ἡ πρὸς ὀλίγον φαινομένη. 1 Petr. 4, 18. Inprimis vero huius verbi futurum φανήσομαι frequentatur, quod & habetur Matth. 24, 30. καὶ τότε φανήσεται τὸ σημεῖον τοῦ υἱοῦ τοῦ ἀνθρώπου, quod noſter *reſurrectionem mortuorum* eſſe, verecunde admodum, ſuſpicatur. *CXLIII.* φθείρω *corrumpo alium.* 2 Cor. 7, 2. φθείρομαι *corrumpo me,* Iudæ v. 10. Epheſ. 4, 22. *CXLIV.* φιλοτιμέομαι eſt verbum *certandi,* eoque vere medium; proprium autem eſſe *candidatorum,* iam ſæpe a ſummis viris eſt admonitum. Inde ſignificat *ſummo ſtudio & contentione agere.* Rom. 15, 20. οὕτω δὲ φιλοτιμούμενον εὐαγγελίζεσθαι. 2 Cor. 5, 9. 1 Theſſ. 4, 11. *omni ſtudio alteri placere contendere, omni honore aliquem proſequi, ſeſe iactare, gloriari de aliqua re.* *CXLV.* φοβέω *terreo alterum.* φοβοῦμαι *terreo me,* i. e. *timeo,* 2 Cor. 11, 3. *revereor* Luc. 23, 40. Epheſ. 5, 33. *CXLVI.* φυλάττομαι *cuſtodio me, proſpicio mihi,* i. e. *caveo.* 2 Tim. 4, 15. ὃν καὶ σὺ φυλάσσου. *CXLVII.* φυσιόω eiusdem eſt generis ac τυφόω, de quo paullo ante, valetque in activo *inflo alterum* 1 Cor. 8, 1. ἡ γνῶσις φυσιοῖ. In medio *me ipſe efſero* 1 Cor. 4, 6. ἵνα μὴ εἷς ὑπὲρ τοῦ ἑνὸς φυσιοῦσθε κατὰ τοῦ ἑτέρου. Col. 2, 18. *CXLVIII.* χωρίζω *ſeparo alterum ab altero.* Rom. 8, 35. Medium, *ipſe me ſeparo,* i. e. *diſcedo.* 1 Cor. 7, 15. εἰ δὲ ὁ ἄπιστος χωρίζεται, χωριζέσθω. Sic & in compoſitis.

Secundi generis verborum mediorum, quæ *curandi, mandandi, iubendi, patiendi, adiunctam habent notionem,* hæc fere noſtro in novo foedere obſervata ſunt. I. ἀδικέομαι *patior volens lubensque mihi fieri iniuriam.* 1 Cor. 6, 7. διατί οὐχὶ μᾶλλον ἀδικεῖσθε. II. ἀπογράψασθαι *ſe* vel *nomen ſuum in tabulis deſcribendum curare,* Luc. 2, 1. III. ἀποστερεῖσθαι *libenter pati ſe defraudari ab aliis.* 1 Cor. 6, 7. διατί οὐχὶ

Digitized by Google

ὀυχὶ μᾶλλον ἀποϛερεῖσθε. IV. ἀσφαλίζεσθαι *muniendum curare*. Matth. 27, 65. ὑπάγετε ἀσφαλίζεσθε, & v. 66. οἱ δὲ πορευθέντες ἠσφαλίσαντο τὸν τάφον. V. βαπτίζεσθαι, de hoc verbo prima ſectione. VI. βιάζομαι *vim mihi inferre libenter patior*. Matth. 11, 12. ἡ βασιλεία τῶν ὀυρανῶν βιάζεται. VII. δανείζω *mutuam pecuniam do*. Luc. 6, 34. Medium δανείσασθαι *mutuum accipere* ſeu *ſumere*. Matth. 5, 42. τὸν θέλοντα ἀπό σου δανείσασθαι, μὴ ἀποϛραφῇς; VIII. διαχειρίζεσθαι *interficiendum curo*. Actor. 5, 30. ὃν ὑμεῖς διεχειρίσασθε; IX. ἐπισπᾶσθαι ſcilicet ἀκροβυϛίαν, valet *attrahendum curare praeputium*. 1 Cor. 7, 18. περιτετμημένος τις ἐκλήθη; μὴ ἐπισπάσθω, quod, teſte Celſo, opera chirurgi fiebat. videatur etiam, 1 Maccab. 1, 15. X. κείρεσθαι, ſatis ſuper hoc verbo in prima ſectione. XI. κρίνω *iudico alterum*. κρίνεσθαι medium, dicitur de litigantibus, qui *ſponte iudicio ſe offerunt*, ſive *ſe iudicandos praebent*, & ex conſequenti, *iudicio contendunt*. 1 Cor. 6, 1. κρίνεσθαι ἐπὶ τῶν ἀδίκων v. 6. Rom. 3, 4. XII. μετακαλεῖσθαι *ſibi advocandum curare aliquem*, i. e. *arceſſere*. Actor. 7, 14. μετεκαλέσατο τὸν πατέρα ἀυτοῦ Ἰακώβ. Actor. 10, 32. 20, 17. Eiusdem generis & ſignificatus eſt inſequens verbum XIII. μεταπέμπεσθαι. Actor. 10, 22. 11, 13. XIV. μισθόω loco, μισθόομαι medium, *facio mihi aliquid locari*, h. e. *conduco*. Matth. 20, 1. XV. ξυράω *rado, tondeo*. Medium, *tondendum me praebeo* ſeu *curo*. 1 Cor. 9, 6. εἰ δὲ αἰσχρὸν γυναικὶ τὸ κείρασθαι ἢ ξυρᾶσθαι. XVI. περιτέμνεσθαι *ſe circumcidendum* præbere, *curare*. 1 Cor. 7, 48. Gal. 5, 2. XVII. συμβουλεύειν *dare conſilium*. Ioh. 18, 14. ἦν δὲ Καϊάφας ὁ συμβουλεύσας τοῖς Ἰουδαίοις. Apoc. 3, 18. συμβουλεύεσθαι medium, *curare ſibi conſilium dari*, ſive *conſulere aliquem*, & exinde *deliberare*. Ioh. 11, 13. ἀπ' ἐκείνης τῆς ἡμέρας συνεβουλεύσαντο. XVIII. χρῆσαι *commodare* ſeu *utendum dare*. Luc. 11, 5. χρῆσόν μοι τρεῖς ἄρτους· χρήσασθαι *facere ſibi aliquid commodari*, *utendum accipere*, *uti*.

Sequuntur nunc verba, quæ grammaticorum quidem vulgo media putantur, quæ vero potius *Medio activa*, quam vera

media appellari, & latinorum deponentibus æquiparari poſſunt. Cuius generis, noſtro, in N. Teſtamento hæc ſunt obſervata: I. ἀγαλλιάομαι. Ioh. 8, 56. Ceterum hoc verbum, minus, quam eccleſiaſticis, profanis notum eſt. II. αἰτέομαι *peto*. Sic ſemper in N. Teſtamento. Itaque Hammondus illud Matth. 18, 19. male paſſive reddidit. III. ἀναβάλλομαι. Act. 24, 22. IV. ἀναδέχομαι *excipio*. Act. 28, 7. Paullo aliter eſt Ebr. 9, 17. V. ἀναστρέφομαι *verſor*, 1 Timoth. 3, 15. VI. ἀνατίθεμαι *expono* Actor. 25, 14. VII. ἀντέχομαι *iuvo, adiuvo*. 1 Theſſ. 5, 14. Matth. 6, 24. VIII. ἀπειλέομαι *minitor*. Actor. 4, 17. IX. ἀπεκδέχομαι *expecto*. Rom. 8, 19. X. ἀποκρίνομαι *reſpondeo*. XI. ἀπολογέομαι *defendo*. Actor. 24, 10. XII. ἀπορέομαι *dubito*. Act. 25, 20. XIII. ἀποτάσσομαι, *valedico*. Luc. 9, 61. XIV. ἀποφθέγγομαι *loquor*. Actor. 2, 4. XV. ἅπτομαι *tango*. Ioh. 20, 17. XVI. ἀρνέομαι *nego*. 2 Timoth. 2, 12. XVII. ἀσπάζομαι *ſaluto*. Luc. 10, 4. XVIII. αὐλίζομαι *diverſor, pernocto*. Luc. 21, 37. XIX. ἀφικνέομαι *pervenio*. Rom. 16, 19. XX. βδελύσσομαι *abominor, execror*. Rom. 2, 22. XXI. βούλομαι *volo*. Iud. v. 5. XXII. γίνομαι huc etiam referendum eſt, quando ſignificat idem, quod εἰμί. Matth. 10, 16. XXIII. δέχομαι *capio, accipio, occupo*. Act. 3, 21. XXIV. διαβεβαιόομαι *confirmo, aſſevero*. Tit. 3, 8. XXV. διαδέχομαι *accipio, ſuccedo*. Actor. 7, 45. XXVI. διαστέλλομαι *praecipio*. Marc. 7, 36. XXVII. διϊσχυρίζομαι *aſſevero*. Luc. 22, 59. XXVIII. δύναμαι *poſſum*. Marc. 6, 5. XXIX. ἐκδέχομαι *expecto*. 1 Petr. 3, 20. XXX. ἐκλέγομαι *eligo*. Luc. 10, 42. Nobis, eius verbi activum ſæpe de *vectigalibus exigendis*, de *ſeligendis notandisque ſententiis*, ſimilibus, in optimis græcorum poſitum, obſervatum eſt. XXXI. ἐμβριμάομαι *graviter*, & quaſi *cum fremitu interminor*. Marc. 1, 43. XXXII. ἐντέλλομαι præcipio. Ioh. 15, 14. XXXIII. ἐνυπνιάζομαι ſomnio. Actor. 2, 17. XXXIV. ἔρχομαι *venio*. Ioh. 8, 14. etiam idem quod ἀπέρχομαι *abeo*. Actor. 28, 14. XXXV. εὐλαβέομαι *vereor*. Act. 23, 10. XXXVI. εὔχομαι *opto, precor*. Rom. 9, 3. XXXVII. ἡγέομαι *duco, exiſtimo*. Philipp. 2, 6.

Digitized by Google

2, 6. XXXVIII. *ἰάομαι ſano.* Luc. 2, 18. in genere autem eſt *iuvo, malo libero.* XXXIX. *ἱμείρομαι deſidero, cupio.* 1 Theſſ. 2, 8. XL. *καταράομαι execror.* Matth. 5, 44. XLI. *κατασοφίζομαι callide alicui impono, opprimere cogito.* Act. 7, 19. XLII. *λυμαίνομαι vaſto.* Act. 8, 3. XLIII. *μαίνομαι inſanio.* Actor. 26, 24. XLIV. *μαρτύρομαι teſtor.* Gal. 5, 3. etiam *rogo, obteſtor.* Epheſ. 4, 17. XLV. *μοιχάομαι adulterium committo.* Matth. 5, 32. XLVI. *ὄπτομαι video.* Matth. 5, 8. XLVII. *ὀρχέομαι ſalto.* Matth. 14, 6. XLVIII. *παραβουλεύομαι nullam alicuius rei rationem habeo, minus conſulo.* Phil. 2, 30. XLIX. *παραιτέομαι recuſo.* L. *πολιτεύομαι rempublicam rego,* de quibus duobus verbis ſupra. LI. *πραγματεύομαι negotior.* Luc. 19, 13. LII. *προηγοῦμαι praefero.* Rom. 12, 10. LIII. *προσδέχομαι ſuſcipio.* Luc. 15, 2. LIV. *προσεργάζομαι lucrifacio, acquiro.* Luc. 19, 16. LV. *προσεύχομαι precor.* Luc. 11, 1. LVI. *προχειρίζομαι praeparo.* Actor. 22, 14. LVII. *σέβομαι colo.* Matth. 15, 9. LVIII. *σημειόομαι noto, ſigno.* 2 Theſſ. 3, 14. LIX. *ὑποδέχομαι excipio.* Luc. 19, 6. LX. *χαρίζομαι dono, condono.* Rom. 8, 32. LXI. *ψεύδομαι mentior.* Actor. 5, 3. LXII. *ὠνέομαι emo.* Act. 7, 16. LXIII. *ὠρύομαι rugio* 1 Petr. 5, 8.

En tibi, Lector, verba N. F. media, quæ primus omnium Dreſigius ſelegit, digeſſit, explicavit. Quodſi quædam prætermiſſa, ut nos quidem verbum *ὁμολογεῖσθαι, πειρᾶσθαι,* alia pauciſſima, deſideravimus; ſique nonnulla aut loco non ſuo poſita, aut ita explicata videbuntur, ut magis ingenii acumen, quam vera loci ſententia appareat: nonnullam Viro doctiſſimo, & de græcis litteris meritiſſimo, atque eam inprimis veniam dabis, quam in operis prooemio, hunc in modum á te petit: „Quodſi quædam induſtriam noſtram, quæ „eſt imbecillitas humana, effugerint, in duabus maxime prio„ribus ſectionibus; nam tertiam huic loco non propriam mi„nus curamus: facile ab æquis rerum æſtimatoribus nos ve„niam impetraturos confidimus, propterea, quod primi, „quod ſcimus, hanc ex ſacris materiam ex inſtituto ſumus ag„greſſi, nec ulla res eſt, quæ non, a tenui profecta initio, ad

„ſummum paullatim faſtigium tenderit. Nec minus faciles „ſperamus iudices in iis, quæ coniectura quadam nituntur. „Etenim non inficiamur, nos in nonnullis, noſtro nixos ingenio, coniecturas feciſſe. Quibus ſi nimis forſitan indulſimus, excuſabit nos quodammodo novitatis ſtudium, & „amor, quo in res ſuas feruntur omnes."

CAROLI FERDINANDI HOMMELII, Iuris Feodalis in Acad. Lipſienſi Prof. Ord. Oblectamenta iuris Feodalis, ſive Grammaticæ Obſervationes, ius rei clientelaris & Antiquitates Germanicas varie illuſtrantes.

Lipſiæ, ſumtibus Ioh. God. Dyckii 1755. pl. 20. in 4.

Titulo libri huius elegantiſſimi præmittitur icon aeri inciſa, ſiſtens computationem graduum veterum Germanorum, comparatam computationi Canonicæ, in figura hominis, dextra haſtam, ſiniſtra colum tenentis; cui delineationi, ut ex p. 106. diſcimus, anſam præbuit Spec. Sax. L. I. art. 3. Grammaticæ obſervationes adſunt numero XI. *Obſervatione* I. nomen Vaſalli derivatur a baſſus, *einen Unter*, adſcito chartiludio, tamquam rei feodalis imagine. II. Valvaſſoris radix *Verweſer* eſſe dicitur; dein III. non tres, ſed quatuor vaſallorum ordines fuiſſe obſervatur, Capitanei, milites maiores, milites minores, & Valvaſini. *Obſ.* IV. omnium vetuſtiſſimum de feodis ſub Clodoveo teſtimonium exhibet, ex teſtamento Remigii, obvio apud Briſſonium L. VII. de Formulis. *Obſ.* V. præ ſe fert, omnem feloniam anno exſtingui, ſive, privatoriam actionem annalem eſſe. Occurritur ea Roſenthalio, qui hanc actionem XXX. annis finiri aſſeruit. Si cui annus nimis contractum anguſtumque huius vindictæ ſpatium videatur, non repugnat A. ſi ſuo, quem præfinivit, anno, quinquennium ſubſtituere, aut quadriennium velis: ſed ut per XXX. annos trahatur huius delicti memoria, conceſſurum ſe nemini profitetur, graphice finiens caput hac ſententia: poenam poſcere permiſſum, ignoſcere honeſtum, ſero

ſero punire abſurdum eſt. Hoſtenditiæ *Obſ.* VI. explent. Eæ hic appellatæ eſſe dicuntur, quaſi Hoſten Dezen, quia ſervitia militaria olim decima parte fructuum adærata, quod firmatur auctoritate ſpeculi Suevici, & Saxonici. Quæritur poſthac *Obſ.* VII. cur matrimonium ad morgengabam dicatur *Vermählung zur lincken Hand?* & reſpondetur, id ideo fieri, quia liberi ex eiusmodi matrimonio progeniti, pertinuerint *zur ergern Hand:* eo quod agnati manum dextram, cognati ſiniſtram, in veteri conſanguinitatis corpore occuparint: quo etiam collineat laudata icon, titulo libri præmiſſa. *Obſ.* VIII. lectu digna de inveſtitura per clypeum afferuntur, fere ad mentem Ludwigii. Unde cornua ſint, diſquiritur in *Obſ.* IX. Docetur, cornua, quæ Heraldici bubalica vocant, buccinas fere venatorias eſſe; & venationem regalibus accenſendam, contra Bilderbekium & Strubenium, novis documentis demonſtratur. Quæſtionem, cur maritus, uxoris adulteria patienter ferens, cornutus appelletur? excipit ingenioſa Hanreorum hiſtoria. In *Obſ.* X. oſtenditur, iam Seculo XI. & magis XII. cognomina nobilium hereditaria eſſe coepiſſe, et iam anno 1399. voculam *von* nobilitatis notam habitam fuiſſe. Inſcribitur hæc obſervatio, de particula *von*, noſtris temporibus nobilitatis charactere. In *Obſ.* XI. barbara vocabula 163. *iuris feodalis* latinitate pura donantur. Sequitur *de ſucceſſione feodali* liber ſingularis, continuatis numeris continens obſervationes IIX. Earum I. quæ ordine XII. inſcribitur, de origine vocis *Sipzahl* agitur. Iſtam doctiſſ. Auctor non a numero ſeptenario, ſed, quod longe veriſimilius, a voce *Sip,* truncus, ſeu ſtipes, derivat, ſuadente id Iuris Germanici proverbio: *Ie näher dem Sib, ie näher dem Erbe.* *Obſ.* XIII. commentarius eſt in I. f. 1. eoque id præcipue agitur, ut demonſtretur, longe ante Conradi Salici legem, filiorum, nepotum, & omnium deſcendentium iam in uſu fuiſſe ſucceſſionem; legem vero Conradi non deſcendentium ſucceſſionem primum ſtabiliiſſe, ſed tantummodo ius repræſentationis induxiſſe. Beneficia ad collaterales tranſire quando coeperint in Germania, diſquiritur in *Obſ.* XIV. quæ evincit, id,

Digitized by Google

ratione feudorum provincialium, (Imperialia enim iam tempore Conradi ad collaterales tranſibant,) ſeculo XIV. & XV. contigiſſe. quo ipſo refutantur atque confodiuntur, quæ in Gundlingianis dicuntur, Henricum VI. Imperatorem, abrogata ſimultanea inveſtitura, iam omnes extra Saxoniam militias hereditarias effeciſſe. Quæ alias ſententia a plerisque defenditur. Graduum computationem, veteribus Germanis uſitatam, ſiſtit *Obſ.* XV. quod argumentum neque apud Heineccium, neque alios, qui iuris Germanici elementa compoſuerunt, explanatum invenies. Probatur plenius, gradus in ſucceſſionibus feodalibus canonice computari, quod fugit Struvium, aliosque. Computationem canonicam non inveniſſe Romanos Pontifices, ſed Germanicas gentes ſecum in Italiam apportaſſe, contendit ingenioſiſſimus Auctor in *Obſ.* XVI. qui ſucceſſionem feudalem, quæ linealis dicitur, accuratiſſime cum legibus XII. Tabb. convenire, docet in *Obſ.* XVII. De ſucceſſione in beneficiis hodierna, agit *Obſ.* XVIII. cui etiam Schema aëri inciſum inſeritur. Notabile hic, apud Saxones, ratione iuris repræſentationis, in allodiis, ius Germanicum vetus obtinere: in Feudis, Ius Romanum. Neque illud prætermittendum eſt, quod p. 132. dicitur; *Textorem* atque *Schilterum* in tot logomachias non fuiſſe venturos, ſi lineam a latere diſtinguere noviſſent. De ſucceſſione ſimultanee inveſtitorum agit *Obſ.* XIX. eademque ultima, in qua illa enuntiatio ceteris facile palmam præripit, qua oſtenditur, hodiernam inveſtituram ſimultaneam nihil aliud eſſe, niſi quandam in integrum reſtitutionem, & in ſe fictionem continere eam, ut, quod diviſum eſt beneficium, non diviſum videatur.

En tibi, Lector, brevem cultiſſimi libri delineationem, quem utilitasne materiæ, an vis ingenii, an denique dicendi dulcedo & ſuavitas, magis commendet, dictu difficile eſt. Præſtitit hac opera Excell. Auctor, ut neminem impoſterum fore exiſtimemus, cui ius clientelare triſte, barbarum, & elegantiæ incapax videatur. Quam rationem ſcribendi ſi omnes iuris clientelaris interpretes imitarentur, illud profecto inde ſequeretur, ut, quod latericium a maioribus accepimus, mox marmoreum, imo aureum, habeamus. ME-

Digitized by Google

MEMORIE DI VARIA ERUDIZIONE DELLA Società Colombaria Fiorentina.

i. e.

COMMENTARII VARIÆ ERUDITIONIS, Societatis Columbariæ Florentinæ. VOL. I.

Florentiæ 1747. Alph. 1. plagg. 21. cum 29. fig. ſeparatim æri inciſis, in 4.

Inſtitutor huius Societatis fuit Io. Hieron. Pactius, Patritius Florentinus, mortuus MDCCXLVII. cuius effigiem ſiſtit numus inſignis magnitudinis ad p. 27. vitam notitia ipſa huius Societatis p. 33. Sigillum, cuius ectypus etiam in titulo repræſentatur, ſunt duæ columbæ collabellantes, cum inſcriptione: mutuis officiis S. C. (Societas Columbaria). Dedicatur hoc volumen, nomine omnium Sociorum Franciſco Imperatori. Præfatur *Antonius Franciſcus Gorius:* quem, dum iſta ſcribimus, fatis conceſſiſſe, vehementer dolemus. Coepit Societas A. MDCCXXXV. exemplo Societatis Academiæ Franco-Gallicæ, quæ privatis eruditorum conventibus apud Thuanum quodammodo originem debet; & Coronulæ, *des Cräntzleins,* Lipſienſis, cuius originem ex ædibus Io. Burcardi Menckenii, fide filii, Caroli Menckenii, repetit Cl. Gorius, cuius facundia lectorem per totam hanc notitiam vehementer capit.

Diſſertatio I. Dn. *Ioannis Paſſerii*, inſcripta Cardinali Angelo Mariæ Quirino, Statuas duorum Puerorum nudorum, cum Inſcriptionibus Hetruſcis, inventas Cortonæ, & illatas Muſeo Equitis Coratii, illuſtrat. Deos Lares iis deſignari cenſet Eruditiſſ. Auctor, quum e collo eorum bulla propendeat, & eius bullæ mentio fiat apud Scholiaſten Perſii, in verbis:

Bullaque ſuccinctis Laribus donata pependit.

Illis Primitiæ menſarum offerebantur, quo hic referuntur verba Varronis apud Nonium 15. 6. Oportet bonum civem legibus parere, & Deos colere, in patellam dare μίκρον κρεάς. In femore unius horum Larium inſcriptio Hetruſca legitur, quo bene applicantur verba Apocalypſeos 19, 16. de equite,

in

in cuius veſtimento & femore ſcriptum erat, Rex regum & dominus dominantium. In fine diſertiſſimæ diſſertationis huius lux accenditur Inſcriptionibus, quarum mentionem iniecimus, Hetruſcis.

Eiusdem Auctoris eſt Diſſertatio II. de Oſſilegio, inſcripta Franciſco Antonio Zachariæ, e Societate Ieſu. Inter figuras aeri inciſas eminet crater aſperſorius, quo cineres defunctorum vino, unguento, lacte, melle, ſanguine adſpergebantur. Iam in LL. XII. Tabb. vetitum quidem erat, homini mortuo oſſa ne quis legeret, quo poſt funus faceret; ſed hoc tam ſtricte non fuit obſervatum, quin membro defuncti, nempe digito deciſo, in eo, tanquam toto ſuper cadavere, iuſta perſolverentur: nam iniecta huic demum gleba, corpus dicebatur humatum, ob membrum humo tectum.

Diſſertatione III. *Ludovicus Antonius Muratorius* agit de Servis & Libertis Antiquis. Refellit ibi Laurentium Pignorium, qui in Tractatu ſuo de Servis, & eorum apud veteres miniſteriis, officia ſervorum & libertorum miſcet. Oſtendit autem Muratorius, ſervis viliora, libertis honoratiora miniſteria demandata fuiſſe. Medicos quoque Pignorius ſervis accenſet, uſus auctoritate Pauli Oroſii L. VII. c. 3. Verba eius hæc ſunt: *Adeo dira Romanos fames ſequuta eſt, ut Caeſar Laniſtarum familias, omnesque Peregrinos, Servorum quoque maximas copias, exceptis Medicis & Praeceptoribus, trudi urbe praeceperit.* Sed hanc exceptionem ad Peregrinos, non ad Servos referendam eſſe, cum ex veteribus Inſcriptionibus, tum ex L. Patronus ff. de Operis libertorum, probat Muratorius. *Plerumque Medici*, ait in ea Iulianus, *ſervos eiusdem artis Libertos producunt, quorum operis perpetuo uti non aliter poſſunt, quam ut eas locent.*

In IV. Diſſertatione *Marius Guarnaccius* de LL. XII. Tabb. diſſerit, oſtendens, eas fontem eſſe omnium legum Romanarum. Poſtquam dilucide ante oculos lectoris poſita eſt utilitas legum, concinna totius Iuris Romani proponitur Hiſtoria. Auctorum, qui laudantur, recentiorum, præcipui ſunt Gravina, & Brunquellius.

Diſ-

Digitized by Google

Diſſertatione V. & VI. Academicus Columbarius Anonymus excuſationem parat prodigiis a Livio narratis. Scilicet, aniles ineptias ſapit, quando apud Livium boves loquuntur, ſcipiones ſponte ardent, Deus Annibali apparet, infans ſemeſtris triumphum clamat. Sed obſervat Auctor, primo qualemcunque Numinis cultum ἀθεότητι debere præferri; deinde Dionem, Appianum, Pauſaniam, Plutarchum, reliquos, non minus quam Livium hunc morem prodigia narrandi ſecutos eſſe. Livium ipſum ſatis ſuperſtitione abſolvi, quando addat, nunciatum eſt, fertur, dicitur. Eximius huc pertinens locus legitur L. XXI. c. 62. *Romae, aut circa urbem, multa ea hieme prodigia facta: aut, quod evenire ſolet, motis ſemel in religionem animis, multa nunciata, & temere credita ſunt.* Lucanum, cuius verba late adducuntur, eo tempore, quo Cæſar Romæ appropinquavit, plura prodigia ſimul coadunare, quam in toto Livio occurrant. Eſſe præterea inter hæc prodigia complura, quæ naturaliter accidant, veluti quum ſtatuæ ſudaſſe dicuntur, quod pluviæ tempore ſæpe accidit: alia, quæ rarenter contingant, ut cometæ, barathra, ſereno cælo tonitrua, & quod L. I. c. 56. adfertur, portentum terribile, anguis ex columna lignea elapſus. Tertium genus, idque plane præternaturale, veluti quando in monte Albano lapidibus pluiſſe dicit Livius, artibus diabolicis fieri potuiſſe, putat Auctor. Plane, ut Ioſuæ X. 11. legitur: *Dominus miſit lapides magnos de caelo.* Niſi dicere malis, grandinem, de qua loquitur Livius, tam duram fuiſſe, ut comparative lapides dicerentur: quam rationem ſimilitudinis Claudianus etiam ſecutus eſt, quando ait:

Quid trahat imbriferas nubes, quo ſaxa creentur
Grandinis.

Potuiſſe quoque ventum hos lapides ſuſtuliſſe cum pulvere, potuiſſe tolli per verticem, addit: & quum cælum viſum ſit ardere plurimo igni, aut nocte multa lux clara effulſerit, auroram borealem viſam fuiſſe putat. Bos femina locuta, mugitu in ſermonem humanum converſo, audientium Auctori animos exterruiſſe videtur, eo modo, quo augures apud Vale-

rium Maximum, ex inſolito vaccæ mugitu, hæc verba collegerunt: Cave tibi Roma. Unde in fine additur, quando Gregorius M. Livii volumina comburi feciſſe dicitur, quod ibi multa narrentur de ſuperſtitionibus idolorum, id improprie de ſacrificiis, de cerimoniis, & cultu falſorum deorum intelligi debere.

Diſſertatione VII. *Iohannes Dominicus Bertoli*, Canonicus Aquileienſis, illuſtrat monumentum vetus, quod ei inſigne militare fuiſſe videtur, unum ex iis, quæ, introducto a Conſtantino M. Labaro, ad ſimilitudinem eius conflata, & legionibus prælata ſunt. Simile certe eſt iis ſignis militaribus, quæ exhibet Bandurius T. II. p. 233. & 401. &, præter Monogramma Chriſti, exhibet litteras A. & Ω. Appendit in aere libras IV. quod mirum videri non debet in ſigno militari legionario, cui robuſtiſſimus quisque miles vix ſufficere poterat.

Sequitur Compendium Methodi Analyticæ, qua uſus eſt Dn. Eques *Io. Bapt. de Baillou*, Academicus Societatis Columbariæ, in ſuo magno Opere, quod continet Tractatum univerſalem, lapidum pretioſorum, metallorum, mineralium, & aliorum foſſilium. Mira eſt modeſtia Dni Equitis, in Epiſtola ad Gorium, quando Eruditi nomen recuſat, & ſolo Amatoris elogio contentus eſt, quamvis Muſeum Naturalium ſplendidiſſimum collegerit. Commentarius ipſe lingua Franco-Gallica ſcriptus eſt.

Pars prima agit de mediis analyticis particularibus, quibus uſus eſt ſagaciſſimus Auctor, in Hiſtoria ſua naturali. Notabile eſt, quod hic p. 180. dicitur, eſſentiam gemmarum non in colore, ſed in duritie quærendam eſſe, mineras arboribus ſimiles eſſe, & ut has habere ſuos ramos; p. 188. in delineandis figuris ſibi valde prodeſſe microſcopium ſolare, a ſe ipſo confectum, quod culicem ſiſtat in magnitudine equi; acidum Antimonii elici poſſe in tempeſtate humida, non in ſicca p. 199. Analyſi metallorum, per ſpeculum ardens, vix per totum annum dies octo idoneos eſſe p. 202.

Secunda pars diſtributionem ſiſtit Tractatus univerſalis, de lapidibus pretioſis, Metallis, Mineralibus, & aliis foſſilibus. VII. Voll.

Voll. in folio deſtinabatur deſcriptio huius Collectionis: quorum contenta hic exponuntur. Pergimus excerpere, quæ lectu digna viſa ſunt. Corallium eſt planta marina, non inſectum marinum p. 208. Petrificata nec omnia, nec nulla, referri debent ad diluvium p. 211. Proponitur deinde p. 215. quæſtio, an unum tantum genus acidi detur, vel utrum cuivis obiecto ſuum acidum inſit ſingulare? & tum p. 225. Dni Philippi de Stoſch Muſeum laudatur, quod plura id Monumenta Antiquitatis contineat, quam ullum aliud Viri privati. Brevem Deſcriptionem Muſei Bailloviani excudi fecerat, inſcio Collectore, vir iuvenis erecti ingenii, Ioannonus de S. Laurentio. Is, ne id ægre ferret Poſſeſſor, humaniſſimis ab eo precibus contendit in Epiſtola adiecta.

Num. IX. ſumma Annalium XII. Societatis Columbariæ proponitur. Per eam memoria conſervatur IX. lapidum pretioſorum, aeri ſimul hic inciſorum, quos die 12. Martii 1746. exhibuerat Generoſiſſ. de Baillou. Articulus huius Voluminis X. continet novam Propoſitionem, qua ratione Ars Diplomatica utilior fieri poſſit Reipublicæ Litterariæ, inſcripta Comiti Iohanni Mariæ Mazzuchelli ab Academico Societatis Columbariæ, *Dominico Maria Manni*. Eam perlegentibus, nobis primum memorabile viſum eſt Epigramma in Caſam, p. 248. utpote noſtris minus cognitum:

Cur Caſa, miraris, merito non fulgeat oſtro?
Id formica ſalax parvula praeripuit.

Deinde rem relatu dignam referre nobis viſus eſt locus ſequens p. 254. Narrat Benvenutus de Imola, Iohannem Boccacium aliquando acceſſiſſe *ad nobile Monaſterium Montis Caſſini, avidum videndi Librariam, quam audiverat ibi eſſe nobiliſſimam. Petivit ab uno Monacho humiliter, velut ille, qui ſuaviſſimus erat, quod deberet ex gratia ſibi aperire Bibliothecam. At ille rigide reſpondit, oſtendens ſibi altam ſcalam: aſcende, quia aperta eſt. Ille laetus aſcendens, invenit locum tanti theſauri, ſine oſtio vel clavi; ingreſſusque vidit herbam natam per feneſtras, & libros omnes cum bancis coopertos pulvere alto. Et mirabundus coepit aperire nunc iſtum librum, nunc illum, in-*

Digitized by Google

venitque ibi multa & varia volumina antiquorum & peregrinorum librorum, ex quorum aliquibus erant detracti aliqui quinterni, ex aliis reciſi margines chartarum, & ſic multipliciter deformati. Tandem miſeratus, labores & ſtudia tot inclytorum ingeniorum deveniſſe ad manus perditiſſimorum hominum, dolens & illacrymans receſſit. Et occurrens in Clauſtro, petivit a Monacho obvio, quare libri illi pretioſiſſimi eſſent ita turpiter detruncati. Qui reſpondit, quod aliqui Monachi volentes lucrari duos vel quinque ſolidos, radebant unum quaternum, & faciebant pſalteriolos, quos vendebant pueris; & ita de marginibus faciebant brevia, quae vendebant mulieribus.

Poſtremo, eodemque XImo loco, XIV. Inſcriptiones veteres, cum Latinæ, tum Græcæ, comparent. Earum S. hæc eſt:

D. M.
VALERIAE. CASTAE. OPTIM
FEMINAE. CVM. QVA. VIXI. AN
XXII. SINE. VLLO. STOMACHO
D. IVLIVS. DOLES. CONIVNX. EX
ARMICVSTODE. VETERANO
B. M. F.

In fine in XIX. tabb. aeri incisa exhibentur fruſta Marmorum, ſignantur Tabulæ litteris Alphabeti, inde ab A. usque ad T. incluſive.

CHRISTIANI GOTTLIEBII BUDERI, D. Conſil. Aul. Sax. Iuris Publici, Feudalis, & Hiſtoriar. P. P. O. Facultatisque Iuridicae Senioris in Academia Ienenſi, σύμμικτα obſervationum & opuſculorum, ex monimentis, diplomatibus, ac ſcriptoribus fide dignis erutarum.

Ienæ 1756. typis Schillii, 12 plag. in 8.

Buderus, V. celeberr. quam conſecutus eſt gloriam, non ſolum adhuc præclare tuetur, ſed etiam hoc edendo elegantiſſimo libello apprime auget. Pertractat in eo quædam haud vulgaria argumenta. Duodecim obſervationes pro-

profert, quas ſuo iam ordine recenſebimus. Prima agit de emancipatione canonica, in Capitulis Germaniæ. Vir Ill. §. 2. emancipationem actum eſſe contendit, quo declaratur, Canonicum de poteſtate & diſciplina Scholaſtici eſſe dimiſſum, virtute, bonis moribus, & litteris ita excultum, ut ad ſubeunda, ſecundum ſtatutorum & legum eccleſiæ normam, officia canonica, habilis videatur. Partem præbendæ minus plenæ Canonicis ſcholaribus nondum emancipatis adſignatam, magiſtro ſcholarum competiiſſe, cel. A. egregio loco, ex ordinatione Conradi Sabinenſis Epiſcopi deſumto, confirmat. Deinde ætatem emancipandi, annum vel 20. vel 21. fuiſſe, §. 8. 9. docet. Hæc, & alia, quæ Auctor in hac obſervatione in medium protulit, & utilitate ſua, & iucunditate, ſe commendant. Secunda obſervatio de Imperatore diacono inſcribitur. Hæc, optimis ſcriptorum teſtimoniis, Carolum IV. Sigismundum regem, & Fridericum tertium, diaconorum munere eſſe functos, comprobat. Tertia obſervatio, de confirmatione pontificia Epiſcoporum & Prælatorum Germaniæ agit. Quæ Vir celeb. de confirmatione Epiſcoporum adtulit, ea ex Thomaſſini opere veteris & novæ eccleſiæ diſciplinæ deſumſit. Vindicat Ill. Auctor, merito, §. 5. regibus & imperatoribus veterum Francorum & Germanorum confirmationes. Concordatum Wormatienſe, quod Henricus V. cum Calixto papa II. iniit, hanc imperatorum poteſtatem fregit. Varia Germaniæ epiſcopis onera fuiſſe impoſita, Ill. Auctor §. 8. monuit. Deinde de concordatis, in concilio Conſtantienſi initis, & de gravaminibus nationis Germanicæ contra ſedem apoſtolicam, nonnulla eleganter adfert. Epiſcopos, qui ab imperatore de regalibus inveſtituram petebant, bulla pontificia confirmatoria inſtructos eſſe decebat. Varias, qui confirmationem peterent, redimere bullas oportuit, quæ §. 24. recenſentur. Recentiori tempore, cura rerum ſpiritualium pontifici quidem fuit commiſſa, at Electoratus, principatus, archiofficia, regalia, iuraque territorialia, ad eum nullo modo pertinent, id quod §. 26. comprobatur. Celeb. Auctor quasdam clauſulas, ex bullis ſcriptis decerptas, §. 28. adfert, litesque in electionibus exci-

Digitized by Google

citatas, §. 30. adducit. Ad quartam venimus obſervationem, quæ formam iudicii imperialis aulici ſub Carolo IV. exponit. Poſſidet Ill. Auctor chronicon quoddam Hala-Magdeburgenſe. Conſcriptum eſt illud a clerico Magdeburgenſi, qui nomine civium eius urbis, procuratoris partes coram iudicio aulico Caroli IV. ſuſtinuit. Locum de hoc argumento, memoria dignum, ex hoc chronico huic libello inſeruit. Quinta obſervatio de iudicio provinciali Waſungenſi, in comitatu Hennebergico, inſcribitur. Origines huius iudicii Ill. Auctor ex privilegio Alberti I. Auſtriaci Romanorum regis deducit. Hic rex illud Bertholdo comiti de Hennenberg conceſſit, quod Buderus diplomatibus Henrici VII. comprobat. Iam obſervationes de iurisdictione iudicii Weiſſenburgenſis, (*Staffel-Gericht* dicti,) ſequuntur. Septima obſervatio eſt de iuramentis ad reliquias, & formula iurandi: *als mir Gott helfe und alle Heiligen.* Reliquiæ ſanctorum & Francis viſæ ſunt ſacræ. Adferebantur iſtæ ex regionibus peregrinis. Vir Celeb. earum uſum in cauſſis iudiciariis & iuramentis monſtrat. Adfert locos ex priſcis ſcriptoribus, in quibus eiusmodi iurisiurandi fit mentio. Miramur tamen, inſignem locum, qui in *ſpecul. Saxon. libr. 2. art. 4.* his verbis legitur: *wenn er ſich dann auf den Heiligen auszeucht,* ſilentio præteriiſſe. Poteſt enim ille ex hoc ritu illuſtrari. Hunc vero morem, ad ſacras reliquias iurandi, in regnis ſeptemtrionalibus quoque eſſe ſervatum, celeb. Auctor probat. Octava obſervatio de tutela inſignium imperii, ſub Friderico III. perilluſtri reipub. Norimbergenſi adſerta, agit. Obſervat vero Auctor, Imperatorem Fridericum III. quamvis multæ Sigismundi, Alberti II. aliorumque confirmationes, tutelam inſignium imperii Norimbergenſibus conceſſiſſent, ab illis tamen reſtitutionem petiiſſe. Teſtimonio anonymi cuiusdam, quem Auctor in præclara ſua librorum ſupellectile aſſervat, confirmat, Iurisconſultos Patavinos eam Cæſaris poſtulationem improbaſſe. Addit quoque iſtorum reſponſa. Nona obſervatio de præfecto urbi, ad tempora usque Rudolphi Habsburgici, diſputat. Ill. Auctor, poſt amiſſam a Græcis Imperatoribus Romam, noſtris Imperatoribus, ius præfectum urbi conſtituendi com-

competiiſſe, affirmat. Innocentius papa III. primus eam ſibi poteſtatem vindicavit. Poſtea ſæpius pontifices Romani, in exercendo hoc iure, fuerunt turbati. Hoc loco Auctor egregie fata huius iuris exponit. Denique Vir Ill. commercium epiſtolicum, de tentata reductione principis proteſtantis ad ſacra Romana, huic libello adiecit. Poſt inſertum nimirum paci religioſæ anni 1555. reſervatum eccleſiaſticum, ſociis proteſtantium haud facilis aditus ad epiſcopatus patuit. Multi igitur, qui metuebant, ne epiſcopatus amitterent, ad ſacra Romana reverti voluerunt. Exemplo eſſe poteſt Chriſtianus, Dux Brunſuicenſis & Luneburgicus. Hinc princeps Mindenſium epiſcopus fuit poſtulatus. Exaravit igitur ad pontificem Romanum, Clementem VIII. litteras, quibus pollicetur, ſe eſſe ad ſacra Romana rediturum. Commercium litterarium, quod de hac tentata principis reductione ad eccleſiam pontificiam initum fuit, Ill. Buderus ex collectaneis, Antonii Heringii ICti manu exaratis, cum lectore communicavit. Plures Vir celeberr. in ſua bibliotheca adhuc codices manu deſcriptos aſſervat, qui multis diſciplinis lucem affundere poterunt. Nihil ergo magis optamus, quam ut pergat in poſterum, plura monimenta incognita in lucem liberaliter emittere.

DE ALDI PII MANUTII ROMANI VITA meritisque in rem litteratam, Liber Ungeri ſingularis, auctus cura & ſtudio Samuelis Lutheri Geret, A. M. Thorunenſis Poruſſi, ordinis philoſophorum Vitembergenſium aſſeſſoris ordinarii, regiæ Goettingenſis ſcientiarum ſocietatis amici, ibidemque regiæ Teutonicæ ſodalis.

Vitembergæ typis Schefflerianis 1753. 1 Alph. 9 plag. in 4.

Auctor, qui brevi poſt huius libri editionem tempore, Profeſſor Publicus philoſophiæ extra ordinem in academia Vitembergenſi conſtitutus eſt, omnino laudem meretur, quod hunc librum cum eruditis communicavit. Unge-

Ungerus, qui olim in Sileſia oracula divina interpretatus eſt, Aldi Manutii merita digna eſſe iudicavit, quæ pluribus poſteritati traderentur. Enarravit illa in hoc libro, quem annotationibus Gereti V. Cl. auctum fuiſſe, lætamur. Præfationem editor præmiſit, in qua vitam Ungeri expoſuit, & quid in hoc libro præſtiterit, commemoravit. Diviſit vero totum opus in tres ſectiones, quarum prima de vita & meritis Aldi inſcribitur. Annum Aldi natalem, nec non eius parentes, haud certo indicari poſſe, Ungerus affirmat. Tamen, haud ab obſcura gente originem duxiſſe, pluribus monſtrat. Uſus vero fuit ſæpius cognominibus Baſſionatis, & Pii, cuius rei ratio redditur. Romam, aut agrum Romanum, Aldi fuiſſe patriam, auctor annotat, eiusque progreſſus in litteris exponit. Origines officinæ Aldi typographicæ, eiusque induſtria in auctoribus priſcis emendandis, laudatur. Recentiorum quoque ſcripta ex officina ſua in lucem prodire iuſſit. Auctor typorum Aldinorum indolem, privilegium arti Aldinæ Venetiis conceſſum, fataque academiæ Aldinæ, enarrat. Bene vero Ungerus annotat, libros ab ipſo Aldo typis impreſſos, ab editionibus Aldinis eſſe ſecernendos. Accurate quoque Ungerus fautores, qui Aldi præclarum inſtitutum adiuverunt, recenſuit. Ipſi pontifices, Alexander papa VI. Iulius II. & Leo X. eum decretis ampliſſimis ornarunt. Plura edidit Aldus eruditionis monimenta, quæ ſuis typis mandavit. Duxit vero Aldus uxorem filiam Andreæ Aſulani, ex qua quatuor ſuſcepit liberos, Antonium nimirum, Manutium, Paulum, & Franciſcum. Tandem Auctor anno CIↃIↃXV. ex vita migraſſe contendit, elogiumque a Baptiſta Egnatio, Marco Muſuro, & Sylveſtro Aldobrandino, Aldi manibus conſecratum, addit. Sectio ſecunda in Andreæ Chevillerii iudicium, inque Maittairii obſervationes ad illud, inquirit. Chevillerius, bibliothecæ Sorbonicæ erat præfectus, opusque conſcripſit, cui nomen eſt: Origine de l' imprimerie de Paris. Cum ex hoc Chevillerii opere, tum ex Maittairii annalibus typographicis, ea in hoc libro adducuntur, quæ vitam fataque Aldi illuſtrant. Hi loci excerpti, multa lectu omnino digna continent. Tertia denique Sectio multitudinem librorum, ab anno CIↃ CCCCLXXXXIIII. ad CIↃIↃXV. apud Aldum editorum, complectitur.

Tandem obſervationes Gereti in hunc Ungeri librum leguntur. Vir clar. præclaro ſtudio recentiorum auctorum de Aldo iudicia adtulit, induſtriaque laude digna multa, quæ ſcire omnino refert, collegit. Satis id teſtatur vel obſervatio de primo, qui ex Aldi officina prodiit, libro. Ad Sectionem II. & III. pauca quidem addidit, at memoria haud indigna. Denique Eraſmi Roterodami commentatio, quæ Aldi laudem, officinam, ſymbolumque frugiferum explicat, haud male fuit adiecta. Eo enim magis Eraſmo fides eſt habenda, quo certius conſtat, omnium optime Aldi fata eum perſpecta habuiſſe.

Digitized by Google

NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipſiæ

Calendis Iunii Anno MDCCLVII.

Pars I.

REPREHENSORUM IN OBSERVATIONIbus ſuper Iure Civili diverſorum liber ſingularis, cura IOH. LUDOV. CONRADI, I. U. D. Colleg. maiori Princip. in Acad. Lipſ. Colleg.

Lipſiæ apud Ioh. Chriſt. Langenhemium 1756. cum figur. æn. 15½ pl. octon. charta maiori.

Iuvat ipſa ponere verba Auctoris doctiſſimi, quibus in ultimo libri capite conſilium rationemque totius operis ipſe luculenter exponit. Eſt autem oratio ad quosdam veteres Iurisconſultos habita, in cuius fine poſtquam graviter queſtus eſt de multorum libidine, capita iuris non intellecta ſtatim emendandi, ſic infert: „*Illos autem, quibus par eſt honorem reprehenſionis haberi propter ſummam, quae ſtudioſorum iuvenum ſecura pectora deducit, auctoritatem, quod rectum & verum putabamus in commune pro viribus noſtris mereri, eo in libro, cuius ad vos mentionem iam ſervit Ulpianus, habito mediocri perſonarum delectu, quia non omnes poteramus, verborum ac capitum nullo, quod peccatorum, quaqua oculos feras, abunde deprehenditur, orationis genere licentiori accommodatoque ad facienda ridicula, quae, ut Horatio viſa ſunt, acri fortius ac melius res magnas plerumque ſecant, ceterum planis ac perſpicuis argumentis, atque adeo ipſius veritatis magna voce confutavimus.*“ Ac profecto ita ſeſe rem habere, quemadmodum dixit, ipſi legendo comperimus. Nam & magna eſt

Digitized by Google

eorum, quos reprehendit, ad pleroſque omnes auctoritas: & honor quidam reprehenſionis eſt, qua cum plures non careant, ipſe paucos admodum iudicio tuo dignos habeas. Etſi numerus eorum, qui reprehendi merebantur exempli cauſſa, ſatis & ipſe magnus eſt: neque, cum non omnes hoc libro poſſet, in horum quidem delectu magnopere laboravit noſter. Alios alio tempore deſumet, atque adeo iam deſumſit: quos, qui doctrinam & ſcripta illius amant, quæ certe amant qui Iurisprudentiam, veram illam & diſertam, proximis nundinis expectare poſſunt. Ipſa vero capita & loca, quæ in illorum ſcriptis reprehendit, plane citra delectum, non ut a bonis mala neceſſario ſeiungimus, verum qua ratione quibus in cauſſis paria peccata ſunt, ex una earum quavis indifferenter exempla petere ſolemus, propoſuit. Orationis genere uſus eſt, ut ipſe ait, licentiori: quod qui vituperare volunt, ipſi legem ſibi dicant, aliorum iudicio ſcribendi potius, quam ſuo. Sin hoc liberum nobis eſt, ingenio noſtro qui ſcribimus & naturæ obſequi: cur quod in ſua quisque perſona ius agnoſcit, in aliorum non admittat? Deinde genus illud orationis accommodatum erat ad ridicula: quæ quantam habeant ad errores coarguendos vim, qui non ipſe intelligit, ex oratione primum diſcat. Interim & argumentis utitur gravibus illis, & quæ adverſarium non tam premere videantur, quam iugulare. Neque tantum falſa rationibus validiſſimis convincit, ſed vera quoque oratione planiſſima & apertiſſima docet: ut ipſius adeo veritatis voce, cum vel docet, vel refellit, loqui videatur. Sed age breviter ipſum librum deſcribamus. Diviſus eſt in capita XIII, quorum ſingula ſingulas inſcriptiones habent. In prioribus tribus totidem capita reprehenduntur *obſervationum iuris*, quæ Hagæ-Comitum editæ ſunt anno 1743.

Primi capitis eſt *lectio vindicata* cap. 7. §. 3. tit. Dig. *de liberali cauſſa.* (*pag.* 7.) Verba Ulpiani ſunt hæc: *evenit igitur ut ei proſit, qui eum comparavit ſciens; quod alius ignoravit.* Ea corrigit illarum obſervationum iuris auctor hoc modo: *evenit igitur, ut ei proſit, qui ignoravit, quod alius eum comparavit ſciens.* Impoſuerant ei nempe verba Paulli cap. 5. tit.

Dig.

Dig. *quibus ad libertatem proclamare*, quæ verba falſo putabat eandem cauſſam, qua de Ulpianus loquitur, continere. Obiter commemorat noſter, iam libera republica non dubiam fuiſſe ſervitutem eorum, qui ſe lucri cauſſa vendidiſſent: quam in rem Paullum laudat cap. 23. tit. Dig. *de liberali cauſſa.* Et in addendis refert, in hanc eandem rem, Ioſephum Nerium uſum fuiſſe loco Ciceronis Parad. 5. Quod ſibi dictum putent, qui locum illum Ciceronis videri volunt omnium primi animadvertiſſe.

Secundi capitis eſt *obſervatio* cap. 12. §. 2. tit. Dig. *de furtis quae eſt Ulpiani declarata* (p. 17.). Eius hæc verba, *& ſic fit ut furti non teneatur & agat*, licet illa rationem habeant optimam & ſatis planam, ante noſtrum nemo quod ſciamus intellexit, cum in eis omnes aliquid corrigendum putent eſſe. Cuiacius, ubi verba habent *non teneatur*, particulam eiicit *non*: iſtarum obſervationum auctor illud *non* pro *non tantum* accipit, particulam autem *&* mutat in *ſet*, quod compendium vult eſſe ſcripturæ pro *ſed &*. Nam quod ex vocabulo *furti* furem furti fecit, ne referri quidem mereatur. Eam correctionem demonſtrat noſter vel per ſe concidere. Verba græca, quæ Cuiacius e locupletiori Baſilικῶν exemplo, quam quibus hodie nos omnes utimur, excitavit, in quibus negatio deeſt, interpretatur egregie valde; neque tam non obſtare quam prodeſſe docet particulæ *non* Ulpiano vindicandæ. Non enim, quod ſane miretur aliquis Cuiacium non animadvertiſſe, Græcum verbum ἐνάγεσθαι *teneri* ſignificat, ſed *conveniri*. Si quem Ulpianus ait *non teneri*, qui Græce vertit eius locum conveniri tantum dicit: an non eo verbo ſatis indicat illum non teneri? Sed omnes offenderunt eo, quod exiſtimarent cauſſam noſtri capitis convenire cum ea, quam Iulianus proponit cap. 48. §. 4. tit. Dig. *de furtis.* In quo vehementer eos falli noſter vincit, uſus inprimis loco Paulli, qui eſt ſentent. recept. Lib. II. tit. 31. §. 36. Alium præterea reprehendit errorem Gul. Fornerii, qui putat, in iſto capite diverſa tum Sabini, tum Ulpiani verba, coniunctim legi, diſtinguenda illa inter ſe addito cuiusque nomine. Profecto nihil in hoc

Digitized by Google

capite deſideramus, præterquam quod non ipſa quoque verba propoſuit huius antiquæ regulæ, cuius ipſe rationem tam luculenter expoſuit: Eius verba, quæ leguntur cap. 21. tit. Cod. *de furtis*, hæc ſunt: *qui habet adverſus alium furti actionem ipſe ea teneri non poteſt*. Si tamen, ubi præterea nihil ad plenam & perfectam diſputationem deerat, ibi teſtimonia capitum iuris adhuc deſideranda ſunt.

Tertii capitis eſt *particula ſua loco mota nunc interdicto reſtituta:* ad cap. 20. tit. Dig. *de damno infecto* (pag. 39.). Cuiacius negationem delet in his verbis, *quia refectio aedium ad eius ipſius onus non pertinet*. Haloander ita legit: *quia refectio aedium ad eum non ipſius onus pertinet*. Obſervationum Iuris Hagenſium Auctor negationem in comma ſequens reiicit: *non proprietarius, ideo quia uſitata ſtipulatio,* & quæ ſequuntur. Noſter cauſſam, quæ triplex eſt, conſtituit. Deinde formulam *ad eius onus non pertinet* hoc modo explicat: *refectio quae ad fructuarium pertinet non eſt onus, quod ei videatur impoſitum: quia quum refectio modica ſit eius impenſam homo frugi, qui diligenter induſtrieque res curat ſuas atque conſervat nullo ferre negotio poteſt*. Eam explicationem veram eſſe loco Marcelli docet, qui, cap. 7. §. 2. tit. Dig. *de uſufructu, modicam refectionem ad fructuarium pertinere* ait, *quoniam & alia onera agnoſceret uſufructu legato*. Nam ſi onus eſſet modica refectio, ad illum qui onera iam fert alia non pertineret. Sed quia non eſt onus, & ipſe tamen agnoſcit alia onera, ei ſe officio ſubtrahere non poteſt.

Quarti capitis, in quo Bynkershoekius reprehenditur, (pag. 53.) ſunt *emendationum bracteae aurum comicum:* ad cap. 1. §. 6. tit. Dig. *de legatis* III, *ubi* pro *fideicommitti quem* Bynkersh. inepte legit *fideicommitti rem:* ad cap. 8. §. 1. tit. Dig. *de legatis* II, in quo per ἀναδίπλωσιν legit *uni COntentus*, non ſatis latine quidem, & eius ipſius emendationis auctores Nerium ac Fabrottum diſſimulans: ad cap. 27. tit. Dig. *de condition. & demonſtrat.* in quo quem loquendi modum non intelligi conqueruntur, & aliter atque aliter emendant Fornerius ac Bynkersh. *tametſi in ſcriptura non tum eſſet*, bre-

breviter & perſpicue declarat noſter: ad cap. 14. §. 4. tit. Dig. *de religioſis*, ubi Bynkersh. pro *collocandam* reponit *collocandum* nulla ratione, cum *ſi quid impenſae factum ſit* præcedat, ſcilicet vel in marmor, vel veſtem collocandam: ad cap. 15. §. 15. tit. Dig. *de iniuriis*, in quo poſtrema verba *iniuriarum tenetur* corrigit Haloander & Forſterus & Briſſonius *iniuriarum non tenetur:* Deſid. Heraldus *vix tenetur:* Bynkersh. interrogative accipit *iniuriarum tenetur?* Quos omnes ignoraſſe rationem iuris coarguit noſter.

Quinti capitis eſt (pag. 65.) *Paulle vales recte, medicorum iuſſa faceſſant*, ad cap. 7. tit. Dig. *de capite minutis*. Quem Paulli locum omnes, qui aggreſſi ſunt interpretari, corruptum aiunt. Noviſſime qui ad illum acceſſit Herm. Noordkerk medicinam ſibi viſus eſt, qua nulla opus erat, ei attuliſſe. *Non admittit* corrigendum putat, ubi vulgo legimus: *tutelas etiam non amittit capitis minutio*. Quaſi hæc verba ſententiam nullam habeant, neque planum ſit, orationem referri ad duo illa capita, quæ præcedunt: ubi cum capitis minutio dicatur munera publica non amittere, recte his verbis hoc exemplum ſubiicitur, *etiam tutelas non amittit*, quia tutelæ ad munera publica referuntur. Quod ſequitur, *exceptis his quae in iure alieno poſitis perſonis deferuntur*, e noſtri ſententia ſic circumſcribas: Exceptis tutelis iis, quæ ad quos deferuntur, eiusdem nempe illos cum pupillo familiæ, hoc enim verbum *deferre*, tutelæ legitimæ proprium, clare ſignificat, ii nunc aliam in familiam tranſeunt, atque adeo ius agnationis amittunt.

Sexti capitis eſt (pag. 73.) *Locus Iuliani obſcuritate ſacer interpretibus*, qui legitur cap. 14. tit. Dig. *de novi operis nunciat*. Cuiacius quam proxime ad verum acceſſit, ſi recte intelligatur, quod ait, nunciationi ob ſervitutem locum non eſſe, niſi, quod dominus in fundo ſerviente ſuſciperet, ita contra ſervitutem eſſet, ut cum natura eius ac forma plane pugnaret. Noſter exactius ita: Niſi formula agendi, *ius tibi non eſt invito me aedificare*, convenit cum iure, quod habes, ceſſat etiam ius prohibendi; (velut in via, *ire agere*, quod non convenit cum iſta formula,) quia Prætor, cum cauſſam

 cogno-

cognoſcit nunciationis, de iure prohibendi quærit. Nonnulli errores in hac cauſſa multorum, præſertim Lyclamæ, reprehenduntur.

Septimi capitis eſt (pag. 88.) *Diverſa inter ſe tanquam contraria pugnent?* ad cap. 2. §. 4. & 5. tit. Dig. *de vulg. & pupill.* Differentiam, quæ Duareno & Petro Aurelianenſi ſuboluit, inter ſubſtitutionem impuberi factam inverſo ordine ſcripturæ, interque aliam diverſis tabulis ante factam quam ſibi pater teſtamentum fecerit, eam noſter ſubtilius ac diſertius proponit, reiectis Goveani, Mureti, Cuiacii, aliorumque vel emendationibus, vel interpretationibus.

Octavi capitis eſt (pag. 103.) *Diſputatio cum Van de Watero.* Imo ea coena eſt, quæ illi præbetur: errores enim, quos erravit, aliquot ei velut apponuntur. Primus error eſt in loco Ulpiani, cap. 7. §. ult. tit. Dig. *de legatis* III. in quo verba hæc, *forte exceptionis timore,* trinis modis, ut varia & multiplex eſt natura falſi, ridicule corrigit: *forte exceptionis: forte exceptionis remiſſionem: forte exceptionis remotae.* Loquitur enim Ulpianus ἐλλειπτικῶς, & eſt idem, ac ſi dixiſſet, propter timorem, ſi quis erat, exceptionis. Vindicatur & in cap. 29. tit. Dig. *de legat.* I. lectio verbi *differatur*, pro quo ille poſuit *differat.* Alter error eſt in eiusdem Ulpiani loco, cap. 5. §. 8. tit. Dig. *de iure dotium*, ubi ſcribendum putat Van de Vuater, *creditorem delegAVIT avo*, quod vocabulum in poſtremis delituiſſet antecedentis verbi ſyllabis. Nimirum ignoraverat hoc loco *delegare* quid ſignificet, quod nihil aliud eſt quam negotium rei faciundæ alicui mandare. Loca quædam ex tit. Dig. *de in rem verſo* lucem aliquam accipiunt: & auditur Celſus de dote profectitia, quam negant alii mortua in matrimonio filia redire ad patrem, poſteaquam avus deceſſerit, cap. 6. tit. Dig. *de bonor. collat.* Eiusdem locus, cap. 30. tit. Dig. *de operis libert.* liberatur a vitio Grammatico, quod Charondas & Van de Vuater, ſuo quisque modo, ſed hic ineptius tamen, corrigebant. Novus error eſt, quem is cum Noodtio communem habet, etſi paullo inter ſe diſcrepant, in emendandis Papiniani verbis, cap. 9. §. 2.

tit.

Digitized by Google

tit. Dig. *de ſupell. legata.* Reſcribit Van de Vuater *ſi non fiduciae creditoris,* pro *ſi non in uſu creditoris,* haut animadvertens abundare tum, quod ſequitur, *voluntate debitoris,* quia profecto contrahi non poterat invito debitore fiducia. Plane ſententiam verba Papiniani hanc habent: Utique tum ratio manifeſta erit, cur acceptum argentum pignori non contineri dicamus, ſi ne in uſu quidem creditoris fuit, volente ita debitore, qui propoſuerit illud tantummodo propter contractus fidem. Denique ridendus error eſt ſcribentis *percepit,* pro *poſſedit* in cap. 27. tit. Dig. *de uſufr. leg.* Rationes Chifletii & Conſtantinæi, cur, quod uxori relictum ſit illicitæ, repeti poſſit, exploduntur. Noſter alia via diſputat. *Praeterito tempore* eſſe, poſteaquam biennium effluxiſſet. Itaque quod poſt illud biennium percepiſſet, reſtituendum eſſe, quia tum deſiiſſet bona fide poſſidere.

Noni capitis eſt (pag. 135.) *Perrenonii laus & reprehenſio* ad cap. 23. tit. Dig. *de uſu & uſufr. leg.* Laus Perrenonio magna tribuitur: ſed eundem reprehendit propter audaciſſimam incommodiſſimamque correctionem, qui *nec tamen ex tunc tantum* fecerit. Diſputatio non eſt longiſſima, verum pulcherrima, ex qua nihil voluptati lectorum præcerpere debemus.

Decimi capitis eſt (pag. 143.) *Errata Burgio viſa librariorum, nobis Burgii,* ad cap. 5. §. ult. tit. Dig. *de poenis,* ubi Burgius pro *poenam eligere,* fruſtra reſcribit *poenam elicere:* & ad reſcriptum Imperatorum Honorii & Theodoſii cap. XI. tit. Cod. *de Iudaeis,* in quo Burgius *iocis* pro *locis* præter omnem neceſſitatem reponit. Præcedit autem ibi diſputatio cum Leunclavio, qui quærit, quid ſit *ſolemnia incendere?* Verbumque ſolemnia ex lectione reſcripti noſtri, ut illud in Codice Theodoſiano habetur, corrigit hoc modo, *ſolemni Aman,* legens *& quodam* pro *quosdam.* Noſter *ſolemnia feſtivitatis incendi* dictum putat pro *victima in ſacrificio ſolemni comburenda:* quo de nihil pronuntiamus, aut amplius.

Undecimi capitis eſt (pag. 149.) *Artifices non Roſcii vapulantes.* Primus artifex non Roſcius vapulat Detlevus Langebequius,

bequius, propterea quod in cap. 77. §. 10. tit. Dig. *de legat.* II. hæc verba, *qui fideicommiſſum inter ceteros habiturus eſt*, addita negatione corrigit, *habiturus non eſt*. Explanatur totum caput: eius interpretatio Langebequii refellitur: huius illorum verborum correctio, quia ſemet evertit ipſa, meritiſſimo reiicitur. Alter eſt, qui vapulat, Georgius Conradus Cruſius, qui in cap. I. §. I. tit. Dig. *de bonor. poſſeſſ. ſec. tab.* pro *noviſſimae ita*, huic enim particulæ nihil reſpondere, miro artificio reſtituit *noviſſime a I. Ta.* ut legatur a primis tabulis. Et quia conſimili iam ante artificio Iac. Gothofredus, quem imitari an æmulari Cruſius adoleſcens voluit, in cap. XI. §. 6. tit. Dig. *ad Leg. Falcid.* correxerat *atque I. Ta.* ubi legitur, *atque ita ſi patri heres extitiſſet:* isque Papiniani locus abſtruſus totus eſt, eiusque cognitio plena difficultatibus non paucis, quæ invitarunt etiam Goveani manus ad aliquod remedium correctionis adhibendum: noſter hoc caput iuris ad ea usque verba, quorum obſcuritas Gothofredo errorem obiecit, enodate interpretatur, oſtenditque correctionem Gothofredi perſpicuo & grandi tautologiæ vitio laborare. Deinde negat *tabulam* mitti poſſe in hoc ſcripturæ compendium *ta.* quo breviſſime ſcribi *tab.* Emendatio autem Cruſii plane ridicula eſt eo, quod primæ tabulæ teſtamentum patris, ut ſecundæ pupilli, ſignificant, de quarum neutris Ulpianus loquitur: tum quod, ſi primas tabulas conceſſeris eas eſſe, quæ primum factæ ſint, abſurdum eſt ſupremas dicere noviſſimas a primis tabulis, quaſi, quæ ſupremæ poſt alteras, tertias, quartas factæ ſunt, noviſſimæ non ſint. Igitur Ulpianum *tabulas ita factas* dicere ait reſpicientem ad præcedentia, pro, *ſive ligneae, ſive chartaceae, ſive membraneae, ſive cuiuscunque alterius ſint materiae.* Tertio loco vapulat Iac. Curtius, qui verba Mæciani cap. 35. tit. Dig. *de fideicom. libertat. Viſum eſt enim ipſos in ſua poteſtate habuiſſe. Nam potuiſſent diſcedere a cauſſa teſtamenti*, corrigit invita latinitate ſic: *Viſum eſt enim ipſos in poteſtate habuiſſe, num potius eſſet diſcedere a cauſſa teſtamenti.* Quaſi Iuriſconſultus diſputet, ipſos deliberare poſſe, quid magis eſſet in rem ſuam, omittere cauſſam teſtamenti,

an

Digitized by Google

an ſervum manumittere? Ac non potius hoc, ſi ſervum retinere vellent, licere ipſis a cauſſa teſtamenti diſcedere: ſin omittere cauſſam nolunt, debere ipſos voluntati teſtatoris obſequi. Utrumvis eos in poteſtate habere ſua. Quartus tergum debitis correctorum ſtultitiæ plagis velut ſuccidaneum Deſiderius Heraldus præbet, iniuriæ ergo, quam verbis intulit Paulli cap. 21. tit. Dig. *quando dies legat.* Legit ille, nulla contextus ratione id exigente, *quod ſcribendo comprehendere ſit incommodum.* Scribendo, vel ſcripto, vel etiam in ſcripto comprehendere, ſignificat in oratione vel in ſcriptura ſua ponere: idque de teſtatore accipiendum eſt. Heraldus non unum aliquod putabat, ſed res multas ſcripto comprehendi: atque ita de Paullo illud intellexit, cui ſane peieraſſet incommodum futurum fuiſſe. Sed hanc correctionem falſi Noſter egregie convincit. Quintus ordine quid vapulare ſit experitur Ludovicus Vitalis, indignus Cuiacio magiſtro diſcipulus. Eius in declarando cap. 7. tit. *Cod. de iuris & facti ign.* errores notantur. Alii duo eiusdem arguuntur in cap. 34. & 41. tit. Dig. *de Obligat. & Action.* Alter quidem, in quo & Cuiacius fuit, error gravis eſt, exiſtimantium, duo illa Paulli capita ſibi contraria eſſe. Prioris ſententiam noſter exponit: deinde poſterioris quoque, ubi Cuiacius pro, ſi *tantundem aut minus, id conſequatur,* ſubſtituit, *nihil conſequatur.* Interpretatio noſtri ſane digna eſt, quam hic adſcribamus: *ſi duo ex uno facto competunt actiones, & altera iam expertus eſt, iudicis partes ſunt videre, ut, quo plus ſit in reliqua actione, quantum quantum illud ſit, omne actoris commodo cedat. Ut, ſi vel tantundem, vel minus, id eſt, non ipſum alterum tantum, in reliqua actione ſit, id actor conſequatur.* Poſtremus in hanc artificum ſcenam producitur Ioh. Leunclavius, qui verba Celſi cap. 184. tit. Dig. *de diverſis regul. iur. ant: Vani timoris iuſta excuſatio non eſt,* ex verſione Græca, & alio Celſi loco, cap. 13. tit. Dig. *de in rem verſo*, nulla ratione corrigit, dum ait, ſcriptum fuiſſe *extimatio* pro *aeſtimatio*, unde librarios poſtmodum feciſſe *excuſatio.* Quædam hic monentur de prava & inepta conſuetudine multorum, latinam lectionem

Digitized by Google

ubivis ex verſione græca corrigendi. Aliquoties autem in hoc capite reprehenſionem acerbam tulit Everhardus Otto. Duodecimi capitis eſt (pag. 182.) *Quisque ſuos patimur manes*, ad cap. 116. tit. Dig. *de verbor. obl.* in quo capite Marquardus Freherus Paullum putat inique ſubagitare Papinianum, quem ab illo potius illuſtrari, alia meliore eius capitis interpretatione, noſter oſtendit. Porro ad cap. 27. §. 3. *de inſtr. vel inſtrum. leg.* ubi de formula, *quae ibi erunt*, adverſus Ioſ. Averanium veriſſime diſputatur. Sequitur ad Averanii L. 4. cap. 1. *Interpr. iuris*, unde velut exempla proferuntur eorum, quæ antea univerſe in Averanio reprehendebantur. Denique ad cap. 54. §. ult. tit. Dig. *de leg.* 1. *Si pars heredum nominata ſit in legando, viriles partes heredes debent: ſi vero omnes, hereditarias:* ubi Gordonius aliter hæc duo verba collocat; *hereditarias* primo loco, *viriles* autem ſecundo, ut Pomponium conciliaret nempe cum Paullo, cap. 17. tit. Dig. *de duobus reis.* Sed Pomponius, ut recte obſervat Antonius Faber, ſuum ipſius iudicium ſequitur, e diverſis tum Paulli, tum Neratii ſententiis, electa media. Quod noſter principio quidem negat, ſed in fine tamen ipſemet concedit. Ultimum caput eſt Ἐνύπνιον (pag. 219.). Somniavit enim veniſſe ſe ad inferos, collocutumque ibi eſſe cum Iuliano, Paullo, Ulpiano, Hermogeniano. Hoc noſtri ſomnium doctos mire delectare poteſt. Nam quos Ulpiani fingit, quem plurimum loquentem fecit, ſermones, perquam faceti ſunt, & Græco ſale adſperſi, ut Ulpianum facile agnoſcas. Ipſe autem orationem ad eos habet gravem, illuſtrem, & dignam plane his auditoribus. Diſtichon illud Græcum, cuius prima tantum & poſtrema verba refert, cetera non amplius meminiſſe ſe callide ſimulans, ex Theognide petitum eſt, in cuius ſententiis verſus legantur 291. & 292. Illud in puteo ſpeculum, quo de Ulpianus loquitur, intelligi poteſt ex Petri Cunæi elegantiſſimo libello, quem *Sardes Venales* inſcripſit. Noſter hic illic quædam de ſe inſperſit, non ingrata lectoribus futura. Cuiacium paucis verbis pleniſſime laudat, utique tam candidus virtutis æſtimator, quam rigidus cenſor vitiorum. Batavis emen-

emendandi cacoethes exprobrat. Inde ſermo deducitur ad Gerardum Noodtium, quem, quia quodammodo inter veteres verſatur, Nodium ſcribit, ad latinas litteras accommodatius. Eius correctio refellitur in cap. 68. 70. & 72. tit. Dig. *de iudiciis*. Diſputatio eſt longe pulcherrima, cui multum gratiæ addit ipſa dialogi ratio. Eorum, qui loquuntur, nomina, his, quæ a quoque dicuntur, præpoſita non ſunt, neque *inquam* & *inquit* odioſe repetuntur: & magna tamen eſt orationis ubique perſpicuitas. Id artificium ſe doctioribus maxime commendabit. Audimus opprobrari noſtro, a quibusdam ſcitulis, aliam eiusdem Nodianæ correctionis reprehenſionem Ioh. Ienſii. Quaſi capitale ſit, vel non legiſſe ſcriptorem, ut leviſſime dicamus, non optimum, vel etiam non omnia eius attigiſſe. Ut eſt ingenium noſtri vividum, Ienſios non admodum lectione dignatur. Quin utriusque dicta & rationes conferant, priusquam iudicent: ac tum demum, ſi per alienos errores poſſunt, ipſi maſtiges ſint. Non hoc reprehendendi exemplum noſter unquam cuiquam dedit. Sed livor illos impulerit fortaſſe, quem ſciat noſter virtutibus omnibus fatalem eſſe.

D. Chriſtoph Auguſt Heumanns Erklärung des Neuen Teſtaments, Siebender Theil.

h. e.

D. CHRISTOPHORI AUGUSTI HEUMANNI, S. Theol. & Hiſt. Liter. Prof. Ord. in Acad. Georgia Auguſta, Commentariorum in Novi Foederis libros, PARS SEPTIMA, qua D. Paulli ad Chriſtianos Romam miſſa Epiſtola illuſtratur.

Hanoveræ in bibliopolio Foerſteriano, 1755. Alphab. 1. plag. 20. octonis.

Sic ille per omnem hujus ſeculi memoriam doctrina & ſcriptis clariſſimus, meritisque & ætate venerandus ſenex, iuvenili quadam alacritate, opus arduum & illuſtre ut

quam poteſt celerrime conficiat, ſtudet. Sedulus autem & acutus ſacrarum litterarum inde ab annis prope ſexaginta ſpectator, quidni in perfecto interpretandi Novi Foederis theſauro exſtruendo, cito iam pede progrediatur, ad quem ditandum tot adhuc ſymbolas, tam felices, contulerat. Sed nos laudandi & commendandi operis gratia nihil facere maius certiusque poterimus, quam in delibandis inſignioribus eius floribus, more priſtino, pergere. Hoc igitur agamus.

Pars quidem hæc *ſeptima* in declaranda illa Pauli Epiſtola verſatur, qua neſcimus an alia argumenti gravitate ſpectabilior ſit; certe quæ principes doctrinæ chriſtianæ ſententias luculenter tradit, ſed eadem a diverſis coetuum ſacrorum doctoribus in diſcedentia longe divortia compulſa eſt. Quo magis operæ pretium fuerit, de locis talibus controverſis ex
Pag. 3-8. mente Heumanni noſtri quædam diſputare. Ne tamen ea omittamus, quæ de ſcopo partibusque Epiſtolæ præcepit V. Cl. duas ait Apoſtolo cauſſas fuiſſe, litteras ad Chriſtianos Romanos, ſeu Romæ degentes, mittendi; alteram, quod brevi coram docentem audituri eſſent, viderenturque prius alloquio abſentis capiendi; alteram, quod comperiſſet vir divinus, eſſe & Romæ Chriſtianos Ex-Iudæos, qui ethnicis ad eadem ſacra converſis legis Moſaicæ moleſtias obtrudere conarentur, eſſentque adeo cohortatione Apoſtolica reprehendendi. De priori ſcribendi fonte primum caput & ſecundum fluxerunt, de poſteriori novem illa quæ ſequuntur. Nam caput quidem XI. cum in vocem *Amen* deſinat, terminare omnem dicendi materiam videtur. Idem quippe capitis XV, 33. hoc eſt, omnis Epiſtolæ, idem cap. XVI, 27. ſeu Poſt-Scripti, quod vocant, exitus eſt. Deinde nullum undecimi & duodecimi capitis nexum mutuum oſtenderis. Itaque ſatis probabile haberi poteſt, cum capite XI. finem ſcribendi feciſſe Paulum; ſed eundem, (quia forte recentiores de rebus Chriſtianorum Romanis nuntii ad eum ante deferebantur, quam Phoebe, cui epiſtola tradenda erat, iter adgrederetur,) ſuperadiecisse alia, hos nuntios ſpectantia, quæ capp. XII-XV. leguntur.

Cap.

Digitized by Google

Cap. II. 5. 6. *dies irae & manifeſtandi iudicii divini,* Ven. Auctori non eſt ſupremus ille univerſalis iudicii dies, ſed tempus delendæ reipublicæ Iudaicæ. Pertinent enim minæ iſtæ, quod ex capitis initio patet, ad ſolos Iudæos, eosque diſciplinam Servatoris noſtri aſpernantes. Quid ſenſerint Iudæi, Chriſtianis exprobrantes, eos malum faciendum permittere, dummodo bonum quoddam inde conſequatur, quæ accuſatio cap. III, 8. exſtat, ex Act. XXIV, 5. & XVI, 20. diſci debet. His nimirum locis d. Paulus multarum per orbem terrarum ſeditionum auctor ab adverſariis perhibetur. Verum utique eſt, non ſine maximis motibus propagatam Evangelii doctrinam fuiſſe, neque idcirco remiſſiores ſe Apoſtolos geſſiſſe; ſed illud ſummæ malevolentiæ iudicium erat: ergo Chriſtiani de communibus malis parum ſolliciti ſunt, dummodo præcepta, quæ ipſis ſancta creduntur, quam plurimorum animis ſe inſinuent. Quæ p. 126-128. ſuppeditatur paraphraſis latina priorum 22. huius cap. verſuum, ea non minus perſpicuitate, quam adcurata connexionis demonſtratione, prænitet, nobis tamen, ne iuſto ampliores ſimus, ſeponenda eſt. Pag. 80-81. 116. 117.

Ad celebratiſſimum potius locum cap. III, 28. qui docet, hominem πίστει δικαιοῦσθαι, χωρὶς ἔργων νόμου, accedamus. Non eſt, cur hodie iam vindicias pro Luthero noſtro contexamus, qui ad vocem *fidei*, flagitante orationis vinculo, & vel quovis græci textus lectore addente, vocabulum *ſola* adiunxerat in verſione ſua. Nam, ut alios mittamus, exſtat Dannhaueri, Theologi Argentinenſis, Diſputatio apologetica, Lutherum eo nomine defendens, eſtque illa A. 1660. edita. Iuvat nihilominus cum ex hac paucula decerpere, tum, quæ Ven. Heumannus adnotavit, ſubiungere. In ipſa illa Vulgata Cod. S. verſione, cui tantam Concilium Tridentinum auctoritatem adſcripſit, loca ſunt XX. & III. quibus verſionis auctor vocem *ſolus* non vertit, ſed de ſuo, iure licet, addidit. Huc v. c. Deut. VI, 13. & X, 20. ſpectant, ubi occurrit: *illi ſoli ſervies.* Quid? eadem dicta Servator ipſe Matth. IV, 10. inſerto vocabulo illo, excitavit. Superat bibliorum verſio theotiſca, Noribergæ A. MCCCCLXXXIII. publicata, quæ lo- 144. ſqq.

 cum

cum noſtrum reddidit: *tantum* per fidem. Ac ſi propoſitionem ipſam adtente conſideres: *homo vel per fidem, vel per opera legis iuſtificari poteſt*, negesque, quod facit Paulus, poſterius, neceſſario concedendum tibi erit, *ſolam fidem* iuſtificare. Itaque Bengelius noſter hanc *demonſtrationem* apto nomine *arithmeticam* dixit. Patrum quidem primævæ eccleſiæ ſententiam hanc fuiſſe, ſola fide iuſtitiam adipiſcendam eſſe, *Andr. Hyperius* in Opuſc. Theologg. p. 577. ſqq. eandem fuiſſe multorum de Romanæ eccleſiæ medio, *Gerhardus* in Confeſſ. Cathol. p. 1465. ſqq. & 1478. ſqq. docuerunt. Neque tamen non memorabile eſt, B. Lutherum, loco quodam Poſtillæ privatæ, in proferendo hoc dicto, voculam illam *ſola* omiſiſſe. Scilicet hæc explicationis cauſſa magis ab eo addita fuerat, quam verſionis: quamvis explicatio talis ſit, quæ in verſione omitti vix poterat, eratque quædam quaſi neceſſaria gloſſa interlinearis.

Pag. 263. ſqq. Digna eſt poſterior capitis VII. pars inde a v. 14. in qua pauliſper ſubſiſtamus. Eam de Paulo ſancto, & ad mentis vitæque innocentiam conformato, capiendam eſſe, perſuadere ſibi Ven. Auctor ratione nulla poteſt, docetque, Apoſtolum potius eo loco priſtinum animum moresque ſuos, cum Iudæis profanis communes, pinxiſſe. Viderint, qui in alia abeunt, ut virum vere pium, ſcelerisque purum, *carnalem* dicere queant, & *in poteſtatem peccati*, mancipii inſtar, *traditum*, quæ ſunt verba Pauli v. 14. Sed *Whitbyus*, egregio de Commentariis Patrum libro p. 249. ſqq. iam planum fecit, omnes ante Auguſtinum Patres, hanc Epiſtolæ particulam de Paulo nondum renato explicaſſe; ipſum adeo Auguſtinum in ea primum fuiſſe ſententia, ſed, poſt animum erga Pelagianos acerbatum, a ſe ipſo diſſenſiſſe. Certe Retract. Lib. I. C. 23. aperte profitetur, Pelagianorum ſe cauſſa iam aliter de loco iſto ſtatuere. Hunc autem ſummi nominis præſulem, magna interpretum cohors ſectata eſt. At ſunt tamen non pauci, qui, quam hic propoſuimus, cum Heumanno fovent interpretationem. Dubios aliquantulum eos ſuſpendit v. 25. quo Apoſtolus Deo gratias agit pro liberatione a peccato, ſed addit

Digitized by Google

dit ſimul, ſe adhuc legi peccati ſervire. Verum verſus iſte hoc pacto reddendus latine eſt: Iam Deo gratias dico per I. Chr. Dominum noſtrum: idem enim ego nunc animo legi divinæ obedio, qui olim carne peccato obtemperabam. Nimirum poſt illa: τῆ δὲ σαρκὶ νόμῳ ἁμαρτίας, adparet Verbum deeſſe. Id ut ſupplerent exegetæ, δȣλέυω poſuerunt, cum, poſcente principio cap. VIII. debebant ἐδȣ́λευον.

De quæſtione vexatiſſima, quænam ſit illa κτίσις, cuius anxiam exſpectationem Paulus cap. VIII, 19. ſqq. commemorat, ita pronuntiat Ven. Heumannus, plane ſibi videri, eo vocabulo *defuncta piorum Chriſtianorum corpora, in ſepulchris quieſcentia,* deſignari. Audiamus ipſum, perſpicue & concinne ſua exponentem. Cum v. 17. & 18. atque etiam 24. & 25. ſermonem de fidelibus inſtituerit Apoſtolus, qui ex huius vitæ ærumnis ad coeleſtia gaudia tranſituri eſſent; neceſſe eſt, verſus hos interiacentes, 19-23, eidem argumento & ſolatio adfinia tradere. Quid autem magis adfine erat, quam ſi admoneantur pii homines, mortalitatis ſorte ſe quidem exemtos non eſſe, olim tamen vitæ, eique æternæ, redditum iri. Hanc reſuſcitationem certo ſperandam v. 23. τὴν ἀπολύτρωσιν τȣ͂ σώματος, hanc v. 11. τὴν ζωοποίησιν τῶν θνητῶν σωμάτων, dixerat vir divinus; eandem ſine dubio v. 21. τὴν ἐλευθέρωσιν τῆς κτίσεως ἀπὸ τῆς δȣλείας, τῆς φθορᾶς, adpellat. Hinc manifeſtum eſt, κτίσιν omni hoc loco eſſe corpus humanum, τῆ φθορᾷ, hoc eſt corruptioni, (conf. 1 Cor. XV, 42.) obnoxium; corpus tamen duntaxat piorum, qui ſoli ἐπ᾽ ἐλπίδι, v. 20. moriuntur. Hæc ſi teneas, lucida omnia in loco ſatis obſcuro habebis; ſin aliam adoptes interpretandi rationem, ſemper erunt quæ cum reliqua oratione in concordiam redigi non poterunt. Itaque Auct. doctiſſ. v. 19. ſqq. hunc in modum παραφράζει. „Manifeſtationem illam gloriæ futuræ in fidelibus, (v. 18.) corpora illorum quaſi anhela exſpectant. Sunt enim & hæc corpora corruptioni ſubiecta, a qua omnino libera eſſe præoptarent, cum hominis natura a morte abhorreat. Sed neque piorum corpora immortalia eſſe voluit Deus, ſpe tamen adiuncta, fore, ut illa quoque revivi-

Digitized by Google

viviſcant. Nam quum filii DEI gloriam induerint, omnique mortis metu in perpetuum fuerint ſoluti, corpus etiam a ſervitute mortis & corruptionis eximetur. — Eam autem felicitatem non ſola mortuorum fidelium corpora, ſed omnes etiam ſuperſtites, quia primitias Spiritus S. habent, concupiſcunt; atque adeo nos ipſi poſſeſſionem υἱοθεσίας divinæ, & corporum noſtrorum liberationem, ſuſpiriis petimus." Ceterum inſolentius utique eſt, corpus humanum κτίσιν dici, pertinetque iſtud ad ſingularem ſcribendi formam, quam Pauli epiſtolæ referunt. Nec tamen omnis conſilii expers hoc verbum poſuiſſe iudicandus eſt. Forſitan occaſionem inde duxit, quod in Moſaica creationis hiſtoria, cap. I, 1. II, 3. 4. verbum ברא, creavit, κτίζειν, de corporeis tantum rebus adhibetur; anima contra cap. II, 7. non creata, ſed inſpirata narratur. Ita Rom. I, 20. κτίσις res creatas, quæ in oculos incurrunt, denotat. Rabbinis autem ſolenne eſt, voce בְּרִיָּה, *creatura*, hominem ſolum indicare; quæ eſt Lightfooti ad Marci XVI, 15. obſervatio. Quod tandem nova penitus videtur omnis hæc explicatio eſſe, id nemini eam facile ſuſpectam reddiderit. Si enim hoc modo conſtet, veram & genuinam eſſe, fatendum nobis erit, eam ſcribentis Pauli animo conſentaneam, adeoque antiquiſſimam, nec ignotam primæ Chriſtianorum ætati fuiſſe; ſequiorum tamen ſeculorum oſcitantia obliteratam, quod quis niſi hiſtoriæ theologiæ exegeticæ ignarus miretur? Quædam huius gloſſæ veſtigia Gregorius M. Epiſc. Rom. habet, itemque Sadoletus, Eccl. Rom. Purpuratus.

Sed nobis locos Epiſtolæ principes diligentius ſcrutantibus, eoque ipſo latius quam vellemus diffuſis, verendum non eſt, ut lectorum patientiam fatigemus. Itaque de graviſſimi ponderis *capite nono*, elegantiſſimam Heumanni diſputatiunculam ſubiiciamus. In eo penſo inſigne præſidium inveniſſe ſibi Decreti Abſoluti amici, omni tempore viſi ſunt. Hic diſertis verbis tradi, hic exemplis confirmari gloriantur, libera ſummi Numinis voluntate, & nullam mentis vitæque humanæ rationem habente, mortalium alios perenni felicitati, alios ſem-

ſempiternis miſeriis deſtinatos eſſe. Quam inimicam rationi & Script. S. ſententiam, cum armis ex hoc capite præpoſtere petitis privare conarentur melioris dogmatis fautores, aliquanto minus proſpere, æſtu abrepti, pugnarunt. Primus ergo recentiori ætate verum diſputandi ſuper hoc capite genus vidit Ven. Heumannus, & ſcripto A. MDCCIX. edito publice declaravit, clariſſimum ea re ſummorum virorum adſenſum conſecutus, ipſique *Dumonto*, Reformati ex Gallis coetus apud Lipſienſes tum quidem a ſacris faciundis antiſtiti, egregie docto, hanc extorquens confeſſionem, nihil eſſe amplius auxilii in hoc capite Calvini diſcipulis relictum. Duplex videlicet interpretantium caput iſtud peccatum animadvertit Vir perſpicaciſſimus; alterum, quod vocem ηὐχόμην v. 3. verterint *optaverim*, pro quo ponendum erat *optabam;* alterum, idemque longe maximum, quod non intellexerint, a v. inde 15. adverſarium induci, argumentis Pauli ſua opponentem, quibus demum v. 22. ſqq. reſpondetur. Dicamus de utroque; Poſteaquam in exitu capitis VIII. ſuum in Deum amorem magnifice prædicaverat Apoſtolus, negaveratque, illum unquam extingui poſſe, iam animum ipſius triſtis recordatio illius temporis ſubit, quo Servatoris O. M. religionem atroci impetu laceſſiverat. Dolet impenſe *facinus* ſuum, eiusque gravitatem verbis extollit: quippe quod eo proceſſerat, ut ſe ipſum pro ſacrorum patriorum incolumitate contra Chriſtum devoveret; ηὐχόμην αὐτὸς ἐγὼ ἀνάθεμα εἶναι ἀπὸ τῦ Χριςῦ. Eadem verbi regentis verſio Cypriano, Ambroſio, aliis, dudum placuit. Eraſmus autem ſequiori ætate primus reddendum putavit: *optarim, ſi fieri poſſet:* cui poſtea inſignes viri adſenſi ſunt, immemores vocis γὰρ, quæ hic adiecta docet, non ea indicare Paulum, quæ in præſenti optet, ſed quæ olim optaverit. Fuerunt tamen, & ſunt hodieque ſatis multi, qui genuinam & veterem explicandi rationem tuentur, meritoque valde alienum a d. Apoſtolo eſſe cupiunt, pro ſalute Iudæorum ſuæ ipſius æternæ felicitati renuntiare. Quam facile ab omnibus animadverti & hoc potuiſſet, v. 15. & ſex qui ſequuntur, non ipſum Paulum verba

Digitized by Google

facere, ſed aliquem de Iudæis, cui obiiciendi aliqua partes conceſſit, mox ei a v. 22. reſponſurus. Docent hoc vel illa v. 19. ἐρεῖς οὖν μοι, & v. 20. μενοῦνγε, ὦ ἄνθρωπε, κ. τ. λ. Docet etiam vocula γὰρ, contra diſputantis hic ſermonem eſſe. Ita capite huius Epiſtolæ III. v. 5. cum adverſarium produxiſſet Paulus, repoſuiſſetque ei v. 6. μὴ γένοιτο: novam illius argumentationem v. 7. hac formula explicat: εἰ ΓΑΡ ἡ ἀλήθεια, κ. τ. λ. Neque etiam τὸ ΓΑΡ his locis ſignificationem *enim* amittit, notatque omnino cauſſam, ſed adverſarii ſcilicet, qua ille inductus contrarium ſentit. Capitis certe tertii locum, hoc quem diximus modo, exponendum duxerunt Beza Grotiusque, & cum Flacio noſtro Hunnius, ipſeque olim Haymo, clarus Sec. IX. epiſcopus. Romanorum autem ore, obiicientis voces non raro eſſe *Enim*, *At enim*, obſcurum non eſt. Tale eſt illud Ciceronis (Catil. II. 6.) *Homo* enim *timidus vocem conſulis ferre non potuit*, & rurſus: (pro Mil. 7.) *Homo* enim *nobilis*, &c. conf. Gronovius ad Livii L. XXXIV. 32. Iam v. 22. ubi refutandum ſumit adverſarium Apoſtolus, non plane quidem apertum eſt, eum hoc agere; ſed neque id mirum. Nam fervidum naturæ ingenium, quo utebatur vir divinus, frequenti obſcuritate epiſtolas eius texit. Ac ne illud moneamus, profanos quoque Scriptores, reſponſa quæſtionibus, ſine diſcernente aliquo indicio, ſæpius miſcere; Apoſtolum quidem noſtro loco ad reſpondendum ſe accingere, vel principium verſus evincit. Εἰ δὲ quærentis eſt ex alio, qui prior cauſſam dixerat, ideoque & huic verſui & 23. ſignum interrogandi adſcriptum legunt probatiſſimæ editiones, ut Curcellæi, Felli, Maſtrichtii; ſoli autem v. 23. ſed qui cum 22. arctiſſime cohæret, Bezæ & Millii. Obſervandum poſtremo, adfirmativam hanc interrogationem ſenſu gaudere negativo. His omnibus tuto ſuperſtrui talis poterit paraphraſis v. 15. 16. 17. 18. *At, inquis Iudaee, Deum utique ſimpliciter & abſolute alios ſalvatos velle, alios damnatos, nihilque in eo mortalium conatus valere, locus apud Moſen docet: Miſerebor, cuius voluero, & alius: Hoc ipſo conſilio te Pharao creavi & poſtea induravi, ut in*

in te locus eſſet oſtentandae praepotentiae meae, cuius famam hoc documento per univerſum terrarum orbem diffuſam volo. v. 19. 20. 21. *Haec reputans ais: Quid tandem nos accuſat Deus? quaſi vero noſtra culpa ſalute excideremus. Abſolutae enim eius voluntati quis reſiſtat? Imo quis audeat cum ſupremo Numine & potentiſſimo expoſtulare? Idem hoc fuerit ac ſi ſimulacrum ab artifice, a figulo vas quoddam, actionum eius rationem reddendam poſtularet.* v. 22. 23. 24. *Sed nunc me quaeſo audi, adverſarie. An neſcis ſacrae exempla hiſtoriae, quae demonſtrant, Deum improbis, quos iure punire decreverit, longum reſipiſcendi tempus conceſſiſſe, ſed eundem gratioſiſſime miſertum eſſe eorum, quos adipiſcendae ſaluti aptos praevideat; quos nunc etiam non e Iudaeis ſolum, ſed ex gentibus ipſis evocat.* v. 25. 26. 27. 28. 29. *Haec de Ethnicis & Iudaeis pridem Hoſeas & Ieſaias, prophetae, praedixerunt.* v. 30. 31. 32. 33. *Quae autem cauſſa ſubeſt, quod Ethnici, qui non ſtudebant iuſtitiae, quae eſt per fidem, eam nihilominus accepto Evangelio conſecuti ſunt, Iudaei contra non obtinuerint, cum tamen iuſtitiae legalis eſſent ſtudioſiſſimi? Iſta ſcilicet, quod Iudaei in Meſſiam non crediderunt, quoniam non eſſet rex terrenus; qua ſuper eadem re varia exſtant prophetarum vaticinia.* Hæc eſt epitome noſtra egregiæ illius paraphraſis, quam Vener. Auctor utroque ſermone, latino & patrio, conceptam, univerſo huic capiti illuſtrando dicavit. Ea item non ſine voluptate legimus, quæ de interpretationis ſuæ hiſtoria & antiquitate tradidit. Invenit enim ſibi conſentientes Origenem, Chryſoſtomum, Theodoritum, Pelagium, (cuius Commentarius bonæ frugis præſcriptum Hieronymi nomen ſervavit,) ac mox poſt renatas litteras, Eraſmum, Iſidorum Clarium, & duo illa Academiæ Lipſienſis lumina, Alex. Aleſium, atque Camerarium. Tacemus eos, qui reſuſcitatam demum ab Heumanno noſtro ſententiam amplexi ſunt.

Pag. 429-442.
443-452.

De hoc igitur Capite, atque adeo de hac Parte, quod ſatis eſt dixiſſe nobis videmur. Iisdem illa dotibus, doctrina, ingenio, ratione abundat, quæ antecedentium erant commendatio. Sed Heumannus, Vir varia & præſtanti laude conde-

Digitized by Google

decoratiſſimus, maximeque inſignis & felix S. Litter. interpres, noſtris laudibus facile caret. Tamen eas prædicandi mox iterum locus nobis dabitur, ubi ad luculenti operis Tomum VIII. & IX. quos iam tenemus, perventum fuerit.

BERNARDI SIEGFRIED ALBINI, ACADEmicarum annotationum LIBER I. continet anatomica, phyſiologica, zoographica, phytographica.

Leidæ apud I. & H. Verbeck Bibliopolam 1754. plag. 13. in 4.

Batavorum lucidum ſidus, ALBINUS, cum vitam inter labores anatomicos triginta annis continuis tranſegiſſet, & variis operibus, muſculorum, oſſium, uteri, hiſtoriam illuſtriorem reddidiſſet, ſuarum obſervationum aliquod his nunc ſuperaddit ſpicilegium, non tantum rebus anatomicis, ſed & aliis meditationibus, ex hiſtoria quoque animalium ac vegetabilium depromptis, contextum, pro quo orbis literatus non poteſt non magnas illi habere gratias.

Cap. I. Cuticula, vario modo, vivis æque ac mortuis, abſcedit, & a ſubſtrato reticulo ac tota cute ſolvitur. Hanc, morbi abiiciunt, uſtio, attritus, inflammatio, gangræna. Cadaver eam dimittit, putredine oborta, cumque artifex illam in uſus ſcholarum ſolvit, macerat, vel cutem ferventi aquæ, lacti, oleo, immergit. Hanc foetus in utero oſtendit, cum putredo illi oboritur. Caveant autem medici obſtetricii, ne, cum manum foetus propendentem, & ſecedentem ab illa cuticulam intuentur, ſe induci propterea, ut infantem mortuum eſſe credant, patiantur: ſiquidem ex preſſu vaſorum teneræ manus propendentis ex matrice, foetu adhuc vivente, hoc ita fieri poſſit, ut cuticula abſcedat.

Cap. II. Cuticula & reticulum intimo iunguntur nexu, ita quidem, ut ex toto ſeparari omnino nequeant; cuius tamen utriusque diſcrimen æthiops ſiſtit; & homo quoque albus, iſtius corporis retiformis apparitionem luculentam, in planta pedis & vola manus oſtendit.

Si

Si reticulum intueris, vides illud foveolis & vaginulis eſſe pervium, per quas ſcilicet papillæ nerveæ una cum ceteris vaſis cutaneis in ſumma cuticulæ ora terminantur. Has in cocta beſtiarum lingua Malpighius luculentius oſtendit, ſed non obſcure & in cute proſtant. Etiamſi vero in tota ſuperficie foveolæ adſint, vaginulas tamen in digitorum apicibus offendimus. Uti ſcilicet papillæ nerveæ finientes, vel brevius vel longius eminent, ita quoque vel brevioribus vel elongatis magis involucris opus erit, in quibus papillæ iſtæ reconditæ ſunt eodem modo, uti enſis in vagina reconditus eſt, ut cuſpis eius vagina ſimul comprehendatur; namque papillarum apex nudus haud eſt, ſed iſthoc ſuo involucro tegitur. Cap. III.

Uti papillæ nerveæ, & cetera vaſa, in ſummam cuticulæ oram procedentia, certis ſeriebus ordinantur, ita cuticula atque una cutis variis inciſuris ſunt inſcriptæ. Hæ, veluti quilibet in ſe ipſo conſpicit, ſunt *maiores* ad articulorum flexuras, & ubi cutis a ſuis corrugari poteſt muſculis, *minores* aliæ paſſim occurrunt. Videntur autem non cuticulæ vel reticuli hæ plicæ, ſed cutis eſſe, ſiquidem hoc in æthiope oſtenſum fuit. Cuticula ipſa omni ætate adeſt, in foetibus quoque tenerrimis adeſſe deprehenditur, in quibus ad volam manus eſt denſior; unde intelligas, ex prædiſpoſitione, neutiquam autem ex habitu inducto, volam manus cuticulam ſpiſſiorem habere. Cap. IV. V.

Urachus, quem, lotii viam ex foetu ad receptaculum urinarum, quod inter ſecundinas eſt, appellant, valde ambiguum, & a multis negatum, comprobare videntur urinæ ſtillantes, ex umbilico etiam eorum, qui ætate ſunt provectiores: id quod argumento eſſe poteſt, vere exiſtere tubum uriniferum, qui fundo veſicæ atque umbilico infantis intercedat. Urinam de umbilicis ſtillantem, *Cabriolius* & *Littrius* ſimiliter obſervaverunt. Cap. VI.

Etiamſi capſula lentem cryſtallinam comprehendens diaphana eſt, vaſis tamen nutrientibus haud deſtituitur; hæc arterioſa quoque ſunt, quæ a *Ruyſchio* & *Albino*, iniectionibus ceraceis detecta fuerunt. Neminem autem arbitrari fas eſt, Cap. VII.

Digitized by Google

uti ceram, ita & rubrum in iſta vaſa, cum homo vivus eſt, ſubire ſanguinem: namque cum pelluciditate membranarum ſtare vaſcula ſanguinem continentia nequeunt; igitur iniectio ceracea oſtendit, vaſa in cadaveribus illa, quæ in vivo, non ſanguini rubro, ſed tenui ſaltim atque lucidiſſimæ lymphæ ſunt

Cap. VIII. pervia. In eodem infante neogenito, in quo expleta oculi vaſa curioſius fuerant, papilla membraneo velo per morbum clauſa deprehenſa fuit.

Cap. IX. Iſta conditio, quæ foetui data eſt, ſub qua poteſt ille ſanguinem ex anteriore auricula cordis ſtatim in poſteriorem proiicere, cui viæ foramini ovali nomen eſt, perit cum ipſa nativitate, & foramen iſtud, valvula hactenus mobili nunc ad marginem accreſcente, clauditur. Apertam tamen iſthanc viam in anicula reperit *Albinus*. An idem uſus huius foraminis fuerit adulto, quam qui eſt embryoni, non liquet.

Cap. X. Quandoquidem in confeſſo eſt, matris ſanguinem ad placentam uterinam, & ex hac, interveniente vena umbilicali, ad foetum devehi, dubium quoque ſupereſt nullum, quando ſolo arteriarum auxilio ſanguinis motus ad matricem oriri poteſt, harum fines in placentæ, uteri fundo affixæ, primordia terminari. Hoc ita eſſe, ab Auctore oſtenſum eſt clariſſime.

Cap. XI. Sinibus frontalibus illos deſtitui, qui ſuturam longitudinalem per os frontis continuatam habent, perhibetur. Hoc audacter affirmant graves Viri, quibus hoc ita obvium haud dubitanter fuit. Sed lex perpetua non eſt, fueruntque ſinus frontales viſi etiam illis, quibus longitudinalis ſutura per frontem exporrigitur. Quod quando evenit, tunc eadem ſutura per ſeptum iſtos ſinus dividens procedit, & illud dirimit.

Cap. XII. Pia mater ſuperficiei corticalis cerebri ſubſtantiæ ita incumbit, & in eiusdem ſinus & gyros demerſa ubique, minimis arteriarum finibus ita adhæret, ut ſeorſim conſiderata, in aqua fluitans, mucoſa veluti & piloſa appareat. Etiamſi autem venulæ ſimiliter minimæ haud proſtant, ita, ut primordiis venoſis meninx iſta deſtituta eſſe videatur, cum tamen opus eſt ſanguinem reverti, a vero prope abeſt, arterias & venas maioris exempli inter ſe conſpirare, & ad invicem iunctas eſſe.

In-

Inſerta arteriarum lunago ad medullam usque pervadit, & nervorum fit primordium. Forte & minimæ venæ ſunt, quas cera, cum arterias replevit, delet, ſiquidem arterias venis ubique reſpondere, lex eſt perpetua.

Aberrant quandoque dentes illi, qui ſecundo loco erumpunt, & conſueto loco haud exeunt. Sunt potiſſimum ex inciſoribus aliqui, qui, cum prior dens deciduus pertinacius ſuo inhæreſcit præſepiolo, in aliam partem vertuntur, ex quibus aliqui, intra os, prope ad palatum, alii, ſub oculorum orbitis, erupiſſe viſi fuere. Cap. XIII.

Papillæ nerveæ, quæ intra reticuli vaginulas occultatæ, in ſummam linguæ oram erumpunt, ſunt variæ. *Maximae* ex illis, quæ in dorſo linguæ eminent, & illæ quidem pauciores. Fungiformes & capitatas dicunt illas, quæ *mediae* ſunt magnitudinis, prioribus copioſiores, pauciores illis minimis innumeris, arcuatis, retuſis, acuminatis, conicis, quæ *tertium genus* conſtituunt. Quorum *genus aliquod minimarum* eſt, quæ intra linguæ inciſuras copioſiſſime latent; quibus *quintum genus irregularium* adiecit ALBINVS, earum ſcilicet, quæ ſub rugis linguæ ad poſticum linguæ utrumque latus occultantur. Harum ea eſt fabrica, ut ex plurimis nerveorum filorum ſtaminibus, in faſciculum collectis, & apparatu vaſculari mixtis, compingantur. Etiamſi enim, cum cera linguam replevit, illæ erubeſcant, ut nihil, præter vaſorum ſanguineorum compagem illas eſſe, videatur: mendax tamen eſt iſta repletio, & veluti in multis, ita etiam in hoc exemplo, varia vaſa nervea atque lymphatica, æque ac ea, quæ certis partibus ſunt propria, ſub iniectionibus delentur. Adeoque nec venæ abeſſe putandæ ſunt ideo, quod haud apparent. Si experimentum in lingua capis, quam cera haud replevit, apparet materia alba, mucoſa, papillis iſtis interfuſa, quæ nerveæ medullæ finis eſt. Cap. XIV. Cap. XV.

Reticulum linguæ tribuerunt graves Viri, & inter illos *Heiſterus*. Eſt etiam aliqua reticuli ſpecies, neutiquam autem diſtincta, uti in lingua bovilla, ſed cuticulæ linguæ, quam Noſter *periglottidem* appellat, tenaciter adhærens, atque ab illa inſe- Cap. XVI.

Digitized by Google

inſeparabilis. Ita tamen comparatum illud reticulum eſt, ut ſimiliter, ac de cuticula dictum fuit, papillas ſurgentes aliqua comprehendat vaginula. Etiamſi autem cuticula linguam ambiens æqualis haud eſt, ſed villis hirta, eſt tamen aliquod ubique papillarum involucrum, quod ſimiliter, uti cuticula, abſcedit, itidemque reſtituitur. Quapropter inter tactum & guſtatum, veluti organi, ita quoque actionis, aliqua eſt ſimilitudo, ut, quæ exploranda ſint, proximo contactu organon ſuum utrinque attingat, hac forte cum differentia, quod cum ſolo impreſſu obiecta tactu percipienda in cutem agant, ea, quæ guſtu percipienda ſunt, imbibantur a papillis linguæ nerveis, iisdemque ſeſe plenius inſinuent.

Cap.XVII.

Cap.XVIII. & XIX. Vaſa placentæ inchoantis in tenero foetu, mucoſa veluti ſunt, & diſtincta ab invicem, inter quæ veſiculæ hytatidibus ſimiles apparent. Ovulum hominis, quod *Hippocrati* quoque ita dictum fuit, illa parte, qua fundo uteri adhæſurum eſt, hirtam præ ſe fert faciem, habetque in illa hirſutie omnium vaſorum, quæ in placenta adultiore plenius conſpiciuntur, rudimentum. Funiculus teneriori foetui perbrevis eſt, & in ramos, elatis vaſis umbilicalibus, creſcit. Inter iſta vaſa umbilici filum aliquod album ab umbilico continuum eſt, & in aliquam veſiculam, limpido ſero turgidam, quæ ad radicem inchoantis placentæ eſt, terminatur; hoc, Urachum foetus eſſe, *Albinus,* maxima cum probabilitate aſſerit.

Cap. XX. Condimentum laborum anatomicorum obſervationes ceteras phyſicas habiturus Excellens *Auctor,* calci huius operis aliqua de *penna marina, zoophyto,* adiecit. Animalculum radice firmatur in ſcopulis, hoc piſcatores ob ſpeciem *mentulam volantem* appellant. Mediterranei maris eſt progenies, mox *alba,* mox *rubea,* & præ admirabili lævore noctu ſplendet. Additur his Clematitidis Floridenſis, flore albo odoratiſſimo, deſcriptio.

Cap. XXI.

LIBER SECUNDUS

Continet anatomica, phyſiologica, pathologica. ibid. 1755. pl. 14.

Cap. I. Dentes hominis, atque ceterorum quoque animantium, vel decidui ſunt, vel perennantes. Illi intra ſeptimum hominis annum

annum labuntur de ſuis præſepiolis, hi ſuccedunt in locum veterum, atque e radicibus priorum germinaſſe viſi ſunt *Celſo*, itidemque *Fallopio*, qui præſepiola *ſeminarium dentium* appellat, potueruntque ſibi hoc perſuadere veteres, cum deciduos dentes, ſine radicibus eſſe conſpicerent, quorum igitur reſiduum in novum dentem erumpere viſum fuit. Horum natales *Diemerbroeck* ad cornu cervini renaſcentis legem æſtimat. Sed falſi fuerunt. Namque duabus alveolorum ſeriebus inſtructæ maxillæ ſunt, & naſcuntur, in *priore*, deciduorum, in *altera*, perennantium dentium primordia, ſenſim indurandа. Poſtquam altera & permanens dentium ſeries adolevit, delentur ſenſim alveoli priorum, hinc naturali veluti carie dentes decidui, ſuis ſcilicet vaſis radicalibus orbati, abſumuntur, excavantur, vacillant, labuntur. Tomicorum, altera ſeries *pone* priores, caninorum *prope*, molarium *infra*, ponitur. Decidui ſunt in utraque maxilla decem; igitur viginti cadunt, ſedecim aliis viſi, ceteri ſerotini, permanent, nec excidunt.

Dentium priorum ac deciduorum geneſis ea eſt, qua omnes ex teſta intra mucum, quem alveolus abſcondit, naſcuntur. Teſta unica eſt *tomicis* & *caninis*, plures teſtæ ſunt *molaribus*, atque totidem, quot radices in ſingulo adeſſe obſervantur. Cap. II. III.

Ruyſchius, quem multa poenituit ſcripſiſſe iuvenem, cum ſenex ſua ſcripta revolveret, pro more magnorum virorum, ad exemplum ipſius Hippocratis, ingenui hominis eſſe putavit, non inhærere ſuæ opinioni, vermes in oſſium tubis naſci poſſe, atque illis, dolorum, qui ſæpe in oſſibus percipiuntur, cauſam tribuere. Apparuerant illi in oſſium penetralibus, cum illa diſcinderentur deſiccata, *chryſalides*, ſeu *involucra illa, ſub quibus vermis ſuam patitur metamorphoſin*, quando in muſcam eſt abiturus. Prodigio ſimilis res viſa eſt: cuius rationem nunc *Albinus* reddit. *Ruyſchio* in moribus erat, oſſa recentia, in quibus carnes adhuc ſupereſſent, vermibus derodenda tradere. Factum igitur eſt, ut vermes, ſane tenues, per iſta foramina, quæ ſunt ad apophyſes oſſium tubiformium, Cap. IV.

 ſub-

ſubreperent, in tubos oſſium procederent, ſuamque in illis metamorphoſin ſubirent, quam tamen abſolvere non potuerunt. Igitur prodigium nunc exſpirat, poſtquam eius cauſa phyſica reperta eſt, & hoc modo *Albinus* ſimiliter chryſalidas in oſſibus diſſectis frequenter reperit.

Cap. V. De utero gravido, cuius hiſtoriam Auctor iam alibi pleniſſime evolvit, aliqua ſuggeruntur nova, quæ iſtius organi, quando ſuo foetu gravidum eſt, fabricam, & differentiam a ſtatu vacuo, oſtendunt, & caſtigatur *Arantius*, qui matricem ex ſquamis contextam, animo ſibi conceperat.

Cap. VI. De epididymide monentur ſequentia. Neutiquam teſticulorum lobuli membranis diſtincti ſunt, ſed ſunt iſta interſepimenta nihil quidquam aliud, quam vaſorum ſeries, quorum extrema fila tubulis ſeminiferis reſpondent, mira præditis anguſtia. Horum collectionem epididymis, & continuatum ab illo vas deferens, ſiſtit.

Cap. VII. Tubus inteſtinalis, cum ex quatuor membranis contextus eſt, quarum extima *communis*, reliquæ, *muſculoſa, nervea*, ac *villoſa*, nominantur, tum interiacent his contextus celluloſi; horum *alter* inter communem & muſcularem eſt, a meſenterii celluloſitate continuus; *alter* proprius, forte cum priori conſpirans, interiacet nerveæ ac villoſæ; *tertius*, quem inter nerveam & muſcularem collocant alii forte.

Cap. VIII. Miles vulnus ſub ſiniſtra ultima coſta acceperat, ex quo cum fæces alvinæ effunderentur, colon inciſum eſſe intellectum fuit. Malam cauſam hanc correxit artifex, & abſciſſi coli oſtium in vulnus externum adduxit, atque illud cicatrice adunavit, ut anus eſſet artificialis, atque ab illo tempore, per naturalem anum, præter mucos tenues, nihil quidquam effluxit.

Cap. IX. X. De arteriis, quæ ſub cute cranii ſunt, commentatus Auctor, admirabilem iſtam, qua illæ, licet diverſæ originis, arteriæ, ad invicem coniunguntur, conſpirationem nitide deſcribit. Cumque illi caput contuſum in exemplo eſſet, arbitratus quidem fuerat, ceram, ex ruptis arteriis, in telam celluloſam, inque locum effuſionis ſanguineæ exituram, ſed nihil horum

rum

Digitized by Google

rum deprehenſum eſt, arteriæ ceram haud effuderunt: unde in confeſſo eſt, ecchymoſes ſuam in eo indolem poſitam habere, quod non tam effundatur ſanguis, quam per laxatos vaſis parietes tranſpiret.

Haſta virilis cum induratur, limites ſuæ extenſionis ab involucro aliquo tendineo accipit, ultra quos arrigi nequit. Ipſa trium corporum ſpongioſo-nerveorum fabrica, cellularis texturæ eſt. Cum igitur *Ruyſchius*, præter cutem & integumenta communia cetera, peni ſingularem & propriam tunicam cellularem tribueret, eam, niſi illa intima penis ſtructura pro tali accipitur, nullibi *Albinus* reperit; atque ille, leges, quibus penis arriget, una expoſiturus, eas quidem non omnino reprobat, quæ in ſanguine cellulas penis replente vulgo ponuntur, veluti id eſſe, arrectio penis in cadavere, cum humores a putredine turgeſcere incipiunt, docet. Enimvero, cum muſculi, quibus hoc officium tribuitur, ut venam comprimant, & ſanguinem ſiſtant, voluntati ſint ſubiecti, arrectio autem præter voluntatem fiat, dubium ſane natum eſt, propter quod, penem hoc modo non arrigi, probabile ſit, ſed aliquid aliud, non ſatis definiendum, & ſolis fortaſſis nervis tribuendum, quodque actioni muſculorum adſcribendum haud eſt, ſubeſſe putatur. Cap. XI. XVIII. & Cap. V. XIX. Libri III.

Adducuntur aliquæ ſingulares coſtarum configurationes, quarum aliqua *biſida*, aliqua, pro ratione conſueta, minor deprehenſa fuit. Cap. XIII. & XVII.

Si unguem de ſua ſede motum intuemur, tunc ſeſe oſtendunt papillarum elongatarum, & ſimiliter in corporis retiformis vaginulis occultatarum, ſeries, quibus inducitur cuticula ſenſim in unguem induranda. Namque papillæ ad unguem nihil conferunt, ſed ſola cuticula, cui quoque unguis adhæreſcit, veluti apparet, ſi quando eam, ebulliente aqua perfuſam, e tota manu, chirothecæ inſtar, educimus. Cap. XIV. & XV.

In obſcuro manent contractionis & mutuæ dilatationis cordis leges, illis, qui eaſdem ex ſolo mechaniſmo declarare ſatagunt. Non enim apparet, ad mentem *Boerhaavii*, qui fiat, ut ex preſſu nervi cardiaci, inter arteriam pulmonalem & aor- Cap. XVI.

 tam

Digitized by Google

tam ad cor progreſſi, oriatur paralyſis cordis & diaſtole, ſiquidem illi ipſi nervi etiam progrediuntur ad auriculas, quæ tamen ſub diaſtole cordis paralytici haud ſunt, quin in ſe potius contrahuntur. Nec ad Syſtolen novam poteſt conferre nova repletio arteriarum coronariarum, quas ſub tempore diaſtoles recentem ſanguinem accipere perhibent, ut nova contractio fieri poſſit, & hunc in finem allegant valvulas arterioſas, oſtiis harum arteriarum, ſub ſyſtoles tempore, prætenſas, ut ſanguis arterias haſce ingredi nequeat. Sed, nec perpetuum eſt in omnibus, has arterias ad baſin valvularum enaſci, ut claudi, contractis cordis thalamis, a valvulis poſſint, ſed multi illas altius poſitas habent, quam ut tegantur.

Cap. XIX. Cor foetus anterius per venam cavam impletum, quandoquidem ſuum ſanguinem per pulmones tunc adhuc collapſos proiicere non poteſt, eundem, continuata in aortam arteria pulmonali, derivat a pulmonibus, quos ſanguinem alium, quam quo ad nutritionem opus eſt, accipere tunc haud oportet. Ad iſtam arteriæ pulmonalis cum aorta commiſſuram, ſub dextra ſubclavia, canalis arterioſus, inter utramque medius, ſiſtitur.

LIBER III.

Continet anatomica, phyſiologica, pathologica, zoographica. Ibid. 1756. plag. 15.

Cap. I. Suæ nimis hypotheſi favent, qui totum corpus vaſorum continuatam ſeriem eſſe aſſerunt. Etiamſi enim illud comprobatum eant, quando totum corpus cerea materie replent, ut locus haud ſit, etiam armato oculo intuentibus, in quo arteriolæ eſſe haud deprehendantur; nimium tamen fidei huic ſuo experimento tribuunt, ſiquidem multa vaſa ceræ haud pervia, venulas, nervulos, vaſa lymphatica, adeoque & fibras, in iſto opere *Ruyſchiano* deleri & obſcurari, comprobatum eſt, ut, quoniam totum corpus a cera rubet, illud propterea totum vas eſſe, argumentari nemini liceat. Analogia enim hoc ſecum affert, ut ſit alicubi aliquid, cuius cauſa vaſa mittuntur, nempe ſolidum elementare, ſeu fibra, quæ vas eſſe nequit.

Val-

Valvula coli, extrema immerſi Ilei ruga eſt, utrinque eo Cap. II.
usque elevata, ut impedimentum ſufficiens reverſuris flatibus vel fecibus ſiſtere poſſit. Namque inteſtinum Ileum finiens Cap. IV.
has elevationes manifeſte ſiſtit, ut, illas ex colo haud eſſe, luculenter appareat, poteſtque hoc concedi *Winslovio*, cum ille hanc valvulam ex villoſa, nervea, & muſculoſa tunica, invicem adunatis, natam eſſe tradit; eſt enim ſatis fortis & tenax, ut, illi compagem muſcularem ineſſe, recte perhibeatur.

Viæ, quibus vaſa ad oſſium compagem procedunt, atque Cap. III.
ab illa invicem revertuntur, quas poros *Haverſius* appellat, aliæ breves, aliæ longiores & tubuloſæ ſunt. Has, cum oſſa per ceram repleta in exemplo ſunt, videmus materia iſthac ceracea farcta eſſe; id quod ita accipiendum haud eſt, ac ſi cera, adeoque & ſanguis, in iſtos poros effunderentur, ſed vaſa omnis generis ſuos humores continentia in iſtis tubulis progrediuntur.

Singulare opus naturæ in coelo palati ſiſtitur. Namque Cap. VI.
pone dentes primores, rugæ transverſæ, arcuatæ, undulatæ, inter eas autem, atque in iis ipſis, multæ rugæ minores eminentes, tubercula atque ſinus, conſpiciuntur. Tuberculum ſingulare ad primores dentes eſt, cui atque naribus commercium intercedere, *Steno* obſervavit. Abinde linea aliqua ad uvulam ducitur, coelum palati dividens, in cuius tunica inveſtiente foraminula, roridas guttulas plorantia, quamplurima inveniuntur.

Palpebrarum cartilagineos margines pili ornant, quibus *ciliis* nomen eſt, atque illi aliter in ſuperiore, quam in inferiore palpebra ordinantur. In ſuperiori palpebra ciliorum ordo geminus, aliquando trigeminus eſt, qui unicus ad inferiorem occurrit. Illi longiores, hi breviores ſunt. Præterea in carunculæ lachrymalis cavernulis naſcuntur pili breviſſimi, aliquando ex morbo luxuriantes, ut Trichiaſis, quod Auctor vidit, carunculæ huius quandoque oriatur. Cap. VII. & VIII.

Nutritionis leges cum definiendæ ſunt, multum negotii faceſſunt illis, qui nihil præter mechaniſmum audire volunt, cumque, ut illud ſibi perſuadeant, ſupponunt relationes ma- Cap. X.

Digitized by Google

teriæ ad locos vacuos & pondera ſpecifica, quæ materiem determinent. Hi in illam obſcuritatem delabuntur, quæ erat ſub iſtis temporibus, quibus, quidquid demonſtrari non poterat, occultis qualitatibus tribuebatur. Similiter nunc finguntur, in demonſtrationis ſubſidium, interſtitia, quæ materiam arteriis ultimis advectam, recipiant, ſupponuntur loca vacua & apices hiantes arteriæ, quæ materiem nutrientem eructare poſſint; volunt alii, ut id, quod nutrit, per vaſculorum, mediante diapedeſi, transſudet latera. Hinc in varias partes ſententiæ rapiuntur, & tamen ultima aliqua ſolida nutrienda, quæ non ſint vas, & ex quo ipſa vaſa conſtent, aſſumenda ſunt, erga quæ vaſa nutrientia dirigantur.

Cap. XI. Vaſa ſanguiflua, quæ tubum alimentoſum pervadunt, ab illo loco, ubi inteſtina adhærent meſenterio, omnia ſunt gemella, & ſurſum atque deorſum feruntur, paribus ubique directa numeris. Horum iter per inteſtinorum membranas quando metimur, videmus, alia inter tunicam communem & contextum celluloſum primum, alia, per tunicam muſculoſam interque eius fibras deferri, quando alia verſus interiorem & alterum contextum celluloſum progrediuntur, aliis denique, una cum tunica nervea, vaſculari rectius nominanda, partim in valvulas aſſurgentibus, partim in tubulos villoſos deſinentibus.

Cap. XII. Cuticula & corpus reticulare verſus papillam mammæ muliebris, veluti in omnibus locis ſanguine transparentibus, ad tenuitatem, quanta eſſe poteſt, maximam, redigitur. In mammilla papillæ nerveæ & eminentiores ſunt, & minus defenſæ, adeoque & irritabiliores. Potiſſimum autem capitulum papillæ, quod in media areola erectum eſt, in virgine, papillis gaudet ſenſibilitatis gradum maiorem habentibus, inter quas lacti, ſuo tempore elaborando, viæ patefactæ ſunt.

Cap. XIII. Calculis gignendis aptiora illa ſunt organa corporis, intra quæ mora quieſcentibus humoribus data eſt. Quam ob rem & veſica, quæ bilem colligit, & ea, quæ urinam, & præterea quoque tubi aliqui excretorii, intra quos humorum motus non adeo rapidus eſt, veluti urinarii atque ipſi biliferi canales

les, immunes ab iſta lapidea concretione haud ſunt. Calculus autem omnis cepacea aliqua laminarum ſenſim aggregatarum ſerie excreſcit, ſtrato intimo circa aliquam rem minutam convoluto.

Retina, quæ intima oculi eſt tunica, corpus vitreum proximo amplexu tenet, & ad Iridem usque continuatur. Nervi optici pars medullaris ſua quoque vaſa ab iisdem habet, quæ dictam nervi medullam ad oculum comitantur. Horum, ſive arteriæ ſint, ſive venæ, admirabilis eſt implicatio, quæ materie aliqua intermedia molliſſima contexitur, ea ſcilicet, quæ ab radiorum viſibilium illapſu iſtos motus accipit, ſub quibus viſio ſiſtitur. Cap. XIV.

Phoca, animal marinum, utraque vita, & aquatili, & aerea ſuſtentatum, & organa ad utramque accommodata gerens, pedibus anterioribus digitatis, poſterioribus itidem digitatis, aſt membrana coniunctis, gaudet, pilis præ lævigie ſplendentibus, dentibus ad raptum commodis inſtruitur. Mater erat, quam diſſecuit Auctor, foetu prægnans maſculo. Gratiæ habendæ ſunt Clariſſimo Auctori, pro iſta erudito orbi præſtita opera, cuius nomen nulla tempora reticebunt. Cap. XV.

Des Teutſchen Reichs Münz-Archiv.

i. e.

ARCHIVUM REI MONETARIÆ IMPERII Germanici, ex Archivis & Actis publicis ineditis congeſtum a IOHANNE CHRISTOPHORO HIRSCH, Aulico Cameræ Conſiliario Marchionis Brandenb. Onoldini, & rei monetariæ Inſpectore.

VOL. I.

Noribergæ 1756. Alph. 5. plagg. 5½. in fol.

Poſt curam religionis & iuſtitiæ, tertium merito in bene ordinata Republica locum tuetur cura rei monetalis. Huius igitur conſervationi in integritate ſua magnopere ſtudendum eſt. Unde naſcitur neceſſitas notitiæ rei monetariæ;

riæ, cui plures quidem iam ſtuduerunt, de quibus in ſingulari tractatione ſe acturum promittit Ill. Auctor in Præfatione. In Germania, moneta ante a. 968. quo ſub Ottone I. metallifodinæ primum in ſylva Hercinia detectæ, rara; in Francia orientali ante annum 536. ignota. Cudebantur autem primum ex auro & argento puro numi bracteati, quos excepe- runt ſolidi, informi primum typo ſignati. In uſu etiam erant Denarii, *Dick-Pfenninge* appellati, valore æquantes octo crucigeros. Occurrunt tamen deinde Pfenningi, florenum Rhenanum valentes. Quidam Pfenningorum, ab albedine argenti, *Weis-Pfenninge* dicti ſunt, uti Moguntinos rota notatos *Rader-Weis-Pfenninge* vocarunt. Bracteati Germanis *Hohl-* vel *Blech-Müntzen*, ut & *Hohl-Pfenninge* appellantur. Ex uno tantum latere cuſi ſunt, nec ætatem Ottonis I. excedunt: imo Dn. Moſer exiſtimat, eum ducis Sueviæ Conradi, qui ſeculo XII. vixit, & quem exhibet *Leuckfeld* in antiquit. numar. hactenus omnium antiquiſſimum eſſe. Durarunt usque ad finem ſeculi XV. Halleri, a civitate Hala in Suevia nomen habent. Cuſi ſunt primum A. 1228. Eorum iam 1420. duo pfenningum reddiderunt. Appendi etiam ſolebant ad libram, unde mentio *der Pfunde, oder Pfunde-Heller*. Ad ſeculum usque XV. in Germania quoque in uſu fuerunt Turonenſes, *Turnoſſe*, a Ludovico IX. Turoni in Gallia primum cuſi a. 1226. Eorum dein exemplo Germani tales numos cuderunt Diepurgi, Francofurti, Norimbergæ. Seculo XIII. invaluerunt Groſſi, Pragæ primum cuſi, iuſſu Regis Wenceslai II. 1286. Dicuntur craſſi, vel groſſi, quia bracteatis ſolidiores; groſſi autem Bohemici, a prima origine. Hodienum quoque durant ſic dicti Floreni, primum cuſi Florentiæ 1252. & a metallo Floreni auri dicti. Adfines his Ducati, quorum primos Rogerius rex Siciliæ, nomine Ducatus Apuliæ cudi fecit 1140. quem ſecuta eſt Reſpublica Venetiarum 1280, Genua, & alii Status Italiæ & Germaniæ. Thaleri primum 1519. in valle S. Ioachimi, in Bohemia, iuſſu Comitum de Schlick, cuſi ſunt. Eodem ſeculo, in pago primum Helvetico *Bern*, inclaruit genus numorum, *Batzen* dictum,

ab

Digitized by Google

ab urſo, civitatis inſigni. Quod genus brevi poſt in Germania quoque cudi coepit, & hodienum perdurat. Crucigerorum ante annum 1490. nulla mentio. Primi in Comitatu Tyrolienſi, in agro Atheſino (*im Etſchland*), cuſi videntur.

Hoc ius monetandi, ratione Statuum, vel Imperatoris Privilegio nititur, vel præſcriptione immemoriali. Ex Imperatoris Privilegio id primi impetrarunt Status Eccleſiaſtici; ſerius id adepti ſunt Status Seculares. Idem ius quoque Mediatis Statibus quibusdam indultum; urbes Imperiales omnium poſtremæ acceperunt. Per complures Cæſarum Conſtitutiones Aquila Imperii, perinde ut propria Statuum inſignia, monetæ inſculpi debebat. Sed ut hæ Conſtitutiones in partibus principalibus parce ad obſervantiam deductæ fuerunt; ſic in hoc quoque capite negliguntur. Ad inhibendas fraudes æruſcatorum, Ordinationibus Monetalibus Caroli V. & Ferdinandi I. conſtituti duo dies probationum monetalium: verum hi hodie non accurate obſervantur. Ad eundem finem concurrunt circuli correſpondentes, ut vocant. Veniunt autem hoc nomine, Franconia, Bavaria, Suevia, & Auſtria. Tres priores etiam interdum Norimbergæ, Ratisbonæ, & Auguſtæ Vindelicorrm dies Probationum habent. Ille Conventus Probationum dierum, a parte Sereniſſimæ domus Brandenburgicæ, tanquam Franconici Circuli Co-exſcribentis & Con-dirigentis Principis, iam 1564. & deinceps ſæpius frequentatus fuit. Quod ideo adſertur, quoniam ſunt qui exiſtiment, Sereniſſ. domum Brandenburgicam, a iure condeputandi ad dies Probationum excludi; cum tamen res monetalis in Circulo Franconico negotium commune omnium Conſtatuum ſit. Iam quum ill. Auctor noſter ipſe quoque inſpector monetarum ſit, viſum eſt ipſi colligere, quæ anteriori rerum monetalium cognitioni prodeſſe poſſent. Communicata eam in rem complura cum eo fuerunt ex Archivo ſanctiori Sereniſſimæ domus: unde hac in collectione complura comparent anecdota, quæ partim in hac parte in lucem prodeunt, partim in inſequentibus comparebunt. Ita nunc in lucem prodire incipiunt hæc documenta monetalia, magnam partem antea inedita, & magni

 uſus

uſus futura, omnibus legatis, conſiliariis Regiminum, & Præfectis; quin & iuri publico Germaniæ noſtræ cognoſcendo. Secutus eſt ill. Auctor ordinem Chronologicum, ita tamen, ut ope Indicis ſane affabre facti, Lectorum commodo ſuccurreret. Hac prima parte continentur Edicta Monetalia, & his ſimilia ſegmenta, numero CCXXVII. Nos gratulamur Viro illuſtri, hunc, bene de patria hiſtoria merendi, ſenſum, atque inprimis præclarum in ea exornanda, quod hoc Opere declaratum eſt, ſtudium atque induſtriam; quæ, quo impeditior eſſe debebat in tali argumento, ad quod illuſtrandum conquirenda undique monumenta, magno & ſumtu, & labore improbo, fuerunt, hoc maiori cedit gloriæ Auctori Operis, quod ut pulcre, ut coeptum eſt, procedat, vehementer optamus.

FONTES IURIS CIVILIS ROMANI, Secundum ordinem Pandectarum collecti, & Commentariis illuſtrati, ſtudio IO. CONRADI STIGLIZII, Naumburgenſis, Academici Columbarii Florentini. Specimen I. ad Tit. de Iuſt. & Iur.

Lipſiæ, apud Io. Michaelem Teubner, 1756. 8 plag. 8. mai.

Licet in ſcenas, quibus agitati legum auctores, editæque iuris omnis origines, fata & viciſſitudines, nondum productus ſit chorus veterum Poetarum græcorum, iis tamen perſona primorum iuris conditorum propterea omnino imponenda, quod, inveſtigata, in quo primi occupati fuere, tum rerum univerſitate ipſa, tum etiam hominis natura, omnique vi humanitatis, adeoque detecto fine illo, ad quem homines ab ipſa natura fati, nimirum pacis ac ſocietatis cultura, ſilveſtribus hominibus, beſtiarum more viventibus, præcepta humanitatis atque ſocietatis tradiderint, vitæque via monſtrata, ad cultum civilem deduxerint. Quo ſtudio vatibus illis divinis longe antevertit Homerus, e cuius Iliade & Odyſſea, differentias iuſti & iniuſti omnino intelligi poſſe, iam olim faſſus ingenue eſt Plato *Alcib. I.* quamlibet ſecreto inimicus eſſet Homero. Quam quaſi ſementim ita fecit Homerus, ea tractu tem-

Proluſ. Pag. V.

temporis, in voluminibus Philoſophorum, Oratorum, Hiſtoricorum, Poetarum, cum græcorum, tum latinorum, ferme in immenſum excrevit. Ex inſtitutis enim Lycurgi ac Solonis, antiquitas græca, ut animi ſcientia iuſtitiaque excolerentur, tota fuit in legendo exhauriendoque Homero; id quod & Romæ obtinere coepit, litteris græcis eo transvectis. Quibus quam ſtrenue vacaverint, quantum, præter unum illum Marc. Catonem, adfecti fuerint Romani, veteris illius vaticinii: *quandocunque gens graeca ſuas litteras dabit, omnia corrumpet:* parum curioſi, conſtat inter omnes. Græcarum vero litterarum **Pag. IX.** ſtudiis præcipue formari ſolebant perficique ICti Romani. Nec dubium, vel mirabile cuiquam videatur, eos triviſſe adeo exemplaria græca, ſiquidem alii fuere græci homines ipſi, ac proinde diſciplinis patriis innutriti, veluti Tryphoninus, Calliſtratus, Menander, Arcadius; alii libros ſuos græce compoſuerunt, ut Papinianus librum Ἀστυνομικῶν, Modeſtinus libros *Excuſationum;* aliorum libri pleni ſunt græciſmis, ac ſale Attico; in aliorum, Iul. Paulli præcipue ſcriptis, argutiæ & acumen philoſophorum græcorum utramque faciunt paginam; aliqui Homerum, ac ceteros ſcriptores græcos, ſæpe excitarunt, ſed ſæpius nomina auctorum ſuorum reticuerunt omnes. Enimvero, quidquid græci, & ex iis libantes latini Auctores, de iure naturali ac civili iam antea edixerant, id in utroque iure exponendo maximam partem repetiere ICti Romani; veſtigia proinde ſcriptorum veteris Græciæ Latiique magis, quam naturam hominis ipſam, aut rationem civitatis, perſequentes. Operæ igitur pretium omnino eſt, notiones Iuris Romani quaſi a capite arceſſere, & ad origines ſuas revocare. Arduum hoc antiquitatis iter, per ſingulas digeſtorum partes eundo, pro eo ac par eſt, nemo huc usque confecit. Grotius quidem, immenſæ veterum lectioni ſuæ confiſus, ſimile quid expertus eſt in *Flor. ſparſ. ad Ius Iuſtinianeum:* neque tamen felici admodum eventu. Quantum enim ad omnem hiſtoriam Iuris **Pag. XII.** illuſtrandam, quantum ad rationes & veras legum ſententias valeat inſtitutum hoc, parum demonſtravit, pauciſſimisque duntaxat Iurium fontibus indicatis, vix poſuit initia ampliſſi-

Digitized by Google

mæ huius collectionis. Relicta poſteris hac operoſa gloria, magnum hoc & difficile aggreſſus eſt opus Cl. *Stiglizius*, ea ingenii felicitate, quæ eiusmodi operi perficiendo neceſſaria eſt, omnino dotatus. A ICtis Romæ antiquæ nil plane dictum eſſe, quod non dictum ſit antea, nihilque reſponſis eorum ineſſe, cui ex antiquioribus monimentis non adfulgeat lux inſignis, reapſe vicit in hoc ſpecimine. Leges, pro argumenti ratione, in partes dividit; interiores earum fontes ex omni antiquitate erudita deducit; & ope eius ſingulas legum ſententias explicat, amplificat, illuſtrat. De Commentariis iſtis dicturi breviter ſumus, de fontibus vero legum non niſi obiter, & in transcurſu: omnes enim ac ſingulos percenſere, ab inſti-

Pag. 2. tuti noſtri ratione alienum foret. Ad *leg. 1. pr. de I. & I.* poſtquam de finibus ſtudii etymologici regundis docte diſſeruit Auctor, & Labeonem, qui Gellio *N. A. XIII. 10.* teſte, *ſcientia originum latinarum vocum, ad enodandos pleroſque iuris laqueos, uſus*, an dicamus abuſus ſit, ex merito notavit, conſciſcere progreditur litem inter Ulpianum & Ariſtotelem, ſuper origine iuris a iuſtitia, evidentiſſime demonſtrans, qua ratione iuſtitia a iure, vel hoc ex illa gignatur: quippe Ulpianum, ſenſu magis philoſophico, quam grammatico, ius a iuſtitia deduxiſſe, auctoritate Cic. *III. de Rep.* apud Auguſtin. *de C. D. XII. 21.* tamquam fontis, unde Ulpianus hauſerit, evin-

5. citur. Quum in Celſi definitione iuris explicanda verſatur Noſter, in id præcipue enititur, ut æquitatem haud quaquam eſſe iuris civilis correctricem demonſtret, & ut diſſentientes conciliet. Omnem ſcilicet legem, ratione, vel naturali, vel civili, munitam eſſe oportet. Ratio civilis etiam oritur ex naturali, quatenus politia, tam generatim, quam ſpeciatim conſiderata, præſcripto rectæ rationis nititur. Ex ſanctionum iſtarum rationibus, eruitur per interpretationem vera mens & intentio legislatoris, & quo usque ea extendenda ſit, reſtringendave. Vera legislatoris mens & intentio proprie eſt legitimum iuſtum. Quippe verbis legum duntaxat ſatisfaciens, in fraudem legum agere dicitur. Ius itaque legitimum, veriori illa ac genuina ſignificatione acceptum, adverſari non poteſt æquitati naturali,

tan-

Digitized by Google

tantum abeſt, ut illud huius emendatione indigeat. Leges qui-
dem civiles pleræque omnes imperfectæ ſunt, & infirmitas hu-
mana quaſi perpetua earum comes. Imperfectæ leges ſunt
proprie tentamina legum, quæ perfectionem qualemcunque
demum nanciſci debent ex additamentis, quæ neceſſitas & na-
tura ipſa in uſu & argumentis rerum demonſtrent. Propterea
tamen ab æquitate non corriguntur, nec emendantur leges il-
læ, tamquam æquitati contrariæ; ſed adiuvantur, ſupplentur,
augentur, perficiuntur, tanquam leges imperfectæ. Infinitis
res illuſtrari poſſet exemplis. Dilucide porro vincit Cl. Au- Pag. 7.
ctor, æquitatem ſpeciatim minime eſſe rigoris iuris civilis mo-
deratricem; potius lenitatem, aſperitate & duritie, pro qualitate
rei, ex bono & æquo moderandam: quo pacto Claudium, di-
vini ingenii Imperatorem, Suetonius, *Vit. Ei. c. 14.* & Præto-
rem Romanum, Ulpianus, *l. 1. pr. de eo, per quem fact. er.* ius
dixiſſe commemorant. Cauſſam, quam ob rem ICtos Ulpia- 10.
nus appellaverit *ſacerdotes iuſtitiae,* ex inſtituto certo Ægyptio-
rum apud Diog. Laert. *prooem. d. V. P.* derivat, ac dextre ex-
plicat Noſter, verum de his verbis ipſe videat: *cognitio Dei,*
ſi a certitudine Dei diſceſſeris, poſita eſt in informationibus &
enuntiatis mere negantibus. Quum enim fieri non poſſit, ut animo
finito humano concipiantur & infinitum Numen ipſum, & infi-
nitae eius affectiones, nedum oceanus iſte exhauriatur divinus: co-
gitur hinc, ut cogitationes de Deo tantummodo ſint remotiones
cuiuslibet imperfecti a perfectione ſumma & incomprehenſibili di-
vini numinis, & comparationes finiti cum infinito. Lectu digniſ- 13.
ſimæ ſunt notæ Cl. Auctoris ad verba illa Ulpiani: *aequum ab*
iniquo ſeparantes, licitum ab illicito diſcernentes; bonos, non ſolum
metu poenarum, verum etiam praemiorum exhortatione, efficere
cupientes; partim ex fontibus philoſophiæ Socraticæ ap. Xe-
nophontem *IV. Mem. Socr. 4.* hauſta, partim ex inſtituto So-
lonis ap. Cic. *Ep. 15. ad Brut.* ac Demoſth. *Orat. contr. Leptin.*
p. 381. deſumpta. Ita e. c. legislatoribus, metum poenarum
iniecturis, nec auctor nec ſuaſor eſſe vult, ut cadavera punito-
rum, vel rotis impoſita, vel de furcis ſuſpenſa, relinqui iubeant
inhumata; quandoquidem lex divina, *Deut. XXI. 22. 23.* natu-

Pag. 20. ralis eſſe videatur, ob rationem naturalem adiectam, Homero,
Il. ω. 54. quoque obſervatam. Ex ultimis Ulpiani verbis §.
1. h. leg. uberrimam copiam de ICtorum Rom. ſtudio philo-
ſophiæ moralis, & virtutibus eorum inſignibus, diſſerendi nan-
ciſcitur, quas præſtantiæ philoſophiæ moralis Stoicæ tribuit:
miratur tamen, a nullo ſcriptorum hiſtoriæ philoſophicæ de-
monſtratum eſſe ſatis, qui factum, ut philoſophia moralis Stoi-
corum tam ſolida fuerit, quum tamen infirmiſſimis ſubſtructæ
ſint fundamentis eorundem metaphyſica & phyſica? Præterea
humanitatem ICtorum veteris Romæ, nimirum virtutem illam,
quæ ad conſuetudinem civilem pertinet, a nemine adhuc cele-
bratam, laudibus ſatis extulit Cl. Auctor, ſpeciminibus comita-
tis morum, qua ICti illi politiſſimi floruerunt, e diſputatione
25. fori præcipue erutis. *Ad §. 2. h. leg.* Ulpianus propterea no-
tatur, quod ius publicum Romanum, ante & poſt legem regiam
26. latam, ibi turpiter confudit; quemadmodum eiusdem Ulpiani
differentia inter ea, quæ publice utilia ſunt, quæ privatim, haud
29-32. perpetua eſſe, immo valde periculoſa, demonſtratur. Celebris
illius definitionis *iuris naturalis*, ab Ulpiano *§. 3. h. l.* traditæ,
auctoribus, nempe Demoſthene & Euripide, nominatis, copio-
ſius diſquirit Noſter, an, & quatenus iuris capacia ſint bruta
animantia; deinde, an iis commune ſit ius cum hominibus.
Demonſtrationum vero ſeries in epitomen redigi commode
nequit. Vim aliquam cognoſcendi actionum normam, nedum
diiudicandi & inveniendi, haud quaquam animalibus ineſſe, vel
eo probare contendit, quod materia notionum, h. e. verbis, &
certo reſpectu numeris, deſtituta ſint. Sine alterutro genere
ſignorum, quæ diximus, genera & ſpecies rerum repræſentari
nequeunt: fieri igitur non poteſt, ut formandis iungendisque
ideis, nedum ratiocinando, apta ſint animalia. Aliter regula agen-
di inveſtigari nequit, intelligique. Enarratis inſuper *πρώτοις
κατὰ φύσιν*, characteres definire ſtudet Cl. Auctor, quibus ea
pravis ab affectibus diſcerni queant. Scil. cupiditates pro na-
turalibus habet, quæ univerſales, & omnibus animantibus com-
munes, deinde, quæ media ſunt finium divinorum. Utraque
34. nota coniunctim adſint. Denuo autem exploditur Ulpianus,
qui,

qui, in commemorandis iuribus inter prima naturæ datis, con-
iunctionem viri & feminæ, uti ex iure naturali deſcendit, matri-
monium appellaverit; ita enim quam maxime promiſcuum,
incertum, atque adeo inceſtum foret, h.e. eodem modo com-
paratum, ac animalium illa coniunctio, quam, uti eſt, deſcripſit
Ovidius, *X. Metam. 324. ſeq.* Oblata ea occaſione, iniquita-
tem inceſtus naturalem eleganter demonſtravit Noſter, alias-
que adiecit obſervationes egregias. Ius educandi h. e. alendi Pag. 39.
ſobolem, & diſciplina quadam, ſi opus eſt, impertiendi, tantum
intenditur & augetur, ut eo providentia poſt mortem erga fe-
tus quoque contineatur: cuius iuris imaginem repræſentant
papiliones, antequam pereant, agglutinantes ovula ſua arbo-
rum ramis iuxta gemmas, quas futuro vernali tempore per ſo-
lis calorem primum iri protruſum præſentiunt, quo fetus ovu-
lis vi caloris extracti ſtatim inveniant, quo ſe ſuſtentent. Sa- 40.
pientiæ ergo divinæ voces, *2 Corinth. XII. 14. & I. ad Tim.*
V. 8. naturæ ipſius vocem eſſe, contendit Noſter. Iuris gen-
tium definitionem, quæ ad formam redacta, eſt ea actionum
determinatio, cuius ratio natura humana, ſeu eſſentia ſolis ho-
minibus communi, continetur, ad ingenium veterum Græco-
rum compoſuit Ulpianus §. 4. *h. leg.* Quid enim in monimen-
tis antiquis frequentius provocationibus ad κοινὸν ἁπάντων
ἀνθρώπων νόμον. Originem & naturam officiorum erga 41-49.
Deum, parentes, & patriam, quæ, ad ductum Socratis & Euri-
pidis, ita ordinavit diſpoſuitque Pomponius ICtus, *leg. II. h. t.*
breviter quidem, ſed ſolide, ad rationis diſciplinam, vicit Cl.
Auctor. Vere religioſum dicit eum, qui rationem actionis cu-
iuslibet ſuæ, non ex utilitate propria, h. e. præmiis futuræ vitæ,
ſed a Deo præcipue & primario hauriat, & non niſi ea movea-
tur. *Ut vim atque iniuriam,* h.e. ut ex Livio *VII. 31.* intelligere 50.
licet, vim iniuſtam, *propulſemus,* ad ius gentium retulit Floren-
tinus, *leg. III. h. t.* quum iure inter prima naturæ dato in-
diſtincte propulſanda ſit, ut in beſtiis videmus, vis qualiscun-
que, etiam iure intentata; iure gentium defenſio, ea præſertim,
quæ ad excidium aliamque extremam aggredientis læſionem
tendit, non concedenda, niſi ob vim iniuſtam, eamque præſen-
tem.

Digitized by Google

tem. Quid ſit vis iniuſta, & quando dici poſſit præſens, Auctor definivit acute. Ita quoque iuſtitia belli, ut dicitur, *defenſivi*, ex præſentia periculi æſtimanda erit. Dubitamus tamen, an defenſioni, cum excidio lædentis coniunctæ, locus eſſe poſſit ob vim leviſſimam quamque, licet iniuſtam & præſentem, ut putat Cl. Auctor, pro ratione hæc adferens: „neque aggre„diens ipſe vim ad menſuram inferre, nec, qui petitur, de fi„nibus violentiæ ſibi intentatæ ſatis certo iudicare valent. Eſt „igitur, quod hic extrema quæque ſibi imminere metuat."

Pag. 55. Metu iſto metienda ei eſt tutela vitæ & corporis. Ad naturalem turpitudinem, vim alteri iniuſtam inferendi, demonſtrandam, utitur Florentinus argumento, a cognatione ducto, quam inter homines natura conſtituit. ICtum heic non innuere, contendit Noſter, naturalem illam & originalem ſanguinis mortales inter omnes coniunctionem, quam ignorabat ille; ſiquidem veteres gentes conditorum ac parentum ſuorum natales in terra quæſivere: ſed ſocietatem, familiaritatem, & communitatem, a natura ingeneratam, græce *οἰκείωσιν*, qualis notio & fontibus, unde Florentinus hauſit, & philoſophiæ Stoicæ, qua imbutus, dogmati, ſuper univerſali republica, ſeu magna illa

59. univerſitate, eſt apprime congruens. *Legem IV. h. t.* quæ eſt Ulpiani, docte explicavit Cl. Auctor. Natura & indole ſervitutis demonſtrata, miratur, ſervilem iſtam conditionem hominum in veteri Græcia Latioque obtinere, ſaltim durare potuiſſe, iis præſertim temporibus, quibus philoſophia Stoica regnum occupaverat, qua hominis præſtantia tantum extollebatur, eiusdemque cauſſa facta omnia a natura exiſtimabantur. Quod ad ſervitutis originem, libertas non niſi conſenſu & facto cuiusque ſuo, olim amitti potuiſſe, probatur: id quod fiebat, vel ſe ipſum pacto & ſponte in ſervitutem dedendo, cuiusmodi tamen pacta apud Romanos irrita erant; vel ſcelus admittendo, propter quod libertas vel per poenam eripiebatur, vel per ultionem, quo pertinet, quum quis captivitate fieret ſervus. Quippe captum captor pro hoſte, eoque iniuſto, conſiderare ſolet. Scilicet, moris hominum eſt, ut victa ac triumphata cauſſa habeatur pro iniuſta, eritque, dum omne ingenium hu-

manum

manum obtunditur myſterio illo cauſſarum tranſitus, nexusque rerum huius univerſi. Victori, iure victoriæ, in hoſtem victum omnia licent, etiam extrema quæque, a quibus tamen abſtinere, & captum, erepta iniuriæ licentia, ad operas ſervare, utilitatis cauſſa ſuadet; quin ex duobus ultionis generibus mitius eligi, exigit rationis diſciplina. Servitus vero, quæ ſola fortuna obtigit, iniuſta erat. Neque tamen ex utroque parente, ſervitutem iuſtam ſervientibus, vel matre ſaltim ancilla prognatus, de ſervili ſua conditione, quaſi iniuſta, conqueri potuit: nam viſcerum matris proportione olim obtinebatur embryo: iure igitur dominii continebatur, antequam editus eſſet, quo circa liber naſci non potuit. Diſquiritur poſtea, qua ratione ſervitus & manumiſſio iuris gentium dici poſſint, unde utramque, auctore Plutarcho, *in Cat. Mai.* derivavit Ulpianus *h. l.* vapulatque Tribonianus, qui argumenta, quæ non ſimpliciter iuris gentium ſunt, ex Inſtitutionibus Ulpiani lecta, Pandectis inſeruerit. Adhæc manumiſſionis nomen latius multo patere, & de quacunque libertatis datione uſurpari, auctoritate huius legis evincitur: ita ut manumiſſi etiam dici poſſint, qui ſine manumiſſione ad libertatem pervenerint, de quibus integrum habemus titulum in Pandectc. Denique ſolennitate manumiſſionis ex inſtituto Laconum ap. Athenæum *VI. 20.* deducta, de manumiſſione rerum diſputatur, quæ Diis, ſacrorum cauſſa, dedicari ſolebant. Progredimur ad famoſam *leg. V. h. t.* ubi *bella iure gentium introducta* Hermogeniano dicuntur, quæ etiam Platonis *I. de Leg. p. 565.* ſententia fuit. Utriusque veſtigiis inſtitiſſe videtur Hobbeſius. De natura belli præclare diſſerit Cl. Auctor. Miſeriis generis humani adnumerandum eſſe putat defectum modi cuiusdam, bello claudicante efficacioris & melioris, ius proſequendi in populum nocentem. Iuſtitiæ cauſſæ rariſſime reſpondet fortuna belli, aleæ pleniſſimi, ſtilo Homeri: ἐπιμὶξ δέ τε μαίνεται Ἄρης. Quid frequentius eſt cauſſa victrice, & illa quidem iniuſtiſſima? Inutile, quin perniciosum eſt illud ipſum remedium, ac proinde de iuſtitia cauſſæ actum, niſi vires læſæ gentis ſuperent, ſaltim æquent potentiam lædentis. Quod quum haud perpetuum ſit, bellum quoque neutiquam poteſt eſſe perpetua & vera ratio iuris perſe- Pag. 65.

 quendi

Digitized by Google

quendi inter gentes, quamvis verior certiorque adhuc ignoretur. Bella populi Iſraelitici, de quorum iuſtitia cauſſæ ne quidem ſatis conſtat, ad exemplum trahi prorſus nequeunt. Quanta belli diſſimilitudo, cuius auctor ipſe Deus, in quo Deus ſingulari modo militat ac vindicat. Antiquo illo præſidio divino ſolus forte fidelium coetus niti poſſe videtur, ſi fieri poſſet, ut in eiusmodi diſcrimen deductus, arma corripere cogatur. Quæ porro de regnis iure gentium conditis, gentibus diſcretis, ædificiis collatis, (non *collocatis*, ut perperam, & contra auctoritatem fontium, in Pandectarum editionibus legitur,) dominiis diſtinctis, quibus *actuale*, ut in ſcholis balbutiunt, dominium indicatur, denique de commerciis & obligationibus inſtitutis, præeunte Hermogeniano, diſputavit Cl. Auctor, lectu amoeniſſima ſunt, & virum earum rerum intelligentiſſimum produnt omnia. Verbi gratia proferre lubet cauſſam, cur pacta iure gentium ſervanda putet. Nexus inter conſenſum, quovis modo rite declaratum, & obligationem, eo conſtitutam, hic eſt. Copia, ſeu modulus virium humanarum, firmamentum eſt omnis obligationis. Certam aliquam rem, operamve, vel pretium ſpondens, prodit, ſe præſtando eſſe; ergo ſua propria confeſſione, de virium copia ſtatim convinci poteſt; inde naſcuntur obligatio & actio ad fidem, quam dedit utervis contrahentium,
Pag. 81. reapſe habendam liberandamque. Nec minori cum voluptate legimus illuſtratam *legem VI. h. t.* Ulpianus, auctore Ariſtotele, *V. Eth. 7.* ius civile per ea, quæ ſunt in iure naturali mutabilia, ibi acutiſſime determinavit. Eo in primis retulit Auctor noſter certam illam formulam, ſplendidiori molliorique vitæ, quæ in locum ſimplicioris ſucceſſit, neque cum ratione naturali directo pugnabat, in republ. datam. Per eiusmodi additamenta, ſi res æqua lance penſitatur, ſimplicitati iuris naturalis revera quid detrahitur, & per conſequens mutatur, ac tollitur. Quatenus etiam libris terribilibus inſignia iuris naturalis, quamlibet perfectiſſimi, additamenta contineantur, ſolide vicit Noſter, eosque confutavit, qui ſanctionibus poenalibus tantummodo ſecuritati civium proſpici, neque vero legis naturæ vim eiusmodi auxilio acui, contendant. Ad *leg. VI. §. 1.* Au-
84. ctor erudite commentatur de legibus Athenienſium & Lacedæmo-

dæmoniorum; & potiſſimum in cauſſam inquirit, quam ob rem Solon leges ſuas tabulis inſcriptas ac promulgatas voluerit, Lycurgus contra noluerit. Quum Laconum genio, Gallofrancici ſimillimo, nil magis in deliciis eſſet, quam cantio, cum perpetuis inter canendum frequentamentis: cives ſuos in hoc adſuevit Lycurgus, ut, loco carminum Locrenſium, alibi decantari ſolitorum, rhetras, quas Terpander & Tyrtæus erant vorſa oratione complexi, quotidie decantarent, & alter alterum cantando quaſi iura doceret. Promulgationis vicem obibant quotidianæ iſtæ rhetrarum cantationes. Ita memoriæ civium, quam tabulis inſcriptas maluit Lycurgus leges, quibus cives tanto magis urgerentur. Quo ſæpius enim quidquam ſenſibus obiicitur, eo magis quoque id animo obverſatur. Atque ideo Lycurgum Socrates, apud Stobæum *Serm.* 9. laudaſſe videtur, quod cives ſuos legibus parere adſueverit. Solon contra, haud ignorans, unico verbulo legis ſcriptæ maximas ſæpiſſime definiri poſſe controverſias, quo iuſtitia conſtantior foret, ac ſibi perpetuo ſimilis, leges, per modum carminis, more antiquo conceptas, βουστροφηδὸν inſcribi curavit tabulis. Quæ heic traduntur differentiæ inter δέλτας, Pag. 87.
κύρβεις, ἄξονας, & σανίδας, exactæ omnino nobis videntur. Ad hæc, valde exagitantur, tum Ulpianus, qui ius ſcriptum & ius conſuetudinis, cuius diſtinctionis ſedes in Platone *VIII. de Rep. p.* 499. quærenda, cum legibus ſcriptis Athenienſium & non ſcriptis Laconum comparaverit; tum Tribonianus, qui non ſolum temporis, quo egit, immemor, conſuetudinem ad ſtatum popularem definiverit, §. 9. *D. de I. N. G. et C.* ſed etiam ius civile Romanum ex inſtitutis duarum civitatum, Athenarum & Lacedæmonis, fluxiſſe putaverit: quum tamen ex iis compoſitum ſit, *quae erant uspiam egregia*, quemadmodum de legg. XII. Tabb. inquit Tacitus *III. Annal.* 27. ſive eſſent Corinthi, ſive in Rhodo, ſive Athenis, ſive Spartæ, ſive in Aegypto, ſive in Palæſtina, ſive in magna Græcia, ſive etiam alibi. Data hac occaſione, laudibus admodum celebrantur Romani, Græcis multo graviores & maiores. Scilicet illi inventis & inſtitutis peregrinis uti conſueverant ad communem utilitatem; his e contrario, quæ fuit eorum invidentia, indignus videbatur uſus peregrini cuiusque inſtituti. Rem ipſam exempla vincunt. Miſſis legibus ſequentibus, properamus ad celebrem *leg. X. h. t.* Definitio Ulpiana iuſtitiæ deprompta eſt 90.
partim ab Ariſtotele, *V. Eth.* 1. & ap. Stobæum *Serm.* 9. partim a Simonide, ap. Platonem, I. *pr. de Rep.* Inde apertiſſima duxit Cl. Auctor argumenta, Ulpianum, definito iuſtitiæ internæ & externæ ambitu, iuſtitiam quoque internam a fine iurisprudentiæ civilis feciſſe inſeparabilem. Præſidium heic invenient, qui decalogum pro lege duntaxat civili Iſraelitarum accipiunt; ſiquidem lex civilis circa pravas cupiditates æque occupata eſſe poteſt, uti nono ac decimo præcepto divino factum. Obiter quoque notantur Græci Alexandrini, & locus *Eſ. LXIV.* 6. emendatur & explicatur. Quæ §. 1, *h. leg.* 95.

tradidit Ulpianus præcepta iuris, dogmata capitalia, & quaſi apices ipſos eſſe philoſophiæ moralis Stoicæ & Peripateticæ, probavit dilucide Cl. Auctor. Colligitur hinc, Ulpianum, unum atque item alterum præceptum iuris ſupremum docere, ex quibus ſingulis, per ſe conſtantibus, pro diverſo ratiocinandi modo, quævis deduci poſſint officia; neque vero ICtum illum partim ſuperiora, partim inferiora iuris præcepta tradere, quod quidem interpretibus quibusdam viſum eſt, vel certam officiorum partitionem ſuppeditare voluiſſe, quam alii affinxerunt Ulpiano. Definitionem iurisprudentiæ §. 2. *h. leg.* Ulpiano expenſam ſine dubio tulerunt Homerus, *Il.* ε. 129. & Euripides, *Hel.* 929. *ſeq.* Manifeſto igitur concidit eorum ſententia, qui *rerum divinarum* in iure notionem evolvere tentarunt e diſciplina Stoicorum. Subſiſtimus hic, ne ultra limites progrediamur. Omnia æquiſſimus quisque rerum arbiter deprehendet in hoc ſpecimine ita comparata, ut Cl. Auctorem omnis doctrinæ promum condum referant, divinarumque & humanarum rerum theſauros recludant præſtantiſſimos. Lætamur admodum, inter ICtos, & illos quidem civilibus undis merſos, dari adhuc ingenia, nobilioribus litteris tam præclare exculta. An igitur eſt, quod malimus, quam, feliciter continuato compoſitoque hoc opere, ius cum litteratura græca ſtabiliori connubio, huc usque prope diſtracto, iterum coniungi.

Pag. 97. 102.

NOVA LITTERARIA.

Videntur tandem aliquando Romanæ Eccleſiæ homines, turpem illam lectionis biblicæ, & quidem e fontibus, negligentiam ponere, dareque operam, ut, cui adhuc indormierunt ſocordiæ, eam hoc acrius nunc, atque diligentius, vitent, & vitare doceant. Hebraicarum in primis litterarum ſtudium, ab aliquo tempore, non in Galliis ſolum, ſed in Italia quoque efflorescere, læti videmus: etſi hoc certum eſt, nondum eſſe doctos illos viros, qui hæc tractant, in eo tramite conſtitutos, quo incedere oportet eos omnes, qui hebraicas litteras accurate cognoſcere cupiant. Non eſt tamen iis hoc vitio vertendum, propterea, quod omnia omnium ſtudiorum initia tenuia primum ſunt, antequam ita perficiantur, quemadmodum oportet, ſi uti ad veram atque certam ſcientiam velis. Non iſtud eo dicimus, ut conciliemus invidiam Libro, cuius iam mentionem facimus: ſed ut laude proſequamur diligentiam Auctoris, quam Ebreæ linguæ, Bibliorum igitur intelligentiæ facilitandæ, maluit, quam Scotiſticis aut Thomiſticis nugis, ut vulgo ſolent, im-

Digitized by Google

impendere. Ut lectores noſtri, quid Auctor promittat, plane intelligant, Programma *Ioſephi Lazzarini*, Typographi Romani, quod hebraicarum ſacrarumque litterarum cultoribus inſcripſit, dabimus; ex quo ſimul cognoſcent, nobis neque monentibus, Lectores, vera eſſe, quæ ſupra ſcripſimus. Eſt igitur Programma illud his verbis ſcriptum:

IMPERIO *tandem, atque Auſpiciis Sapientiſſimi Pontificis* BENEDICTI XIV, *Univerſae litteratorum Reipublicae propediem deferentur* PANDECTÆ BIBLICÆ, *ſeu* INDEX GENERALIS HEBRAICO-CHALDAICO-LATINO-BIBLICVS, *ſummo ſtudio & cura Cl.* IACOBI CABALLI VERONENSIS *adlaboratus. Quod munus gratiſſimum fore litteratis omnibus auguramur, cum iam diu ſummis eorum votis expetitum ſit, celebriumque Theologorum magna laudum gloria commendatum.*

Ut autem id alacriori animo Sacrae Eruditionis Cultores complectantur, totius Operis conſpectum, methodumque, omnium oculis ſubiicimus. Univerſum Opus triginta Voluminibus comprehendetur. Voces omnes, tum Hebraicae, tum Chaldaicae, quae in Sacris Bibliis occurrunt, ſive ſimplices, ſive compoſitae, ſive hehemanticae, ordine alphabetico digeſtae continentur, nulla omnino praetermiſſa, lexicographorum, quotquot fuerunt, lacunis ſuppletis. Characteribus latinis ſingulae hebraicae dictiones exprimuntur, quo Linguae Sanctae lectio cuilibet obvia ſit, puriorque ad ſeram poſteritatem deſcendat. Unaquaque voce ita diſpoſita, immediate indicantur loca omnia, quibus ipſa reperitur in veteri Teſtamento; adeo ut accuratiſſimae, poſt Buxtorfianas & Calaſianas, habeantur Concordantiæ. *Perfectiſſima ſequitur Analyſis, atque ad Canones grammaticos biblica vocabula exiguntur, Punctorum mutationis ratio redditur, atque ad primitivam radicem reſolvuntur. Subiiciuntur Verſiones celebriores. Tum deinde loci interpretatio hiſtorica, quam tum locorum collatione, tum idiotiſmo linguae, tum grammaticis legibus, tum Sacrarum Antiquitatum ubertate, prout res tulerit, illuſtratam, perfectiſſimam dare conatus eſt noſter Auctor. Succedit ſenſus Spiritualis, Allegoricus nempe, Tropologicus, Myſticus, atque ubi opus, Symbolicus. Qua tamen interpretandi ratione adeo temperans cautusque eſt, ut ſine auctoritate vel ipſarum Scripturarum, vel Sanctorum Patrum,*

Digitized by Google

numquam periculum faciat. Si quae tandem loca, aut Librariorum, aut Typothetarum incuria vitiata legantur, ſeverioris, ſaniorisque criticae ope, priſtinae integritati reſtituit. Rabbinorum fabulas, putida commenta, quemadmodum & haereticorum dogmata, mira claritate confutantur. Facilius tamen Operis ideam animo concipies, ſi exemplo ex unica voce petito rem illuſtraverimus.

EXEMPLVM.

Primae Vocis hebraici Indicis a gemina אא *incipientis* אֲאַזֶּרְךָ

Ha-haz-zer-chà. *Iſa.* 45, 5. Accinxi te, *pro* Accingam. *Ex Syntaxi temporis praecedentis. Vide Gram. (num. 3162.) Provenit a rad.* אָזַר Ha-zar .... Accinxit. *Ex quieſcentibus prima* א *Gram. (1743.) a. Eſt prima perſ. ſing. com. fut.* פִּעֵל *Pi-nhel, cuius indicium eſt formativa* א *Gram. (136.) notata cum* (ֲ) *Chateph-Padach, quod eſt proprium Coniugat. Gram. (138.) At, quia haec Coniugatio eſt analoga, & more perfectorum flectitur, Gram. (1019. a.), ideo ſimplex futurum facit* אֲאַזֵּר *Ha-haz-zer. Gram. (1823. a.)* Accingam. *Punctum in ventre ſecundae Radicalis* (ז) *eſt dagheſc Characteriſticum ipſius Coniugat. Gram. (64.). Tandem finalis* ךָ *eſt Pronomen affixum ſecundae Perſ. ſing. maſcul. Gram. (285. a.) propter quod* (..) Tzere *ultimae ſub ſecunda Radicali* (ז) *corripitur in* (ֶ) Segol. *Gram. (3095. f. t.) poſt quod ſequens* (ְ) Scevà *tacitum ſub ultima Mobili, (remoto affixo), & facto (eo mediante) Vocis incremento, venit expreſſum. Gram. (55. a.) quod, quia poſt vocalem brevem evadit quieſcens, minime legitur. Gram. (54. a.).*

VERSIONES.

a) *Chaldeus Paraphraſta, habet:* Adiuvi te.
b) *Septuaginta legunt:* Confortavi te.
c) *Syriaca, & Arabica:* Magnificavi te.
d) *Forerius, Armabo te.* Expeditum te faciam.
e) (*Caeterae Verſiones habent cum Hebreo:* Accinxi te.)

SENSVS.

I. Litteraliter. Propheta hic loquitur de Cyro Perſarum Rege, a quo liberandus erat Iſraeliticus Populus a Babylonica Servitute, & remittendus in Iudaeam, ad poſſidendum denuo Terram, e qua propter eius ſcelera a Nabuchodonoſore Chaldaeorum Imperatore aſportatus fuerat: Accincto a Deo, qui eum ad hoc elegit, robore, fortitudine, & virtute. II. Al-

Digitized by Google

II. Allegorice. De Chriſto Domino, cuius Typus fuit ipſe Cyrus, qui non tantum Iudaeos, ſed omnes homines e Captivitate peccati, Mortis, & Diaboli liberavit, & ad Gratiam per Peccatum amiſſam miſericorditer reſtituit. Ita S. Io. Chryſoſt. Demonſtr. quod Chriſtus ſit Deus Tom. 5. S. Auguſt. lib. de quinque Haereſ. Tom. 6. cap. 7. Tertull. Nyſſen. & Cyprian. in lib. & Teſtimon. contra Iudaeos.

III. Tropologice. De Homine Viatore, cuius Vita Militia eſt ſuper Terram. *Iob. 7. 1. ſive de Eccleſia Militante, accincta undique & armata Sacramentis, Doctrinis, & Virtutibus, adeo ut* Portæ inferi non prævalebunt adverſus eam. *Matth. 16, 18. Omnes enim Chriſti Fideles in eam per Baptiſmum ingreſſi, & per Poenitentiam poſt lapſum, ad Gratiam, quam amiſerant, reſtituti, fortiter viriliterque pugnantes contra Inimicorum omnium Inſidias,* (Regnum enim Coelorum vim patitur, & violenti rapiunt illud, *Matth. 11, 12.) tuti tandem & ſecuri ad Coeleſtem Patriam, ſummo cum Triumpho perducti, aeterna Beatitudine fruentur.*

IV. Anagogice. De Triumphante Eccleſia, ſive de Homine Comprehenſore, cuius ultima beatitudo, cum conſiſtat in clara Divinae Eſſentiae Viſione per Intellectum, cumque Eſſentia Divina naturam cuiuscumque creati Intellectus in infinitum excedat, Altiſſimus Deus per lumen Gloriae Animas Beatorum eo accinctas, praecinctas, & circumcinctas, ad tantam ſublimitatem mirabiliter elevat, ut poſſint eum in ſua Eſſentia videre, iuxta illud Ioan. Epiſt. 1. cap. 3. verſ. 2. Videbimus eum, ſicuti eſt. *S. Thom. 1. part. quaeſt. 12. art. 4. & 5.*

Tantae molis opus aggredi non unica ratio Cl. Auctorem permovit. Cum enim videret, ea omnia Lexica, quae ordine Alphabetico digeſta a Roberſtonio, Leusdeno, Opitio, Mario Marino, aut manca, aut minus accurate diſpoſita, Provinciam hanc ingenti ſane & herculeo labore explere conatus eſt. Animadvertens etiam, Iuvenes ea ſolum intentione hebraicis vacare litteris, ut penitiorem Scripturarum intellectum aſſequantur, iisdem conſuluit, dum ad ſingulas voces hebraicas ſenſus omnes, quos in Sacris Codicibus induere poſſunt, adnexuit. Quod exequi non potuit, niſi loca ſingula notaret, quibus unaquaelibet vox reperitur, ut ita demum locorum inter ſe comparatione, facilius & ſecurius litteralis inveſtigaretur ſenſus. *Habe-*

Habebunt ergo Philoebraei pleniſſimum latifundium, unde linguae ſanctae cognitionem, absque temporis diſpendio, vel Magiſtro deſtituti, haurire queant. Habebunt Theologi, unde Dogmata Chriſtianae Religionis firmiſſime probare, & contra Eterodoxos confidentiſſime urgere. Habebunt denique Sacri Oratores, unde colligant, quidquid ad Populi mores componendos reformandosque conferre poſſit. Habebit tandem Eccleſia univerſalis abſolutiſſimum Opus Biblicum hucusque deſideratum, quod Cl. Auctor, totos quadraginta quinque annos nocturna diurnaque manu conficiendum curavit.

Quia tamen in Indice paſſim ad leges grammaticas provocatur, eaeque apud Grammatiſtarum vulgus parca admodum manu pertractantur; editioni Pandectarum *praemittentur duo Volumina, quorum alterum Grammaticam hebraicam, Chaldaicam alterum, continebit. Utraque Grammatica, ſive Methodi ordine, ſive Canonum certitudine, ſive Exemplorum ubertate, Pagninianam, Buxtorfianam, caeteras que huc usque editas, longo ſuperat intervallo, nec ulla difficultas in ſacris Bibliis occurrit, quae illarum ope pleniſſime non diſſolvatur. Et haec totius Operis ratio, atque conſpectus.*

Nuncium itaque praemittimus veris ſacrarum litterarum amatoribus, de ineunda nobiſcum Societate, ut Pandectas Biblicas, uberrimum fructum offerentes, iidem poſſint comparare. Tomus prior Grammaticae Hebraicae diſquiſitiones complectens, propediem lucem publicam adſpiciet, Typis Ioſephi Lazzarini, ea cura, ut ſive Cartae nitore, ſive Characterum delectu, nihil deſiderari habeant litterati. Cartae ſpecies erit macroculum in quarto folio maximo, complectente paginas circa 650. Pretium uniuscuiusque Voluminis pro iis, qui Societatem inierint, erit Iuliorum Decem & octo; pro aliis vero Iuliorum Viginti quinque; qui Societatem ineat, repraeſentabit pretium Illmo Dno Marchioni Hieronymo Belloni, qui repraeſentanti Apocham tradet ab ipſo Auctore ſubſcriptam, qua tenebitur Volumen iam exſolutum exhibere ſtatim ac fuerit excuſum. Primo Volumine comparato, alterius pretium repraeſentabit, & ſic deinceps. Qui vero Societatem inire nolint, Romae Opus invenient apud eundem Typographum, non niſi enumerato praedicto pretio.

Digitized by Google

NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipſiæ

Calendis Iunii Anno MDCCLVII.

Pars II.

CAROLI ANDREÆ BELII, IN ACAD. Lipſ. Poeſeos Prof. Publ. Ordin. Collegio minore Principum Collegiati, & Nationis Bavaricæ Senioris, de vera origine & epocha Hunnorum, Avarum, Hungarorum, in Pannonia, Commentatio Hiſtorico-critica.

Lipſ. ex offic. Loeperia 1757. 3 plagg. in 4. mai.

Quum illuſtria in hiſtoriam Hungaricam merita *Matthiae Belii* neminem paullo humaniorum fugiant: accidit perauſpicato, ut filius eius, *Car. Andreas Belius*, Vir Ampliſſimus, & egregiis dudum laboribus meritam nominis claritatem adeptus, collega noſter coniunctiſſimus, obtinendi in ſuo ordine loci, atque hinc profeſſionis poeticæ in hac Academia ordinariæ adeundæ cauſſa, nobile hoc argumentum, *de vera origine & epocha Hunnorum, Avarum, Hungarorum in Pannonia,* tractaret. A quo enim lautius politioris humanitatis inſtrumentum, notitiam exquiſitiorem, & limatius atque ſincerius iudicium ea in re exſpectaremus, quam ab hoc, ad quem natalium & hereditatis quodam iure hæc inquiſitio pertinere videatur? Quam noſtram ſpem qui ſucceſſus impleverit, ut uno in conſpectu exponamus, operæ pretium erit.

Tria in capita Cl. Auctor diſquiſitionem partitus, ordini pariter atque perſpicuitati rerum conſuluit. Primum, ut par erat, de Hunnis inſtituit. Indicatis eorum primis ſedibus, in

in aquilonari Aſia ultra Tanaim, profectionem in Europam ſuſceptam, quum a fine propius ſæculum IV. abeſſet, exponit. Sociis enim Alanis, ſuperata palude Mæotide, in Daciam & Iſtro adſita eruperant, &, expulſis atque reiectis trans flumen Gothis, in Pannoniam atque Dalmatiam, latos tractus obtinuerant, donec initio V. ſæculi, confirmatis opibus, univerſam Daciam, cum proxima Pannoniæ parte, qui fines in adiecto ſcholio 4. adcurate deſignantur, ſub ius ac ditionem ſuam redegerunt. Ducibus autem tunc adhuc potius, quam regibus eos paruiſſe, e locis *Ammiani Marcellini* Lib. XXXI. c. II. p. 668. edit. Gron. & *Iornandis* de *reb. Get.* c. XXIV. p. 645. edit. Grot. collatis, ſic conficitur, ut illi fides conſtet, *tumultuarium optimatum* tantum *ductum* his tribuenti; quando Balamir, quem regem abuſione quadam verbi *Iornandes* dixit, ab aliis ducibus adnumeretur, quos illa adhuc ætate, nondum cognito regio principatu, præfuiſſe genti, etiam ſequentis ævi annales firmant. Vid. *Iordanus* Orig. Slav. Tom. II. appar. hiſt. p. 78. ſect. DCLVIII. c). Ceterum veriſſima admonitione in ſchol. I. de nomine & origine Scythica Hunnorum cavetur, ne quem *Leibnitii* & *Eccardi* opiniones, qui ad Slavos vel Sarmatas illos referunt, turbent, laudanturque præclari ſcriptores *Ioſ. Innoc. Deſericius*, & *Sam. Timon*, quos tuto in hac re ſequamur. Reliqua in his ſcholiis, ſelectum idonearum auctoritatum, ad confirmanda ea, quæ tanquam certa ponuntur, continent.

Sequitur in eodem capite regius tandem Attilæ principatus, ſeu imperium potius, orienti & occidenti iuxta formidandum; quem tandem anno CCCCLIII, ſecundum *Pagii* rationes, vita exceſſiſſe, adnotatur. Commendantur egregiæ fidei & diligentiæ auctores, *Priſcus Rhetor*, inter antiquos, quem eundem Priſcum Thracem, in *Chronico Paſchali*, & a *Io. Malala* appellari obſervavimus, fauſtis *Belii* patris curis, in Adparatu ad Hiſt. Hung. Decade II. Monum. I. denuo reſtitutus luci; & inter ſequiores *Iuvencus Coelius Calanus* Dalmata, in quo doctiſſimis commentationibus expoliendo, idem Hiſtoriæ Hungaricæ, ad exemplum *Pithoei* aut *Cambdeni*, inſtaurator,

Digitized by Google

rator, tam præclare verſatus eſt. Inprimis e *Priſco*, qui legatus ad Attilam tam curioſe eius aulam & convictus morem deſcripſit, ut longe alius intelligatur, quam ex meris conviciis plerorumque fingitur, argumentum ad exiſtimationem gentis tuendam, contra fabulas, in quibus haud poſtrema eſt illa de XI. M. virginum trucidatis, eleganter & ſalſe petitur. Finis ſubiicitur capitis, in quo poſt Attilæ fatum, advenas hoſce Hunnos, ſub eius filiis, mente & conſilio nutantibus, circiter A. CCCCLXIX. rurſus ex omnibus his regionibus fuiſſe eiectos, oſtenditur; cum Marcianus imperator callide in eos Gothos & Gepidas incitaſſet, unde per aliquot annos continentibus bellis attriti, imperante tandem Leone, ab infeſtarum nationum vicinitate abſceſſerunt. Quicunque reſtiterant, Gothis aut Gepidis ſe adiunxerunt, parendi & militandi his lege; ſicuti etiam pars ad Græcos tranſierat. Rem tamen publicam illos nullam hic locorum inde ſervaſſe, ſatis indicio eſt, quod robur gentis, cum ſuis principibus, in Aſiam & vicinas Ponto ſedes receſſerat. Ut hæc ſatis confirmari novimus auctoritate *Iornandis* de reb. Get. c. L. LII. LIII. illorum temporum certiſſimi teſtis: ita hic præter *Otrokócſium*, *Toppeltinus*, in originibus & occaſu Tranſſilvanorum c. IV. laudatur merito, e quo plura notatu digniſſima diſcas. Ceterum vehementer probamus, quod Belio noſtro *Procopius*, cuius is alias tanti, quanti meretur, fidem atque iudicium facit, non perſuaſit, Hunnis literas omnino ignotas fuiſſe. Nam præter argumentum e *Priſco Rhetore* petitum, plura idoneam coniecturam admittunt, quantum illa opinio, græco faſtidio forte debita, ab ipſis rebus abhorreat. Vel illa acroamata ſcythica inter menſam Attilæ, carmina de eius bellis, nonne aliud indicaverint?

Inde Capite ſecundo aliam gentem, quæ diu Daciam & Pannoniam tenuit, clariſſimus auctor harum originum conſiderat. Ex optimis auctoribus evicit, ſtirpis fuiſſe Scythicæ, &, quod ipſum nomen ſignificet, Metanaſtas. Non fugit nos, quid de Scythis aliquando ſtatuerit *Theophil. Sigefr. Bayerus*, Profeſſor Petropolitanus celeberrimus, ut eorum proge-

Digitized by Google

niem ſolos fere Lithuanos, Fennos, Æſthios, Liciones, Pruſſos, & Lappones, putaverit; quæ illius opinio tamen, in hac diſſertatione, recte vitatur, cum exactiſſimorum ſcriptorum clariſſima fides repugnet. Vocantur quidem hoc loco Hunnicus populus: quod vero erudite, ut dignum eſt Beliano nomine, pronuntiari intelligimus, non ut origo indicetur, ſed ſignetur conſociatio cum Hunnis, Alanorum quondam victoribus, & dominatum illas per gentes adeptis. Nam licet non deſint, qui inter Hunnos hos Avares numerent; ſunt tamen hi ſcriptores parum cauti, & non tam periti earum regionum, ut ipſis tuto credas. Aliorum potior eſt auctoritas, qui Avarum contra Hunnos bella commemorant. Illuſtris eſt locus *Priſci Rhetoris* hanc in rem, qui apud *Suidam* Tomo I. p. 4. edit. Kuſteri, voce Αβαρις, coaluit cum diverſo lemmate. Eſt vero auctior iis, quæ in excerptis legimus: ceterum corruptus uno verbo. Nam pro Σαβινωρας legendum ex ipſo Priſco eſt Σαβιρους. Hos vero ſuis ſedibus eieciſſe Avares illic narrantur, cum a finitimis pulſi eſſent: quod quomodo illo tempore feciſſent, ſi fuiſſent Hunni? Nam Σαβιρων, Σαπειρων, & Σασπειρων, appellationem Hunnorum eſſe, magno numero auctores confirmant. Unde etiam apud *Iornandem* de reb. Get. C. V. p. 616. edit. Grot. legendum credimus: *Nam alii Aulziagri, alii Saviri;* quod erit Sabiri, ad hiſtoriæ fidem. Qui vero Avares Hunnos vocarunt, ſunt fere ſcriptores Latini, remoti locis atque temporibus, & inter Græcos illi, qui Hunnorum nomine ſimiliter atque Gothorum abuti ſolent. Erant & aliæ cauſſæ errandi, quod olim, cum Alanorum, qui, teſte *Ammiano* Lib. XXXI. c. II. *paullatim nationes conterminas, crebritate victoriarum attritas, ad gentilitatem ſui vocabuli traxerant, ut Perſae;* dominatum occupaſſent Hunni, ut *idem* loc. cit. c. III. prodit, Avares quoque his in regionibus Alanorum illo ævo ſubiectos fuiſſe, neceſſe eſt. Ita accidit, ut audirent Hunni, & ut ipſa nomina interdum Avarum & Sabirum, diverſiſſima, confunderentur; quod vel ex *Etymologico Magno*, quod vocant, v. Βεχειρ, p. 195. edit. Sylb. colligere licet. Sed nobis,

bis, exemplo Cl. Belii, *Priſcum*, certiſſimum rerum Hunnicarum auctorem, ſequi potius placet. Accedit ad momenta ſententiæ noſtræ *Agathiae* auctoritas, qui Lib. V. p. 107. ſua ætate non amplius notos fuiſſe Hunnos, adſeverate tradit, *quod vel deleti ſint*, *vel remotiſſimas in terras conceſſerint.* Atqui vero Avares illo ipſo tempore prorſus inclaruerant. Unde certe pro Hunnis nondum ſunt habiti. Quid? quod *Conſtantinus Porphyrog.* de adminiſtr. imp. c. XXIX. diſerte ſcribit: *ἑυρον ἐθνη ζκλαβινηκα, ἀοπλα ὀντα, ἁτινα και Ἀβαροι ἐκαλȣντο*; & rurſus: *ὁι ἐκειθεν τȣ ποταμȣ ζκλαβοι, ὁι και Αβαροι καλȣμενοι*? Et quid his clarius. Niſi forte ſint, qui Hunnos Slavos fuiſſe velint. Conſtantini vero auctoritatem illa ætate, qua hæ gentes prope ipſam in aulam, nedum in notitiam eruditi principis, intraverant, quis ſpreverit? Oſtenditur porro, primum Avares, a finitimis exagitatos, novas ſedes quæſitum in Daciam & Pannoniam exiſſe, &, quod reliquias Hunnorum ſibi ſociaverint, paullatim Hunno-Avares fuiſſe dictos; cum etiam Longobardorum auxilio Gepidas cecidiſſent, &, iis demum in Italiam digreſſis, ſoli totis his terris potiti eſſent. Mox tempus huius migrationis, cum *Timone*, ſcriptore doctiſſimo, ex coniectura, ſed bonis rationibus nixa, in A. P. C. N. IↃLXIV. confertur. Ea etiam, quæ ad Longobardicas in Pannonia res pertinent, usque ad magnam Gepidarum cladem, erudite & ſummatim ex idoneis monumentis attinguntur; quia poſthæc victores Avares ſine æmulis iam dominabantur, Longobardis A. IↃLXVIII. Italiam, conceſſa his Pannonia, petentibus. Confirmari ſane hæc ſententia poteſt, exactiſſimi Chronologi, *Henr. Dodwelli*, diſputationibus de Strabonis Excerptore §. 4. p. 171. ed. Hudſon. Vol. II. Geogr. Vet. Gr. min. ubi etiam alia, ad res Avarum digerendas, præſidia offendimus. Scilicet, uno anno is ab his rationibus differt. Chaganus, ut inde exponitur, isque unicus, genti præerat. Nominis huius vis, & dignitatis, regio principatui ſupparis, notio, in adiecto ſcholio præclare explicantur. Et ſupereſt hic titulus hodieque, per omnes fere illas gentium Scythicarum Aſiæ borealis tribus, quæ uni ſummo

 capiti,

Digitized by Google

capiti, quod ita appellant, parent; de quo, præter hic laudatos, *Seldenus* quoque, de Titulis honorum Parte I. c. VI. §. II. p. n. 91. multa collegit: nec nos non poſſumus, perpenſis omnibus, inde adſentiri Belio, *Pagium* veriſſime arguenti, qui plures ſimul horum rexiſſe gentem temere adfirmat. Non fuit Belii inſtitutum, hiſtoriam hic conſcribere, ubi veræ tantum originum gentis notitiæ informandæ ſubſidia comparat: res tamen geſtas unde potius cognoſcamus, quam ex Bonfinio, Ranzano, Thuroczio, & aliis, per priſca hæc tempora parum præter commenta & male textas narrationes adferentibus, merito *Otrokócſium* & *Timonem* commendat, quorum hic potisſimum ex puris plerumque fontibus ſua deduxerit. In ſumma vero id præclare & prorſus ad memoriæ, ex antiquis & æqualibus tempori, quo res acciderunt, ſcriptoribus renovatæ, fidem adſeverat, libertatem, plerisque in bellis ſuperiores Avares, egregie fuiſſe tutatos, & Sirmium, aliquando a Græcis oppreſſum, recuperaſſe. Latos, ad Boioariam usque Onaſo tenus flumine, terrarum tractus ipſos tenuiſſe, ex *Aimoino* peropportune probatur; cui teſtimonio addere licet locum vetuſtiſſimorum & fide digniſſimorum, qui ad Eginhardum a nonnullis, ad Adelmum ab aliis, referuntur auctorem, *annalium Francicorum* ad A. ꟾↃCCXCI. Erudita eſt de nomine Boioariorum, qui Boii non fuerunt, coniectura, dictos putari poſſe, quaſi Boio-avaros. Liceret forte adiicere huic robur, ex illa Thaſſilonis cum Avaribus coniunctione: ceterum nihil definimus, quia inclinatio vocis poteſt variata fuiſſe, cum novi advenæ a terra Boiica appellarentur, ut Bructuarii a Bructerorum terris, Chattuarii a Chattorum; nam meram inflexionem, & alia antiqua, & recentia nomina præferunt, Chaſuarii a Chaſa vel Haſa; Amſivarii ab Amiſia; Angrivarii ab Angria; Ripuarii a ripa. Quod poſtremum potentiam Avarum evertit, qui adhuc tam proſpere ſua adminiſtraverant, fuit Caroli M. fines proferendi ſtudium, cui hic non minus, quam in Saxonico bello, profeſſio religionis propagandæ militaſſe, poſt ingenuum *Bruerii*, Galli, candorem, Belio quoque videtur; licet alias quoque cauſſas agnoſcat.

Nobis

Digitized by Google

Nobis certe, præter eas cauſſas, quas iam ſupra attulimus, religionis invidia haud ultima fuiſſe videtur, cur hos Avares, Hunnos, Francici & Itali ſcriptores appellaverint. Scilicet, ut eo digniores odio haberentur, ſi ex Attilæ, ipſorum ſententia gentium prædonis, reliquiis deſcendere crederentur. Et quos alios illos inſuper ducerent, qui iſta ætate tot Scythiæ nationes, præter Hunnos, ſi non ignorabant, at unius tamen ſtirpis, inde a Gogo & Magogo, ſibi perſuaſerant; unde in vocabulo, ex ſua ſententia imponendo, non anxie de vero laborabant. Nonne facimus idem hodie, cum Ruſſos Moſcos, Muſulmannos omnes Turcos, Aſiaticos boreales Tataros, ſine diſcrimine vocamus? Idem de Gothorum, Francorum, Saracenorum, & tot aliis nominibus probari poteſt. Livones univerſos Germanos Saxones, Finni Suecos Roxolanos, Ruſſi Germanos Nemetes vocant, claris & diſertis appellationibus, ut argutiis circa alia etyma locus non ſit. Pergit doctiſſimus Auctor, & ex ipſis *Eginhardi* verbis de hoc bello conficit, magna crudelitate Caroli permixtam vim fuiſſe, cui poſt octo annos demum ſuccubuerunt, adeo imminutis opibus, Avares, ut alii ultra Danubium & Tibiſcum, ſociati Slavis, ſuam rempublicam ſervarent quidem, ſed potentiam priſtinam non recuperarent; alii in deditionem, ſub Chagano Theodoro, venirent, receptis Chriſtianis ſacris circa A. ıɔcccv. & rurſus ſedes inter Sabariam, quæ ſita erat ad Arabonem, & Carnuntum ad Danubium, inter Vindobonam & Piſonium poſitum, impetrarent. Ubi bene corrigitur *Otrokócſius*, qui hoc nomen Carinthiam interpretatus eſt. Deinceps id recte ex *Annalibus Fuldenſibus* & *Laurishamenſibus* evincitur, niſi quod fidelitatis lege adſtricti ſint, ſui iuris manſiſſe, & priſtinum Chagano honorem ſupremi potentatus a Carolo fuiſſe reſtitutum. Opportune quædam etiam de regia Avarum, ſeu Ringis, obſervantur. Omnino adſentimur eruditæ explicationi, fuiſſe aggeres, ſeu murales ſepes quaſdam, circa regionem caſtrorum Chagani. Confirmavit nos clara & eximia deſcriptio, quam ex Adalberti narratione, & fide oculata, *Monachus Sangallenſis* Lib. II. de vita Car. M. c. I. reliquit, e qua ſua ſumſit *Albertus Stadenſis*

p. 184.

Digitized by Google

p. 184. edit. Schilt. ubi etiam vici & villæ intra hos memorantur. Et in *Hiſtoria Miſcella* Lib. XXIV. de Crunno Bulgariæ principe legimus: *in regionis introitus & exitus lignea munimenta mittens maceria circumdedit atque tutavit;* quæ ſane nihil aliud erant, quam ringi. Sed in his novum rurſus argumentum inveniſſe nobis videmur, Avares, conſuetudine potius, & uſu ſcriptorum quorundam, Hunnos fuiſſe dictos, quam ex vera originis ratione. Auctor enim, omni exceptione maior, *Ammianus* Lib. XXXI. c. II. de Hunnis ſcribit: *Ædificiis nullis unquam tecti: ſed haec velut ab uſu communi diſcreta ſepulcra vitant. Nec enim apud eos vel arundine faſtigiatum reperiri tugurium poteſt.* Et hodie ſic etiamnunc in Aſia, veri Hunnorum poſteri, ubique ſub tentoriis æſtate, hieme in caveis potius, quam domibus, degunt; cum contra Scytharum ex progenie qui ſunt nobiliore, Coſacci, Circaſſi, Tatari, veri & genuini, licet vagari etiam adſueti, & tecta & urbes ſtruant, &, qui ſunt liberi, regias principum, ubi ab hoſte metus, munitionibus per ingentia ſpatia ſepiant. Addi his multa poſſent de veſtitu, divitiis, & magnificentia Avarum, quæ vix in Hunnos proprie dictos cadant. v. *Legatio Iuſtini ad Perſas* T. I. Script. Byz. ed. Pariſ. p. 153. & conf. *Ammian.* l. c. Nec Attilæ aula obſtat, qui tandem tot gentibus imperans, inter ſuos Scythas, Sarmatas, & alios opulentiores, forte etiam noſtros Avares, eduxerat: & licet Hunnicum regnum tenuerit, a maioribus partum, nondum tamen ad liquidum perduci potuit, fueritne Mundzuccus pater ab origine ſtirpis Hunnicæ? Sed ut ad inſtitutum redeamus, Cl. Auctor, ubi hoc modo oſtenderat, paullatim debilitatos Avares, in alienis ſolum opibus perfugium rurſus nactos, & acceſſionem horum potentiæ, qui poſtea rerum in his terris potiti ſunt, factos eſſe; ſubiicit tandem pulcras obſervationes, de primordiis religionis Chriſtianæ inter illos, opera maxime Arnonis, Iuvavienſis Epiſcopi, quæ certior eſt vetuſtatis memoria, quam quæ de Urolfo, Patavienſi antiſtite, alii adferunt, quaſi is primus hoc miniſterio inter Hungaros functus ſit; incerta quidem illa, &, ut vel regionum nomine ambigua, ſic ipſis litteris

teris Pontificum. Agapeti Romani, & Theotmari Iuvavienſis, quas profert *Goldaſtus* de Regno Boh. Append. Doc. n. 4. & 5. p. 7. ſeqq. refutata, e quibus patet, primas Arnoni deberi. Quantivis vero pretii eſt admonitio, ex epiſtola Eugenii II. P. M. ad Thudundum & Moymarum, quam *Stredowszkyus* Morav. Sacr. I, 11. protulit, de Epiſcopatu Nitrienſi iam ante A. S. ᴐᴐcccxxvi. conſtituto. Lucem certe & fidem inde capiunt, quæ de tot aliis per illa tempora Epiſcopatibus, præter hunc ipſum Nitrienſem, ex *Hundii* Tom. I. in epiſcop. Laureac. *Adelzreiter* Annal. Boic. Part. I. Lib. IX. c. V. p. 202. refert.

Qui tam egregie in ſuperioribus operam dederat Auctor, ne Hunnos Avaresque, inde ab Attila perpetua ſerie deductos, pro maioribus habeamus gentis nobiliſſimæ, & cuius tot rebus præclare geſtis, propriis iis & incontaminatis, parta gloria, tunc demum dignum nanciſci præconium nobis quidem videtur, ubi bene profligatus Attila cum Hunnis ſuis, & ad Cimmerias ſolitudines reiectus fuerit, ut nec nomen eius in Hungaria magis, quam in Gallia, Italia, & Germania, inter commemorandas origines exaudiatur; & ubi Avarum reliquiis non ampliores fines adſignabuntur, quam genti diſperſæ, & ab ipſo populo victore beneficiariam ſedem obtinenti, tribuere par ſit. Is tam felix noſter Hungaricarum antiquitatum inveſtigator, Belius, optimo conſilio, in diſcernendis, quæ erant permixta, & vitandis, quæ ambigua aut male credita, verſatus, recte ubique & tempora & gentes diſtinxit. Unde & Hungaros, conſultiſſime, & ab Hunnis Attilæ, & ab Avaribus diſcernit. Scythici generis illos facit, ut revera fuerunt; quod addit, eiusdem cum Hunnis atque Avaribus originis eſſe, ſi modo recte eum capimus, de quo tamen infra dicemus, cur id confidamus, imitatione antiquorum fecit, ut tamen non aliter interpretandum videatur, quam de conſociatione reipublicæ, & communione iuris, quas ſupra ex *Ammiano* de Hunnis, occupato Alanorum lato imperio, deſignavimus. Nam, quo minus de communi ſanguine intelligi velit, ex

Digitized by Google

hac ipſa diſcernendi hos omnes ſollicitudine, & in proferendis verioribus nominibus cura, nobis colligere poſſe ſumus viſi. *Agathias* certe, Lib. V. p. 155. edit. Pariſ. & l. V. fin. p. 171. qui primus inter Græcos Ogoros forte, quos noſſe coeperat, nominavit, eos antiquitus Hunnos dictos fuiſſe, ſola ex coniectura ſtatuit; quod dubitandi particula indicat. *Iornandes* autem, ſua ætate omnia parum comperta de Hunugaris, quos tamen ab Hunnis diſerte diſtinguit, fatetur. Et ſi hic eadem reputemus, quæ de Avaribus iam monuimus, omnis difficultas tolletur. Præterea, cum initio Onoguri eas terras inſederint, quæ olim Hunnorum fuerant, potuerunt eadem ratione Hunni vocari, qua *Helmoldus*, cuius ob colligationem rerum Slavicarum cum antiquitate Hungarica non ſpernenda eſt fides, & annalibus inſuper Ruſſicis, nondum editis, confirmatur, Ruſſiam *Chunigard dictam* prodidit, *quod ibi ſedes Hunnorum primo fuerit*, Lib. I. c. I. §. 4.

Agit hinc Auctor de antiquitate huius nominis eo modo, ut iam diu in uſu fuiſſe ante illa tempora, quibus coaluiſſe Hunni & Avares ſæculo IX. demum ſtatui poſſunt, & hinc minime quaſi *Hunavares* dictos fuiſſe, egregiis argumentis e *Menandro*, *Iornande*, *Geographo Ravennate*, & *Simocatta*, probet: quibus, ut appareat quam firma & certa ſint, addere haud intempeſtive licebit *Agathiam*, loco, quem paullo ante laudavimus, *Nicephorum* Patriarcham, in rebus An. IↃCXXXVI. p. 72. edit. Petav. & *Hiſtoriae Miſcellae* varia ex optimis ſcriptoribus excerpta, præſertim e lib. XIX. *Ruſſici annales*, nondum publicati illi, ſed e quorum præſtantiſſimis, quantum ad antiquas memorias attinet, breviarium edidit *Frid. Gerardus Muller*, Academiæ Petropolitanæ Profeſſor, & loci, quem obtinet, antiquitate, & nominis claritate conſpicuus, edunt eoſce hos Ruſſorum & Patzinacitarum vicinos, vocantque *Ugros* vel *Ugugros*; & *Abulgaſi Bahadur Chan*, in ſua Tatarica Hiſtoria, ut bene recordamur, eosdem memorat. Quibus etiam rebus nos in hanc ſententiam adducimur, non alios iam a *Strabone* Lib. VII. p. 470. edit. Almelov.

lov. deſignari: ἡ δ' ὑπερκειμενη πασα χωρα του λεχθεντος μεταξυ Βορυσθενους και Ἰστρου, πρωτη μεν ἐστιν ἡ των Γετων ἐρημια· ἐπειτα ὁι Τυῤῥηγεται· μεθ' ὀυς ὁι Ιαζυγες Σαρμαται, και ὁι Βασιλειοι λεγομενοι και Ὀυργοι. Scilicet ad ſitum veteris Onoguriæ congruentiſſime, transpoſita unica littera, legentes, quod facile liqueat, Ὀυγροι; habemus plane ſedem vetuſtiſſimam veterum Hungarorum. Adnotatur mox, Turcas eos a Græcis ſcriptoribus appellari, ſed adiecta, ut caveamus, veriſſima e *Pagio* adnotatione, de ampliſſima ſignificatione huius vocabuli. Ita nimirum ſe res habet: ut veteres Græci Scythicam appellationem, paullo poſteriores Hunnicam uſurpabant de gentibus, quas inſtituta ſimilia, bellorumque ſocietas, parum antea notas aliunde, quodammodo iunxerant, & recens fama aperuerat; ſic Turcarum nomen hiſce paſſim ſucceſſit. Ut ita colligamus, a *Theophane Chronographo* ad An. VII. Iuſtini ſcribente, ſua ætate Hunnos appellari Turcas conſueſſe, inducimur. Si enim commutari appellatio coepit, neceſſe eſt, advenas novos in his priſcis Hunnorum terris orientalibus, ſicuti in occidentalibus poſtea Ruſſos, ut vel ex *Helmoldo* cognovimus, clariores factos eſſe, & obſoleviſſe ſuperiorum incolarum nomina. Prior iſta, quæ profertur e *Conſtantino Porphyrogenneta*, Hungarorum appellatio, *Sabartoeaſphali*, contractius, ceterum eadem, ut & hoc moneamus, a *Simocatta* Lib. VII. c. VII, ponitur, ubi *Sarſelt* & *Unugundunos* iunxit cum *Sabiris*, quibus demum, abuſione verbi, ut ſtatuimus, vulgari, in univerſum nomen Hunnorum tribuit. Alterutrum certe horum locorum corruptum forte aliquot litteris dicas. Quoties autem locum *Strabonis*, quem paullo ante in nomine Ugrorum emendare inſtituimus, conferimus cum *Herodoto* Lib. IV. c. XXII. ubi legimus: Μετα δε την ἐρημον (Straboni Γετων ἐρημια), μαλλον προς ἀπηλιωτην ἀνεμον, νεμονται Θυσσαγεται ἐθνος πολλον και ἰδιον. ζωουσι δε ἀπο θηρης· συνεχεες δε τουτοισι ἐν τοισι ἀυτοισι τοποισι κατοικημενοισι εἰσι τοισι ὀυνομα κειται Ἰυρκαι: addimusque *Plinii* verba Lib. VI. c. VII. *Thuſſagetae*, *Turcae*, *uſque ad ſolitu-*

dines ſaltuoſis convallibus aſperas; hæc fere inde elicimus: Turcas eosdem eſſe, quos *Ugros* ſeu Hungaros, & *Tyragetas*, quos Thyſſagetas, a Tyra amne dictos, pronuntiatione ſolum variata. Et quid, ſi *Turca* non differat a *Tyrageta*, niſi diverſa vocis inter alienigenas modulatione, ut adeo in *Turca* lateat *Tyras* fluvius? Ceterum, quantum ad gloriam gentis Hungaricæ hoc pertinet, tantam eius claritatem fuiſſe, ut ab ipſorum vocabulo tot gentes, quot *Pagius* huius appellationis finibus deſcripſit, nomen fauſtum & auſpicatum adoptaverint, & invento illo gauderent? Ab Hunnis certe iſtis Attilæ, ſeſe ipſi nunquam cognominari paſſi ſunt, qui Turcæ volentes vocabantur. In ipſa autem Hungaria, cur, poſt ſuſcepta Chriſtiana ſacra, tam frequentari hæc Hunnorum cognominatio coeperit, facile reperiemus, ſi primas Pontificum Romanorum ad illas gentes litteras in conſilium adhibuerimus, ubi vel maxime ſic audiunt. Scilicet neophyti hi non audirent, præſertim cum litteras ſeu eruditionem nondum attigiſſent, univerſalis in Chriſto patris vocem? Vel *Goldaſti* prima in Appendice ad Bohemiam documenta pag. 10. ſeqq. legi poterunt, ut id cuivis pateat; cum præſertim invidia illa nationis, olim paganæ, tam clara pontificalis ſtomachi indicia prodat. Sic, tanquam ſacro in lavacro impoſitum Hunnicum nomen, eiurari ſine ſcelere aliquamdiu poſſe non eſt viſum. Hungaris autem potiſſimo & eximio iure Turcarum nomen deberi, antequam aliæ gentes, qua iure, qua iniuria, in hanc ſocietatem admitterentur, Arpades, Turcarum, ſeu Hungarorum, proprie dictorum, princeps, ſub quo a Patzinacitis vexati patria ceſſerant, teſte, quem nemo idoneum neget, *Conſtantino Porphyrogenneta*, de admin. Imp. c. XXXVIII. ſatis oſtendit. Sed de hoc paullo poſt ex Belio plura.

Ex *Reginone*, *Annalibus Metenſibus*, & *Luitprando*, mox circa An. IↃCCCLXXXIX. huius populi prima in occidente notitia probatur. Ubi *Luitprandi* confeſſio inprimis eſt notabilis, illo ævo omnibus adhuc ignotos fuiſſe Hungaros. Si fuiſſent Hunni, & Attilæ exercitus reliquiæ, hæc dicere *Luit-*

Luitprando non licuiſſet. Addit quidem Belius, moribus & inſtitutis Hunnorum, uti ab *Ammiano* deſcribuntur, Hungarorumque, qui ſuperſunt, collatis, dubitationem nullam ſupereſſe, de utriusque eodem genere. Sed, ut hæc recte intelligantur, paullo poſt ſubiicit, non eſſe, neque Attilanorum Hunnorum, neque Avarum progeniem, ſed novam Hunnorum, ex Aſiatica Scythia, coloniam. Inde ſane percipimus, idem genus tribui, tanquam Scythis, ſimilibus inſtitutis & vitæ nomadicæ operam dantibus, & eiusdem cum Hunnis olim corporis; quamdiu ſimul habitaverant, & ad ſubigendos Alanos ſocietatem contraxerant. Idem inprimis confirmabitur, ex laudata hic *Belii Patris* commentatione, de peregrinitate linguæ Hungaricæ inter ceteras linguas Europæ, ubi origo eius ex oriente repetitur. Bulgari, Croatæ, & Moravi, erant Slavicæ ſtirpis, a quibus diverſiſſimos Hungaros fuiſſe, hodieque lingua docet. Neque veterum Hunnorum linguam fuiſſe Hungaricam, tot nomina propria, præter alia, iudicio erunt. Ceterum, caute admodum *Reginonis* deſcriptionem Hungarorum accipiendam nos credimus, quia tantum abeſt, ut in ullam gentem proprie cadere videatur, ut is potius omnia, quæ de Scythis in genere *Iuſtinus* dixerat Lib. II. c. II. hic iisdem verbis, quo ſplendido panno ſuam hiſtoriam ornaret, attexuerit. Et *Ammiani* quidem pleraque de Hunnis, quatenus ea erant Scythica, in Hungaros conveniunt: ſed, quod domos illi non fixerint, genas infantum ferro ſecuerint, ſemicruda cuiusvis animalis carne veſci conſueverint, perinde atque tot alia de forma mira, quæ collecta bonam partem *Barthius* ad Claudianum p. 1176. exhibet, cum propria in hunc diem Mongalorum & Calmuccorum ſint, quæ quisque ipſo adſpectu poſſit cognoſcere, nos de poſteris veris veterum Hunnorum alibi, quam in Hungaria quærendis, dubitare non ſinunt. Recte etiam hinc a Slavis Hungaros, ob linguæ diverſitatem, & mutua odia, Belius diſcrevit, & in univerſum laudat egregiam operam, quam illuſtrandæ huic antiquitati navavit *Io. Pelcz*, in *Hungaria ſub Vaivodis & Ducibus.* Sequitur erudita de Patzinacitis obſer-

Digitized by Google

ſervatio, quia vicini noſtris Hungaris, ſeu Turcis, fuerant: ſed omnium præſtantiſſima afferuntur contra vulgarem iſtam opinionem, quaſi Hungari, ab Arnulpho demum Imperatore, ex priſtinis ſuis ſedibus, ad debellandos Moravos exciti ſint. Longe enim priorem in has terras, & Transſilvaniam præſertim, illorum adventum fuiſſe, doctiſſime ex idoneis auctoritatibus probatur. Nos non veremur illud etiam adfirmare, Scythas illos, quos una cum Bulgaris ad Iſtrum & Thraciæ confinia, ætate Conſtantini Pogonati, circiter An. IↃCLXXIX. penetraſſe conſtat, noſtros Hungaros fuiſſe; idque conficimus ex *Conſtantino Porphyrogenneta* Lib. II. de Them. c. I. p. 81. edit. Meurſ. *Theophane Chronographo* ad An. XI. huius Conſtantini, & *Hiſtoria Miſcella* Lib. XIX. An vero inde ſtabilem in his regionibus iam ſedem tenuerint, non adeo in expedito eſt; quia Avares, Moravi, Bulgari, & Croatæ, adhuc Daciam & Pannoniam magna ex parte occupaverant. Sed ſæculo IX. medio recte Moldaviam & Transſilvaniam ipſis Belius attribuit: atque ita *Conſtantini Atelcuſu* interpretatur regionem illam, e qua a Patzinacitis in Pannoniam concedere coacti erant; unde *Suidas* iſta ætate Daciam Patzinacitis adſcripſerit. Et res erit certiſſima, ſi, ut nobis videtur, utroque in *Conſtantini* loco, ſcilicet C. XXXVIII. & XL. legamus Ερτελ και κουζου. Nam Turcæ hodie Ertel Transſilvaniam nominant, teſte *Chalcocondyla* & *Leunclavio;* Hungari Erdél Ország. Inde pro Vaiuodis, quibus ante paruerant, principem Arpadem, cuius Abnepos S. Stephanus fuit, elegerunt, conſilio Chagani Chazariæ, ſocii atque amici illorum. Atque mox a Patzinacitis finitimis vexati, relictis ſedibus, certam iam Hungariæ poſſeſſionem earum loco ſibi vindicarunt, quam magnam Moraviam *Conſtantinus* nominat; haud dubiam ob cauſſam, quia Moravis tum erepta eſt. Fines autem eius, clariſſime, ex nominatis ab Imperatore locis atque fluminibus, deſignantur. Et recte hic initium Hungarici nominis atque ditionis ponitur; atque Moravorum hinc ſub Suentopulco ſeu Zuentiboldo res perſtringuntur, qui primum ab Arnulfo Bohemiæ ducatu

au-

auctus, poſtea rebellavit, ſed Hungarorum opibus, quos in auxilium Germaniæ rex advocaverat, ſuperatus, haud diu poſtea vita exceſſit, unde iam Hungari totam Pannoniam, cum circumiectis etiam terris, comprehenderant. Adiiciuntur quædam de dignitatibus, quæ ſub principibus erant, & conferri quodammodo cum comitibus Germaniæ in medio ævo poſſunt. Loco iudicum fuiſſe, a *Conſtantino* perhibentur, Gylas & Carchas, quorum ille dignatione antecedebat. Finem tandem limatiſſimæ commentationi imponit notatio temporis, quo religionem Chriſtianam Hungari amplexi ſint; ubi *Stiltingio* Tom. I. Actor. Sanct. M. Sept. p. 474. in medium ſæculum X. illam conferenti albus calculus adiicitur; non tamen diſſimulatur controverſia, ex oriente ne, an ab occidente ſanctior doctrina illata in hunc populum fuerit. Illud quidem ſtabilire conatus erat *Godofr. Schwarzius*, Prof. Theol. Rintel. Prim. quamvis occultato nomine, & laudatur iure a Belio ob eruditionem & elegantiam; ſed a *Stiltingio* l. l. & a Sam. *L. B. Péterffy* in Hiſt. Concilior. Hung. acerbius, quam par erat, exceptum, Auctor iure meritoque dolet.

Itaque hæc fere ſumma eſt lucubrationis Belianæ, in qua egregium iudicium, cum doctrina copioſa certat, & præclara ad auſpicatius in poſterum tractandas antiquitates Hungariæ adiumenta adferuntur. Oſtenſo enim nationum Hunnorum, Avarum, atque Hungarorum, e manifeſtis argumentis, diſcrimine; tam exacte ſignatis intervallis temporum, & regionum ac populorum viciſſitudinibus obſervatis; & erudite indicatis ſcriptoribus, e quibus copioſa cognitio petatur: quid aliud reſtare cenſeamus, quam ut hac veluti certiſſima cynoſura poſthac curſum regant, ſi qui deinceps ad Hiſtoriam Hungaricam animum appulerint. Nusquam Belius, quod unice probamus, de cumulandis ſupervacuis Scriptorum teſtimoniis, ubi unus alterve iam argumento ſatisfecerat, neque de oſtentanda nimis diffuſa lectione, qua ſæpe diſputationes hiſto-

ricæ

Digitized by Google

ricæ obſcurari magis, quam illuſtrari ſolent, laboravit: ſed brevibus & firmis rationibus verum hiſtoriæ ante oculos poſuit, quod nemo horum, quos novimus, totum conſpexerat, & tres iſtas magnas rerum in Pannonia converſiones, tanquam elegantiſſima in tabula, in bono lumine collocavit. Quæ paſſim nos hic adſperſimus, non eo animo attulimus, quaſi ſupplere quidquam fuerit neceſſe: verum, quia novimus, his præſidiis a Belio inſtructum quemque, iam plura conari poſſe, periculum facere voluimus, poſſintne ea quoque, quæ forte oblata, tardis, aut aliud agentibus, negotium, vt ambigua aut repugnantia, facerent, recta interpretatione ad hæc ipſa confirmanda adhiberi. Ipſum autem veriſſimarum harum originum Auctorem enixe rogamus, hoc tam pulchro libello Patriæ oblato, nondum ſatisfactum pietati credat, niſi porro, quod tam belle poteſt, eius gloriæ, & rerum geſtarum memoriæ, ſimili diligentia conſuluerit, & nos quoque beneficio adfecerit, hanc, qua dudum ardemus, ſitim, quam copioſiſſime explendo. In primis memorem eſſe cupimus promiſſi, quod eſt p. 6. commentationis huius, ubi pollicetur, daturum ſe propediem Sæculi XIII. monumentum, e Vaticana a *Deſericio* V. Cl. in libro, de Initiis ac Maioribus Hungarorum, Budæ edito, publicatum; & ex quo patere, ait, Hungaros e Scythia Hunnos fuiſſe. Iſtiusmodi enim monumenta conſulere oportet eos omnes, qui recte iudicare de gentium originibus velint. Quid recentiſſimus omnium liber, qui nobis, dum hæc ſcribimus, nuntiatur, de Hunnis, Turcis, &c. extricaverit, nondum liquet, nam nondum eſt in manibus noſtris. Auctor, *de Guignes*, homo Gallus, regius in orientalibus linguis interpres, certe ita librum eum inſcripſit, ut multa detexiſſe huc pertinentia poſſit videri. *Hiſtoire generale des Huns, des Turcs, des Mogols, & des autres Tartares occidentaux, ouvrage tiré des Livres Chinois, & des MSCts Orientaux de la Bibliotheque du Roi.* Hic eſt libri titulus, cuius iam duo ingentia Volumina, quaternis, Lutetiæ prodierunt. Sed ponimus hic calamum.

NA-

Digitized by Google

NATURÆ MORBI HYPOCHONDRIACI, eiusque curationis mechanicæ, inveſtigatio, auctore ANTONIO FRACASSINI.

Veronæ 1756. typis Antonii Andreoni 1 Alphab. in 4.

Vix ullus aliquis morbus eſt, qui tot ſpeciebus ludat, quot morbus, quem morbum hypochondriacum dicunt. Quamvis enim omnes effectus, qui ſane multi & ſingulares ſunt, ad unam notionem in hac ægritudine, ſpaſmum ſcilicet, ſeu nervei generis oſcillationem auctam, referri poſſint: attamen, ſi vel diverſas actiones ab hoc pathemate læſas, vel diverſas partes corporis, aut viſcera, ab eodem affecta, conſideres, difformis omnino & complicatus morbus eſt, quem ideo quoque in ſuis ſpeciebus variantem eſſe novimus; quod nec viæ, quibus materia mali evacuanda eſt, nec humores moti, nec ſymptomata, inter quæ ſæpe febris eſt, omnino conveniant, ita quidem, ut nec eidem conſilio medentes, ſi quando hunc morbum ſanaturi ſunt, inhærere poſſint. Tanto igitur, quantus Clariſſimus Auctor eſt, opus erat artifice, qui diſſonantia iſthæc in eodem morbo phænomena conciliaret, inque ordines ac claſſes ipſius morbi effectus varios diſponeret. *Mirach* morbus Arabibus dictus eſt: *Morbus ſiccus Hippocrati: Galeno, hypochondriacus*, qui definitioni animi motus adiecit, *longus*, & *Hippocrati conſeneſcens homini* appellatus, quem *Aetius, Paulus, Arabes*, hepati ac lieni, *Williſius* & *Sydenham* nervis tribuunt, cum quibus quoque Noſter ſentit, ut, etiamſi varia corporis organa, ſua labe, hanc ægritudinem corpori inferant, poſſit tamen illa in hoc ſchemate, ſecundum varias ſuas convenire ſpecies, cum nervi abinde afficiuntur. Namque, licet ſint, qui ad labem viſcerum imi ventris, generali aliqua notione eundem referre velint, inter quos *Fridericus* HOFFMANNUS; nec falſi quoque ſint, qui ſub hac imagine ſtatum iſtum præternaturalem ſibi ſiſtant, ſiquidem haud paucæ eiusdem ſpecies, a ſanguinis & humorum per viſcera abdominis progreſſu impedito, atque a ſpaſmis, humorum iter intercludentibus, proveniunt:

 neu-

Digitized by Google

neutiquam tamen intra illius generis limites omnes hypochondriacæ affectionis ſpecies permanent, ſed ſunt ex eiusmodi ægrotis haud pauci, qui, ſalvis omnibus partibus, quas venter habet, nihiloſecius id in ſe experiuntur, ut ſint anxii, pectore oppreſſi, vertiginoſi, ſub coſtis ſpuriis pondus ſentiant, marceſcant, febriant, urinam mittant albam, & ſi quid aliud eſt quod iſtam ægritudinem adeſſe vulgo ſignificat. Similiter quoque haud eſt, ut quis vel plethoram accuſet, vel acredinem ſingularem, forte acidam, aut eam quam ſcorbuticam dicunt. Namque, etiamſi hæc humorum vitia quandoque adſunt, perpetuam tamen legem non ſiſtunt, ſiquidem plerisque hypochondriacis pulſus lentus & debilis, pro æſtu frigus eſt. Etiamſi autem in eo variæ huius mali ſpecies convenire poſſint, quod illis adſit cacochymia, quo termino, in univerſum omnem, quæ in humoribus eſt, nutriendi ineptitudinem comprehendimus: attamen, ſpecialis aliqua mixtio, ſive pituitoſa, ſive atrabilaria, omnes morbi huius notiones haud explicat, licet aliquæ ex illis ab humorum utraque illa ſpiſſitudine provenire ſoleant. Igitur ſub aliqua latitudine, morbi huius cauſam proximam & formalem in nervoſo genere Auctor ſiſtit; licet cauſæ, iſtam corporis noſtri compagem irritantes, poſſint eſſe variæ. Hac idea in demonſtrationem adſcita, & ſpaſmo ſeu motu nervorum oſcillatorio adoptato, poterunt effectus omnes facile explicari, qui, tanquam morbi huius ſymptomata, ſub diverſo ſchemate, in diverſis corporis partibus, mox eodem, mox diverſo tempore, occurrunt. Equidem & illi, qui conſenſus legem adſciſcunt, poſſunt variantes illas mutationes non minus explicare: ſed multum tunc tribuendum eſt hypotheſi, ſi dicas, hepar, intervenientibus nervis, cum capite conſentire, ut perturbetur animus in malo hypochondriaco. Quamobrem Excellentiſſimo Auctori viſum eſt, ſatius eſſe, ut totum ſyſtema nervoſum, ſine reſpectu ad aliquod vitium ſingulare, etiamſi hoc quoque tanquam cauſa antecedens in nexum cauſalem admitti poſſit, veluti pars primario affecta, agnoſcatur. Erit ergo ſub iſtius mali exacerbationibus ſemper præſens vitioſa

tioſa aliqua nervorum, vel omnium, vel quorundam repletio, nataque abinde oſcitatio anomala, ut fibræ æqualiter in ſtatu ſano tenſæ ſuum amittant parallelifmum. Hinc conſenſus imi ventris, quodſi cauſa irritans in eo fuerit, cum capite; hinc ſpaſmodica ſinuum duræ matris criſpatio, & natæ abinde animi perturbationes. Namque, veluti æqualis harmonia ſolidi nervei & membranacei, animum oblectat, ita diſſona eorundem tenſio mentem obnubilat & attriſtat; eſtque infinita iſtorum modorum, quibus nervea fila, vel in vita ſana, vel ægrota, in variis ſenſibus tenduntur, laxantur, criſpanturve, varietas, hinc effectus rerum ſenſibilium in nobis percipiuntur. Quodſi enim novem mille poſſibiles ſoni exiſtunt, atque ex iſtis ſimplicibus ſonis compoſitiones fiunt innumerabiles, quibus ſingulis tamen chorda aliqua ex iſtis ſepti cochleæ dedicata eſt: ſane exinde apparet, quanta poſſit eſſe, in toto ſyſtemate nervorum, motuum oſcillatoriorum diverſitas, quorum theoria varios morbos nervoſi generis, adeoque & hypochondriacum, explicat. Quos nervos cum ad demonſtrationem effectuum huius mali adſciſcit *Clariſſimus Auctor*, ſpiritus quidem, & fluidum nerveum, quod per illos movetur, non penitus excludit. Enimvero, cum per obſervata haud conſtet, quali itinere fluidum iſtud per nervos feratur, an per tubulos ad partes tendat, atque ab illis invicem refluat, an, ſecundum opinionem *Mazini*, fluidum illud ſubtiliſſimum, poſtquam filamentorum nerveorum laxa interſtitia replevit, ſaltim in illis fluctuet, & preſſu, mox huc, mox illuc feratur: non admodum iſti notioni inhæret *noſter*, & ſuæ doctrinæ ædificium nervorum irritabilitati ſoli ſuperſtruit, ſervato tamen hoc, quod cauſæ præcedentes, quibus nervi hoc aliove modo flectuntur, posſint eſſe variæ. Diſtinguit igitur affectionis hypochondriacæ ſpecies tot modis, quot vel humores, vel viſcera ſingularia, in aliquo diverſo ſtatu præternaturali exiſtunt: quarum diverſitatum intuitu, *Clariſſimus Auctor* hypochondriacos affectus in ſimplices diviſit, atque compoſitos. Simplices, ſecundum vulgarem temperamentorum notionem, ita dividit, ut primam ſpeciem ſibi ſub idea *calidae & ſiccae*;

Digitized by Google

alteram ſub notione *calidae* & *humidae;* reliquas ſub *frigidae* & *ſiccae*, itidemque *frigidae* ac *humidae* titulis, explicet. Etiamſi autem hos terminos ex antiquorum ſcholis depromſit, uſus tamen illis ita eſt, ut rigorem demonſtrationis mathematicum ubivis ſervaverit, nec quidquam qualitatibus largitus fuerit ſolis. Cum enim calor ex ſolidorum actione naſcitur, atque ille idem fluida tenuiora disſipat, ideoque ſunt qui ſolida vaſculoſa nervoſa & membranacea, ſive per ingenitum, ſive per adſcitum habitum, obtinuerunt, denſiora, quam eſſe debent, ut ſanitas maneat. Hæc mali ſpecies vegetæ virili ætati occurrit, cum aucta ſolidorum eſt elaſticitas; atque in hac ſpecie medicinam ſiſtunt humectantia, & calorem attemperantia. In illa autem ſpecie, quæ *calida* & *humida* dicitur, ſolida, vitioſum motum oſcillatorium indepta, copioſis tamen ſuccis madeſcunt: his molliores ſunt fibræ, obeſiores illi ſunt, & compingentium virium defectione laborant, his tardus ſanguinis per hepar progreſſus, his mendax ſanitatis ſpecies, & ſpaſmi ac tenſiones, ex ſolius maſſæ, ſua vaſa prementis, & eorum actionem ſuperantis, rationibus dependent. His Cortex, opium, venæ ſectio. Affectio hypochondriaca *frigida ac ſicca* id habet, ut extremæ arteriolæ ſeroſis tantum pateant ſuccis, ſanguinis textura ſit crasſior. His nervei tubuli ſuis liquidis inæqualiter inflantur. His ptyalismus occurrit. Febris adeſt nulla, pulſus tardus eſt, intercedit extremorum frigus. His Casſia, Manna, lac, diæta humectans, ex parte ſpirituaſcens, his venæ ſectio ſub initiis, his chalybeata, iusculum viperinum verno tempore, elixæ carnes, moderatus exercitiorum corporis uſus. *Frigida* & *humida* ſpecie detentos, nimia diſtinguit fibrarum flexilitas. Minor adeſt humorum celeritas, prævalente aquoſo & ſeroſo liquido. Ineſt illis pinguedinis copia, hinc minor attritus, & caloris abinde defectio, mora ſanguinis in ſuis diverticulis, maxime hepate, in vaſis anguloſæ figuræ, maior quies, inæqualis nervorum repletio, interruptus oſcillatorius nervorum motus, & harmonia eorundem abolita. His nocet venæ ſectio, conveniunt amara, ſaponata. His ita expoſitis, *clarus Auctor* mixtas hypochon-

chondriaci mali, ſeu oſcillationis & harmoniæ nervorum abolitæ, ſpecies recenſet, *hyſtericam*, *ſcorbuticam*, *phthiſicam*, *aſthmaticam*, *calculoſam*, *tympaniticam*, ideo nominatas, quod viſcerum, ſub quibus variæ cauſæ latent, labes, posſit eiusmodi affectus in toto ſyſtemate nervorum producere, qui oſcillationem eorundem æqualem, & tenſionem harmonicam, auferant, diſſonos autem & turbulentos in iſthoc ſyſtemate motus excitent, utpote in quibus generalis mali hypochondriaci notio ſiſtitur. Poſſunt omnino legentibus varia occurrere nova, & in Scholis hactenus haud frequenter obvia. Sed quid eſt, quod Eruditorum ſolertia in rimandis morborum occultis rationibus haud posſit, ut veritas quidem una ſit, modi autem eandem inveſtigandi innumeris modis variari posſint. Commendamus librum hunc lecturis, in quo illi uberrimam, rerum artem noſtram vario modo illuſtrantium, ſupellectilem ſunt reperturi.

COMMENTARII RERUM ROMANARUM ſub regio & conſulari imperio geſtarum, cum præcipuis ex antiquitate rom. ritibus, auctore IOHANNE FRIDERICO NOBISIO, A. M. & Scholæ Zwickav. Conrectore.

Lipſiæ 1755. 2 Alphab. 21 pl. in 8.

Romana hiſtoria, continenter, latine, atque ita perſcripta, ut ſtudia diſcentium nec nimia rerum verborumque copia diſtineantur, nec vero conciſa rurſus brevitate deſtituantur, nulla omnino ex antiquis temporibus in noſtras manus pervenit: ac poſtera ætate, præter Nieuportum, quantum ſcimus, inventus eſt nemo, qui animum ad eiusmodi ſtudium non minus difficile, quam pulcrum, adiungeret, ac res geſtas principis terrarum populi, commodo ſcholarum; exponere inſtitueret. Quo magis laudanda eſſe videtur Nobiſii cura atque opera, quam cum aliis cauſſis, tum inprimis Erneſtii noſtri impulſus graviſſima auctoritate, in ſcribendis de rebus geſtis romanorum commentariis præclare poſuit. Etenim

Digitized by Google

vir clariſſimus, memor ſui loci atque officii, librum concinnavit medium, & quaſi interiectum inter illos maiores, & emtu lectuque difficiliores ſcriptores romanos, interque alios minores & breviores, quam ut ad rerum romanarum præſtantiam plenius perſpiciendam ſatis eſſe videantur. Itaque in ſuo opere, cuius indicium ſupra fecimus, nullum locum orationibus reliquit, quæ, quamvis tali ex libro iure exeſſe debeant, tamen aliis longe de cauſſis exeſſe debent, quam quas noſter memoravit. Solent enim iſtiusmodi orationes non minus prodeſſe, quam delectare, & inter res geſtas romanorum inprimis atque græcorum merito referri: quod noſtro ſecus viſum eſt. Eodem conſilio, bellorum ac præliorum non niſi cauſſas eventusque breviter notavit, ac plura omiſit ſcitu illa non neceſſaria, & a latinis maxime hiſtoricis, qui tironum etiam manibus teruntur, uberius expoſita. Neque tamen non diligenter cautum eſt, ut ne, brevitatis ſtudio, aut exempla virtutis atque ſanctitatis prætermitterentur; aut Ciceroni & Livio, ad huius enim difficiliorem pueris hiſtoriam aditus his commentariis fieri debuit, nihil lucis aſpergeretur; aut aliquid omnino omitteretur, quod incipientes res romanas cognoſcere, vel ſua capere varietate, vel præcepti ſalubritate, & interpretationis bonitate, prodeſſe iis poſſet, vel denique ad perpetuitatem narrationis, ritusque declarandos, valere quodam pacto videretur. Atque in his omnibus exponendis ſtilo uſus eſt ſatis latino, perſpicuo, & qui proxime accedat imitatione ad præſtantiam eorum ſcriptorum, quorum ex copia hoſce commentarios digeſſit, & ad quos legendos, atque intelligendos, viam quaſi tironibus munire cogitat. Ceterum autem, univerſum opus complexum res geſtas romanorum ſub regio & conſulari imperio, in libros quatuor deſcripſit ita, ut primus quidem regum geſta, alter rempublicam poſt exactos reges, a conſulibus, tribunis militaribus, ac decemviris varie adminiſtratam contineat; duobus autem extremis imperium conſulare perpetuum, usque ad pugnam actiacam perſequatur. Atque hæc quidem generatim de univerſo opere. Nunc deinceps de ſingulis partibus aliquanto explicatius agendum

dum

Digitized by Google

dum eſſet. Enimvero ea res tum infinita nobis videtur, tum
aliena noſtris actis, quæ non pueris, romanæ hiſtoriæ ele-
menta diſcentibus, ſed virorum cauſſa, eas res ut ſuos digi-
tulos noſcentium, ſcribi ſolent. Sed tamen ut Nobiſio, pro
ipſius in ſcholam egregiis meritis nonnullus honor a nobis ha-
beatur; excerpamus ſane pauciſſima ex ipſius commentariis,
& quamvis iam ſæpe cognita, de poteſtate regum, conſulum,
& imperatorum populi romani, deque finibus Latii, quæ
capite primo libri primi docentur, cum ipſo recognoſcamus.
Igitur regum romanorum imperium tam anguſtis finibus cir- Pag. 3.
cumſcriptum erat, ut non provincias, ſed unius provinciæ vix
ſimulacrum, non urbes, ſed unius & item alterius, non ur-
bis ſed oppidi & coloniæ, vix primas lineas tenerent; poteſtas
autem in regunda civitate tam exigua, ut Luccenſis reipubli-
cæ, minimæ omnium in Italia, ducibus, qui Gonfalonieri 4.
appellantur, quam noſtris regibus, per omnia ſimiliores vi-
deri debeant. Longe amplior fuit poteſtas conſulum, a qui-
bus regibus ſucceſſum eſt, niſi priorum, poſteriorum certe,
qui plurimas maximasque provincias, præter univerſam Ita-
liam, imperio rexerunt; ut facile poſſit intelligi, eos non, 5.
ut gigantes cum infantibus, ſic cum noſtrarum hodie civita-
tum appellatis conſulibus, ſed ne cum maximis quidem hodie
aut Turcorum aut Indorum imperatoribus, ſatis honeſte poſſe
comparari. Tantam vero habuere auctoritatem, ut permiſſa
quidem rerum minorum cura ac cognitione aliis, ipſi de rebus
maioribus ac gravioribus cognoverint, easque curarint: ut
domi primo loco ſententiam dixerint, belli vero tenuerint
ſummam imperii. Cuius auctoritatis inſignia fuerunt, toga 6.
prætexta, ſella curulis eburnea, baculus eburneus cum aquila,
ac duodecim lictores: qui tamen ornatus, quamvis noſtro fere
plus quam regius fuiſſe videatur, cum omnis memoriæ regum
ſplendore & amplitudine vix, ac non magis, quam conſulum
romanorum annua poteſtas, & circumſcripta cum regia pote-
ſtate perpetua & infinita, comparari poteſt. Imperatores au- 7.
tem romani, partum tot conſulum virtute imperium orbis ter-
ræ, ſoli tenuerunt, & ita tenuerunt, ut nullius hominis vel
aucto-

auctoritas, vel poteſtas, poteſtatem eorum primis temporibus
coercere ullo modo potuerit, ac tantas geſſerunt perſonas,
Pag. 8. quantas geſſit omnino hominum mortalium nemo. At enim,
quanquam Clariſſimo Nobiſio largimur, eos imperatoribus
olim ab exercitu, libera civitate, ob inſignem victoriam appellatis,
& qui conſentiente procerum auctoritate, Germaniæ
& partibus Italiæ noſtris temporibus præficiuntur, longe maiores
potentioresque fuiſſe: tamen non regnum, ſed principatum
obtinuerunt hactenus quidem, ut liberæ civitatis non
contemnendæ reliquiæ per priora ſecula ſupereſſent; quod ex
hiſtoriæ auguſtæ ſcriptoribus, & eorum compilatione Cre-
9. vieria, manifeſto videre licet. Latina autem regio, ſeu Latium,
fuit ea pars Italiæ, quæ fere tota hodie ſub imperio Pontificis
Romani, a Tiberi fluvio, orientem verſus, ad aliquam
regni Neapolitani particulam pertinet, tum a monte Apennino
uſque ad mare Tyrrhenum fuit extenta, ita, ut hæc pau-
10. corum milliariorum terra, ab occaſu trans Tiberim, Etruſcos;
a ſeptentrione Sabinos & Marſos; ad orientem Campanos,
habuerit vicinos. Atque hoc in Latio, ante Romanos, regnarunt
triplices potiſſimum reges: primi dicuntur Aboriginum,
alteri Latinorum, Albanorum tertii. Ex primo genere nobilitati
ſunt tres inprimis, Ianus, Saturnus, Faunus, quorum
ille monti Ianiculo; iſte, quod ibi latuiſſet, Latio nomen dediſſe;
hic autem in Deorum numerum poſt fata relatus, cum
effatis ſuis pro oraculo fuiſſet, a fando nomen inveniſſe dici-
11. tur. Fauno regi ſucceſſit Latinus, aut rex Latinorum primus,
aut Aboriginum ultimus, ac deinceps Æneas, Aſcanius-
12. que. Æneas, Troianorum dux, poſt mortem Latini, ſoceri,
Troianos & Aborigines ita coaleſcere voluit in unum corpus,
ut uno etiam nomine Latinorum ab ipſo Latino appel-
13. larentur. Ei in proelio cum Rutulis interfecto, Sacellum exſtructum,
inſcriptumque eſt Æneæ, Patri Deo, Iovi Indigeti,
qui Numici amnis aquas temperat. Indigetes enim vocabantur
homines in Deorum numero collocati, eo, quod vel
in Diis agant, vel nemine indigeant, vel, ut noſter minime
ſtulte opinatur, quia ſint ἐν θεοῖς χθόνιοι· Aſcanius inde rex,
Lavi-

Laviniæ, ſive matri, ſive novercæ, Lavinium oppidum ceſſit, ſibique novam condidit urbem, Albam longam, cui reges Albani poſtea, omnes Silvii, a Silvio poſthumo cognominati, usque ad Numitorem, avum Remi ac Romuli, urbis dominæ conditorum, imperitarunt.

ANIMADVERSIONES IN QUOSDAM NUMOS veteres Urbium. Editio altera auctior P. ERASMI FROELICH, Societatis Ieſu, curante ANTONIO FRANCISCO GORIO.

Florentiæ 1751. in 8. plagg. 14½. cum 5 Tabb. numorum aeri inciſorum.

Deſiderantur hi numi in *Vaillantio* & *Bandurio*: in *Huberti Goltzii* & *Harduini* libris aut non ſunt; aut ſi ſunt, eſt in ipſis ab A. R. Auctore aliquid repertum, quod novæ lucis aliquid adferre ad rem antiquariam poſſit. Prima editio, quæ Viennæ Auſtriæ prodiit CIↃ. IↃ. CC XXXVIII. atque in Philoſophico Univerſitatis Congreſſu, dum Candidati laurea donarentur, his dumtaxat, qui aderant, diſtributa fuit, in pauciſſimorum hominum manibus erat. Alteram editionem hanc Celeb. Gorius Dom. de France, Directori theſaurorum auguſtiſſimæ Imperatricis, dedicavit. In fronte Dedicatoriæ Epiſtolæ exhibetur argenteum numiſma maximi moduli, plane inæſtimabile & ſingulare. Siſtitur in eo caput Tiberii nudum, cum Inſcriptione: TI. CAESAR. DIVI. AVG. (F.) AVGVSTVS IMP. VII. P. M. Latus adverſum exhibet caput Auguſti nudum, aſtro impoſito, & Octaviæ, lunula impoſita, cum Epigraphe, DIVVS. AVG. IMPER. OCTAVIA. Ipſum Opus in duas partes dividitur, quarum prior numos in Europæis urbibus ſignatos complectitur, altera ad eos pertinet, qui in Aſia percuſſi ſunt.

Tabula I. continet numos Corcyræ nigræ, & Cauloniæ. Iam de numis Corcyræ obſervat Auctor, numos omnes ΚΟΡΚΥΡΑΙΩΝ, vel ΚΟΡΚΥΡ vel ΚΟΡ inſcriptos, ab antiquariis adhuc ad Corcyram in Ionio mari inſulam, Corfu hodie dictam,

Digitized by Google

referri. Ipſe vero quos hic ſubiicit, tres parvi moduli ex aere numos, elegantes ſane atque integros, KOP inſcriptos, alteri Corcyræ inſulæ, quæ propter umbroſas, quibus abundat nigricatque, ſilvas, Corcyra nigra, Italis Curzola nominatur, adſcribendos cenſet. Ad hanc inſulam hos numos referendos eſſe, ex eo ſuſpicari coepit, quod numi iſti eſſent in Dalmatiæ regione, huic inſulæ vicina, repetti, atque inde ad ſe perlati. In primo numo a tergo Satyri piſciculus cernitur, deſignandis piſcibus inſulæ, qui miri ſaporis ſunt, & Sardellæ appellantur. Nomen inſulæ veriſimiliter a voce κέρκυρος deſcendit, quæ brevioris navigii genus ſignificat.

Qui de Cauloniæ numis ſcripſerunt, alii non ſatis recte quædam, alii ingenioſa potius & arguta, quam vera, adnotaverunt. Ea occaſione ſecundo de numis Cauloniis agitur. Numi omnes ante ruinam, quam exeunte bello Punico ſecundo ſubiit Caulonia, cuſos eſſe, ex eo liquet, quod longiſſimo deinceps tempore deſertus ille locus iacuit, & numi magnam vetuſtatem præ ſe ferunt. Refelluntur de iis *Barrius* de antiquit. & ſitu Calabriæ, *Goltzius*, *Begerus* in Theſauro Brandenburgico, *Harduinus*, *Spanhemius*. Numorum iſtorum perpetuum ac velut proprium ſymbolum Iovis tonantis, ac Cervi: quod de tonitrui fragore accipiendum monent interpretes, quo cervarum partus promoveatur. Huc refert Harduinus illud Pſalmi XXVIII. v. 9. Vox domini præparantis cervos. Sed recte monet Præclariſſ. Auctor, Cauloniatas tam ingenioſos ſibi vix fuiſſe videri, ut huc reſpicerent, & meliorem facit exegeſin. Planta, in numo elegantiſſimo, Goltzio dictamnum eſſe videtur, quo, Plinio teſte, tanquam præſentiſſimo remedio, utuntur in Creta cervi, ad eiicienda e corpore iacula, quibus a venatoribus confixi ſunt. Sed Plinius non de cervis, verum de capris loquitur; ideoque hic recte planta hæc ad lauri vel oleæ ramum refertur.

In tabula II. memorabilis numus Lacedæmoniorum, in quo caput barbatum & laureatum, fortaſſe Iovis, in poſtica vero ſolita clavæ intra lauream figura occurrit. Ibidem præſto eſt alius numus Macedonum, cum clava, ſitu horizontali, quam quer-

querna corona ambit. Hic clava Herculem notat, a quo originem deducebant reges Macedoniæ: quercea autem corona, & caput laureatum, Iovis ſunt ſymbola, qui Herculem ex Alcmena genuit.

Ibidem numus Argivorum, & ſimul Epidauriorum, monſtrat caput lupi ſine epigraphe. Infeſtati nimirum a lupis Argivi, oraculo Apollinis edocti, ſtipitem deſignato loco inventum cortice exuerant, eumque corticem carnibus intritum lupis eſcam expoſuerunt, qua delibata lupi omnes periere.

Sollertiſſima deinde eſt diſquiſitio Eruditiſſimi Auctoris, de Pondere Romanorum, ſuſcepta occaſione numi urbis Romæ, quem Semiſſem fuiſſe, littera S. indicat. Erroris inſimulatur *Plinius* Lib. XXXIII. Sect. XIII. dum omnes æneæ monetæ mutationes, & maxime primam, recenſere voluit. Numus itaque noſtri, ROMA inſcriptus, unam propemodum unciam appendit, atque adeo, ſi Plinio credimus, cuſus fuit eo tempore, quod inter bellum primum Punicum, & Hannibalis irruptionem in Italiam, interceſſit. Senſim autem, & repetitis vicibus, aſſes e libralibus factos fuiſſe ſextantarios, ex diverſitate ponderum, quæ ei obvia facta ſunt, probare vult Auctor, reiecta ſententia Cl. Iohannis Georgii Wachteri, Archæologiæ Nummariæ C. X. Eam in rem hic 46. numiſmata recenſentur, adiecto pondere. Illud in tranſenna obſervat A. R. P. Froelich, pondus legionis primæ Italicæ, quod Marchio Maffeus poſt Epiſtolas de Antiquitatibus Galliæ p. 189. exhibuit, exacte appendere decem libras vulgares, quibus Viennæ in mercibus ponderandis utantur; aſſem vero libram pharmacopolarum exæquare.

Sequitur in altera parte, quæ numos in Aſia percuſſos complectitur, numus Nicomedienſium. Produxerat eum *Harduinus* de Numis Popul. & Urb. ſed nulla typi mentione facta: in epigraphe quoque Epocham adiungere prætermiſerat: de figura vero Romæ ſedentis, & inſcriptione ROMA, omnino ſiluerat, forte quod iſta in attrito numo non dignoſſet. Heic igitur integra eius deſcriptio, quia Viennæ elegantiſſimus & integerrimus eſt hic numus, repræſentatur. Chronologiæ

ſimul ratio, in qua Harduinus a vero aberravit, ad liquidum perducitur.

Herculem, quum Omphalen deperiret, femineis ſeſe veſtibus ornari, atque labores ſibi muliebres imperari, paſſum, ubivis obvium eſt. Verum, vice verſa, Omphalen ipſam Herculis arma induiſſe, pauci norunt. Hoc ex numo Sardianorum hic conficitur, in quo Omphale cultus femineos ſagittis, & clava, & leonis tegmine mutat.

Quod ad numum ſane mirabilem, qui Tab. V. num. XXXIII. proponitur, attinet, utique probandam cenſemus ſuſpicionem Viri ſagaciſſimi, qua eum Eumeni Regi Pergameno, qui Romanorum ſibi amicitiam ingentibus compluribus meritis devinxit, tribuit, eumque Pergami, in regia Eumenis ſede, cuſum eſſe, adſentimur.

Ratione numi Coryciotarum & Heracleæ; Tripolitarum porro & Tarſenſium, Harduinus emendatur: ultimo autem loco Inſcriptio Græca, in Inſula Chio reperta, proponitur, quam A. R. Auctor, primum repræſentat uti accepit, in Tab. VI. deinde vero emendatam, ſuppletam, & interpunctam hic latine interpretatur.

Adiicitur Mantiſſa rariſſimorum, & antea nunquam editorum numorum, præcipue ex Cimeliarchio regio Cæſareo Vindebonenſi, qui a Cl. Viro, P. Eraſmo Froelich, Societatis Ieſu, accurate deſcripti atque inluſtrati ſunt. Numiſmata hæc numero ſunt quinque. Excipit ea deſignatio numiſmatum undecim aureorum itidem declinantis Imperii, e Cimeliarchio regio Cæſareo Vindebonenſi: cui ſubiicitur Catalogus numorum aureorum Auguſtalium ſexaginta trium, qui in Vaillantio & Bandurio deſiderantur, e Cimelio D. Ioſephi de France. Agmen claudunt, in Græcam inſcriptionem Aſiaticam, ſuperius adlatam, animadverſiones Cel. *Eduardi Corſinii*, in Piſana Academia tum Profeſſoris, ad Ant. Franciſcum Gorium.

Tam hilaris eſt fama Celeberrimi Froelichii, ut noſtra commendatione non indigeant ingenii vis, & penitioris doctrinæ copiæ, in aureolo hoc libello, lectorem ubivis ſumma perfundentes voluptate.

IOH.

Digitized by Google

IOH. ALSTORPHII DE HASTIS VETErum opus poſthumum, cum multis tabularum ænearum iconibus.

Amſtelædami & Lipſiæ apud Arkſteum & Merkum 1757.
1 Alphab. 18 plagg. in 4.

Ioh. *Alſtorphius*, natus Gröningæ, ſub *Theodoro Ianſſonio ab Almeloveen*, Harderovici, de lectis & lecticis veterum diſputationes a. 1700. & 1701. publice defendit; deinde iurisprudentiæ operam navavit ſub *Ioh. Ortwino Weſtenbergio.* Diſſertationes eius de lectis & lecticis veterum, iuſta dein libelli forma Amſtelædami 1704. in 12. prodierunt. De Haſtis Opus, poſtquam diu intra ſcriniorum latebras abſconditum fuit, nunc primum a ſitu & interitu, bono bonis litteris conſilio, liberant bibliopolæ. Abſolutis ſtudiis Academicis feriatus eſt Auctor in villa: unde ratio intelligi poteſt, cur librum ſuum de haſtis, exemplo Ciceronis in prædio Tuſculano philoſophantis, occupationes Tuſculanas inſcripſerit. Addatur igitur *Alſtorphius* de Haſtis, *Paſchalio* de Coronis, *Balduino* de Calceo, *Bartholinis* de Armillis & Tibiis, *Magio* de Tintinnabulis, *Iunio* de Coma, *Lampio* de Cymbalis, *Caryophilo* de Clypeis, rel. Multis etiam hoc nomine gratioſus erit Alſtorphius, quod opus ſuum picturis, tanquam gemmis, diſtinxit.

Iſidoro haſtula quaſi *abſtula* dicitur, quia, quod ea reciditur, fere aufertur. Cluverius haſtis inde nomen quæſitum eſſe vult, *quod cuſpide eſſent acri.* Varro haſtam dictam contendit, *quod ſtans ferri ſolet.* Hanc Etymologiam ſequitur & probat Auctor. Haſtæ nomine omne genus teli venit. Unde huc pertinet Pilum, Verutum, Sariſſa, Soliferrea, Phalarica, Sibyna, Tragula, Cateia, Romphæa, Runa, Grosphus, Sparus, Gaeſum, Mattium, Ceſtroſphendone, Materi, Scorpio. Græcis dicitur μελίαι, unde miles. Poſterioribus temporibus haſtæ dictæ Alebardæ, tandem lanceæ, unde manavit vox *Lantzknecht.* Sequitur Haſtæ definitio. Eſt igitur *militiae,* (præcipue Romanæ), *peculiare telum, ſive contus, nunc*

Digitized by Google

cum ferro, nunc ſine eo, quo pugnabant cominus & eminus, tam pedites, quam equites. Invenerunt eam Lacedæmonii, ſecundum Plinium, (antea enim ſudibus præuſtis pugnabatur,) & Romæ incunabula haſtæ debentur, unde frequens Romulus haſtatus in numis. Ideo Dea Roma in numis conſpicitur haſtata: & Germanis haſta *Hellebarth* dicitur, tanquam *Heldenbarth*, telum herois. Quid haſtæ fuerint præpilatæ, acris fuit contentio inter Heinſium & Salmaſium. Heinſius præpilatas haſtas fuiſſe dicebat, quæ ferreas haberent cuſpides, quaſi præferratas. Salmaſio contra haſtæ præpilatæ ſunt, quæ pilas haberent, id eſt σφαίρας in extremo. Alſtorphius Heinſii ſententiæ ſubſcribit, eamque veterum locis firmare annititur. Idem dein docet, quinam fuerint Doryphori, Melophori, Satellites, Stipatores, Haſtati, Aſtiferi; & tunc partes haſtæ exponit, quæ fuerunt Haſtile, Cuſpis vel mucro, Sauroter. Ligna, ex quibus haſtæ fiebant, erant Cornus, Fraxinus, Quercus, Abies, Cupreſſus, Ornus, Myrthus, Arundo. Fuerunt etiam factæ ex corio Hippopotami, tornatæ ſcilicet. Haſta aliquando in ſumma & ima parte ferro erat munita. Pars ſumma cuſpis, (mucro enim de gladio uſurpatur;) inferior Sauroter. Cuſpides haſtarum oſſeas habuerunt Sarmatæ, Germani, Barbari ſeptentrionales, Hunni, Indi. Indi etiamnum hodie primam illam mundi infantiam repræſentant, vero dente vel oſſe aliquo haſtilia ſua munientes. Aes autem cognitum fuit ante ferrum, unde Heroes ſuos aere fere armat Homerus. Tzetzes narrat, viguiſſe tunc temporis artem, aes temperatura quadam indurandi, qua poſtea amiſſa, ferri uſus invaluerit. Hamatæ haſtæ Tragulæ appellabantur. Sauroter haſtæ infima pars, non ferramentum aliquod, ſeu theca, in qua collocatæ ſint haſtarum calces, ut putat Lydius. Iam homines vulnerabantur haſtarum parte ſumma, & ima. Diſputatur, quid ſit telum anceps, & ῥομφαία δίστομος in variis locis Apocalypſeos. Uſus haſtæ generalis erat in bello. Saul haſtam habebat in caſtris, ad caput lecti defixam in terra. Milites meticuloſi pollicem ſibi truncabant. Pollex autem a pollendo nomen fert, quod magis polleat ceteris digitis, unde apud Græcos ἀντίχειρ, quaſi manus altera. Tales

Murci

Murci fuere, unde Murcia ignavorum Dea. Quo loco diſquiritur, Italicum *Poltro*; & Gallicum *Poltron* unde? Sequitur varia haſtarum longitudo. Illuſtratur Goliathi haſta, comparata cum iugo liciatorio. Præter magnam haſtam, Gigas habebat Chidon. Chidon quid fuerit, examinatur. Ut veram figuram pili invenirent, valde deſudarunt viri docti. Hic effigies eius ex numis oſtenditur, & monumentis antiquis. Proximum eſt amentum, ſive lorum, quo haſta media religabatur. Ea dextræ manus digitis aptabatur; quo loco, quid ſit cominus & eminus pugnare, quid metiri ſe in haſta, explicatur. Modus, quo haſta emittebatur, variis inſignitur nominibus: ut torquere, contorquere, vibrare, librare, perlibrare, rotare, criſpare, concriſpare, ſpargere, adicere. Haſtam quaſſare, ſignum erat iracundiæ, & inchoandi prælii. Goeſa, an Gallorum inventum? Viri fortes dicti Goeſi, unde honorabilis reformatorum ſit appellatio, quando vocentur *Geuſen*. Deſtinare haſtam alio vocabulo dicitur dirigere. Cæcum vulnus quid?

In capite XIII. quod partis I. ultimum eſt, palmam ceteris præripiunt, quæ de flamula dicuntur. Rivulos hos claudunt VIII. haſtarum ſpecies, in monumentis antiquis occurrentes, aeri inciſæ pulchre & gnaviter.

Libri II. c. I. Haſta, ut ſignum indicendi belli, apud Iudæos & Romanos proponitur. Mittebatur enim haſta ſanguinea & præuſta. Poſterioribus temporibus non haſtam, ſed gallum mittebant gallinaceum: nam in illius ventre lapides repertos, ore aut brachio geſtatos, robur virtutemque pugnantibus addere credebant.

Haſtarum porro ſpicula ardentia, bonum & malum erant omen. Haſtas quoque defigebant in terram; quæ ſi difficulter evellerentur, *malum*; ſi facile, *bonum* omen habitum.

Agitur deinde de iureiurando per haſtam. Foedera quoque inita per haſtam fuerunt.

Græcorum porro ducibus, præter haſtam, & baculus geſtamen & inſigne erat. Cato Conſul, & exercitus dux, Sparo armatus erat in pugna. Sparus unde dictus? Ruſticum erat telum hoc, quod faſtus contemtor, Cato, gerere voluit. Inde Germanorum *Speer*.

Ex

Ex diverſo more geſtandi haſtas, numerus militum videbatur maior, quam reapſe eſſet. Per elevationem & inclinationem, conſenſum & diſſenſum indicabant milites, Imperatorem alloquentem audientes; quo etiam Concusſio & ſtrepitus armorum, illiſis ad haſtas ſcutis, pertinet.

Dicitur deinde, inter ſigna, & de Draconibus, qui perflabiles erant, & ideo ſibilum edebant. Illuſtrantur Draconarii, & Imaginarii. Explicantur arietes, qui & ipſi in ſignorum numero erant, itemque Labarum Conſt. M. Minotaurus etiam inter militaria ſigna, quod non minus occulta eſſe debeant conſilia ducum, quam fuit domicilium eius labyrinthus.

In obſidionibus quoque haſtarum aliquis uſus fuit, nimirum in Cuniculis. Deſcriptio Carrobaliſtæ ſequitur.

In VIII. capite nihil invenimus, quod excerpi debeat.

In Cap. IX. litteræ laureatæ; in X. quod ultimum eſt, haſtæ puræ, quæ inde dictæ donaticæ, notabiles ſunt. Quo ceterum tempore hoc Opus circiter ſcribi deſierit, docet huius P. II. p. 106. ubi diem XIII. Oct. MDCCXIIX. lætam & candidiſſimo ſignandam lapillo A. dicit, quod in ea C. W. Friſo Provinciæ Groeninganæ Gubernator deſignatus ſit.

MEMORIE DI VARIA ERUDIZIONE, &c.

i. e.

COMMENTARII SOCIETATIS COLUMbariæ Florentinæ, variæ Eruditionis. VOLUMEN II.

Liburni 1752. Alphab. 1. plagg. 13. in 4.

Inſcribitur hoc volumen Cardinali *Angelo Mariae Quirino*, Societatis Columbariæ nuper Socio, eiusdemque tum Genio tutelari. Offertur eidem deinceps ab *Ant. Franciſco Gorio*, nuper defuncto, vetus Codex Epiſtolarum Franciſci Barbari ad Federicum Contarenum, e quibus una, de rebus Italiæ, data Treviſi XIV. Kalendas Sept. 1447. hic præmittitur. Locus primus epiſtolam exhibet Dn. *Iohannis Baptiſtae Paſſerii*, ad

ad Eminentiſſ. Cardinalem Spinellium, Archiepiſcopum Neapolitanum, de Inſcriptione Oſca, quæ Nolæ conſervatur. Legitur ibi veteri lapidi inciſa, eſtque maxime memorabile monumentum linguæ Hetruſcæ, ſi excipis tabulam Gubbianam. Ut lingua, ſic characteres quoque litterarum, Oſci ſunt. Fuit autem hoc monumentum, ante ſexaginta circiter annos, inventum in ruinis veteris Avellæ. Suſpicatur autem Generoſiſſ. Auctor, hanc inſcriptionem complecti Actum aliquem publicum, geſtum inter Nolanos & Avellanos. Lingua autem Oſca dialectus eſt Hetruſcæ, ut etiam hæc tabula illi Eugubinæ ſeu Gubbianæ quodammodo ſimilis eſt. Ad fines inter Avellanos & Nolanos regundos, hoc monumentum deinceps pertinuiſſe dicitur, p. 8. Saxum ſollicite deſcribitur; inſcriptio ipſa latinis litteris carptim exponitur & explicatur, hisque index vocum Oſcarum ſubiicitur, quæ in hac Inſcriptione leguntur.

Diſſertatio II. Dni *Philippi Venuti*, ad Gymnaſium Ciceronis pertinet. Iuvabit lectorem, & hac parte penitius perſpectum habere illud ingenium, quod ſolum Populus Romanus par Imperio ſuo habuit. Certe Cicero malebat in Sedicula ſub imagine Ariſtotelis ſedere, quam in magiſtratuum ſella Curuli.

Tertio loco comparet *Anonymi* diſſertatio, de Monumento Gaſtonis Patriarchæ Aquileienſis, ſepulti in Eccleſia S. Crucis Florentiæ. Monumentum ipſum aeri inciſum adiicitur ad pag. 43. Diſſeritur hic diligentiſſime de Origine & fatis gentis Turrianæ, e qua ortus erat Patriarcha. Obiit autem Gaſto hic XIII. Kal. Septembris 1318. quum vixiſſet in Patriarchatu ann. I. menſ. VII. dies XXI. Occaſione Anaglyphi, quod in latere huius monumenti cernitur, & Chriſtum, Dominum noſtrum, reſurgentem a morte exhibet, diſquiſitio ſit, utrum S. Mariæ, matri ſuæ, an Mariæ Magdalenæ prius apparuerit Salvator. Et præfertur ſententia, quæ S. Mariam, Dei matrem, primam Dominum vidiſſe in forma glorioſa præ ſe fert. Favet ei *Sedulius*, in Carm. Paſch. L. V. his verſibus: —

Semper virgo manens: Huius ſe viſibus adſtans
Luce palam Dominus prius obtulit. ——

In Diſſertatione IV. Eques *Laurentius Guazzeſius*, Aretinus, explorat, per quos tractus via Caſſia Cluſio Florentiam duxerit. Hæc Caſſia via nomen C. Caſſio Longino debet, qui Cenſuram cum M. Meſſalla exercuit A. U. 628. Eam vetuſtate collapſam reſtituit Imperator Hadrianus, ut ex Inſcriptione veteri diſcimus, quæ apponitur p. 106. Diſcrepant autem in numero milliarium, & nomine, (nam in Itinerario Antonini Clodia dicitur,) modo dictum Antonini Itinerarium, & Tabula Peutingeriana. Has differentias hic acute tolli, & utrumque Geographum apte inter ſe conciliari, videas.


Diſſertatione V. Dom. *Ioh. Targionius Tozzetti* agit de Floreno Sigilli, quo in medio ævo uſa eſt reſpublica Florentina, ad ſigillanda marſupia, evitandæ fraudis ergo. Ectypus eius aeri inciſus ſiſtitur ad p. 129.

Diſſertatio VI. Auctorem habet virum præcellentis nuper ingenii & doctrinæ, *Antonium Franciſcum Gorium*. Ea illuminatur vetus gemma anularis, ſiſtens Eunoſtum Deum Molarum. Eius Ectypum, uti exhibetur ad p. 209. repræſentaTab. II. vimus Tabula aeri inciſa. Mola manuaria eſt, quam manu tenet, non plane abſimilis illi molarum manuariarum generi, quo noſtris faba Caffé molitur. Dicebatur etiam mola verſatilis, truſatilis, & machinaria.

Diſſertatione VII. obſervat Dn. *Domenicus Maria Manni*, vaſa aquæ benedictæ in Eccleſiis Florentinis medio ævo dedicata, antea apud paganos longe aliis uſibus deſtinata fuiſſe. Adducit eiusmodi urnam, in qua diſerte leguntur verba DIS MANIBVS. Alia eius generis olim menſura vinaria fuit. Legitur enim in ea: Hæc eſt menſura vini de Palaia. Eſt tamen inter hæc vaſa unum, quo Numinis auxilium, litteris charactere Anglico ſcriptis, inſtanter, inſtantius & inſtantiſſime imploratur, exhibentibus voces: Help, Help, Ghod.

Diſſertatione VIII. Dn. *Ioannes de Sancto Laurentio* agit de Caprificatione, cuius iam mentio apud *Plinium* H. N. L. XV. c. 19. Caprificus autem vocatur e ſylveſtri genere ficus,

TAB. II. ad Nov. Act. Erud. A. 1757. Menſ. Jun. P. II. pag. 380.



Ex Jaspide Gemmae anularis antiquae

J. G. Krugner Jun. ſc. Lipſ.

Digitized by Google

Digitized by Google

ficus, genus arborum, cuius cultus & cura Florentinis commendatiſſima eſt. Ille cultus hic deſcribitur.

Subiicitur his in fine vita *Salvini Salvinii*, fratris Antonii Mariæ Salvini. Natus is erat Florentiæ d. 9. Februarii 1667. & ipſe quoque ſolis humanitatis ſtudiis vacavit. Obiit d. 29. Novembris A. 1751. Ei Societas Columbaria, interprete Dn. Gorio, hoc fecit Epitaphium:

SALVINO SALVINIO
CANONICO FLORENTINO
FASTORVM SVORVM CONSVLARIVM
SCRIPTORI ERVDITISSIMO
SACRA ACADEMIA FLORENTINA
DECRETA EIVS IMAGINE
HIC IN PERPETVVM SPECTANDA
OB EGREGIA MERITA
IVSTA LITTERARIA PERSOLVIT.

Auctor huius vitæ eſt Dn. *Bindo Simon Peruzzi.*

Kurze diplomatiſche und gründliche Geſchichte von dem Kaiſerlichen unmittelbaren Reichsſtifte auf dem Petersberge vor und in Goslar.

i. e.

BREVIS, DIPLOMATICA, ET SOLIDA HIſtoria, de Imperali & immediata eccleſia collegiata Petrimontana, iuxta & intra Goslariam.

Hildeſiæ 1757. 6½ plagg. in 4.

In monte calcario, ad plagam oppidi regalis Goslariæ orientalem, eminuit ad annum usque 1527. eccleſia Canonicorum S. Petri, a qua mons iſte iam a. 1062. cognomen traxit. Conditor eccleſiæ fuit Henricus III. Rex, II. in Imperatorum numero. Operi coepto ipſe immortuus eſt. Ad finem illud perduxit Agneſa, eius vidua, Imperatrix, circa a. 1057. Nonnihil de hac eccleſia expoſuit Ioann. Michael

Digitized by Google

Heineccius. Diplomata tamen vel non habuit univerſa, vel
induci ſe paſſus eſt, ut pauca, eaque plerumque truncata, *An-
tiquitatibus Goslarienſibus* inſereret. Diplomata ex fonte
primo iam communicat Auctor, eaque XXXV, id eſt po-
tiora, reliquis tantiſper omiſſis, licet ſubinde eorum ſummam
dederit excerptam. Henricus IV. a. 1062. 3. Id. Mart. an-
no ordinationis ſuæ octavo, regni ſexto, vitæ duodecimo, in
palatio regio Goslariæ, fundationem patris matrisque illam
corroboravit, adiudicans novæ eccleſiæ, quæ poſthæc *capella
reginae* fuit adpellata, quoddam prædium, quod fuerat Chri-
Pag. 19. ſtophori Comitis, *in villa Partunles dicta, in Comitatu Utonis
Marchionis, in pago Harteringowe ſitum, in orientali plaga vil-
lae Goslarienſis,* cum mancipiis ſexus utriusque, & reliquis
rebus adiectis. Situs villæ deſignatur, quam Heineccius quæ-
ſivit in Bartensleben, & Falkius in vicinia caſtri Calvörde, pro-
pe Goslariam figendus. Loco *pagi Harteringowe,* vulgo edi-
tum fuit, *praedium in pago Northuringia ſitum.* Hic erat
olim fons geographici erroris. Reditus extraneos confirma-
vit Henricus IV. idem a. 1065. licet typographus annum
20. 1063. deſignaverit. Si qua illi eccleſiæ donata ac tradita fue-
runt, aut reſignata, id fieri ſolitum fuit *ſuper reliquiis apoſtolo-
23. rum Petri & Pauli,* in templo. Anno 1194. Gardolffus,
Epiſcopus Halberſtadenſis, eccleſiæ illi Petrimontanæ confir-
mavit ſolenniter quatuor manſos, ad villam Strobeke ſitos,
translatos ab Adelhaide de *Hakenſtede, fideli & miniſteriali*
baſilicæ Halberſtadenſis, eiusque marito Theoderico de *So-
meringen,* ea lege, ut Præpoſitus Petrimontanus advocatiam
25. in illos ſuſciperet ab Epiſcopo iure beneficiario. Rarior hæc
erat conſuetudo. Confirmationes Friderici Imperatoris, ad
a. 1170. Henrici Ducis Saxoniæ ad a. 1223. Henrici Regis
ad a. 1227. Wilhelmi Regis Romanorum ad a. 1252. ac A-
dolphi ad a. 1295. datas, iam non licet in compendium redi-
gere. Epiſcoporum aliquot Hildeneshemenſium, Comitum
Blankenburgenſium, Slademenſium, aliorumque, hoc loco
diplomata memorantur, & integra exhibentur.

Boni-

Digitized by Google

Bonifacii VIII. litteræ indulgentiales, a. 1309. 6. Dec. datæ, confirmant dies feſtos, qui, excepto die dominico, ad minimum quinquaginta dies efficiunt. De tribus annuis iudiciis meierdingicis, memorabile adfertur exemplum. Situs villæ *Someringen,* in hiſtoria ſæculi X. notæ & illuſtratæ, quærendus eſt prope vicum Heſſen, in finibus Halberſtadenſis Principatus, intelligitur ex diplomate haud uno, allato in medium. Anno 1527. cives Goslariæ ædificia Petrimontana incendio deleverunt. Canonici ex eo tempore ſacra ſua obierunt, usque ad annum 1603. in æde collegiata Simonis & Iudæ, cum Capitularibus huius eccleſiæ; poſtea autem in oratorio S. Catharinæ intra Goslariam, urbem inclitam imperialem. Imperatori Romano adhuc ſolemne eſt ius, preces primarias & ibi de Canonicatibus Petrimontanis exercendi. Diplomata XXXV. & *catalogus Praepoſitorum,* e quibus olim Archiepiſcopi & Epiſcopi quidem allecti, *Decanorum* item & *Canonicorum,* tractationi coronidem imponunt, quæ maioris duntaxat epitomen complectitur libri, quem Auctor I. C. H. nos propediem exſpectare iubet. Pag. 35. 37.

METHODUS SECANDI, oder deutliche Anweiſung ꝛc.

i. e.

VIA AD CONTEMPLATIONEM, DISSEctionemque corporis humani, auctore IOHANNE FREDERICO CASSEBOHMIO, olim Med. Doct. & Prof. Publ. in Colleg. Medico-Chirurgico Regio Berolin.

Berolini apud Ioh. Iacob. Schütz. 1746. Alphab. 1. plagg. 21. in 4.

Sive materiam huius libri, quæ, etſi perutilis, tamen adhuc accurate pertractata non fuit; ſive auctorem conſideremus, qui, quanta ſit in diſſecandi arte peritia, atque dexteritate, cum de aure humana libris, tum illis de muſculis, & viſcera diſſecandi ratione, olim editis libellis, demonſtravit: magnum videtur huic libro ſtatuendum pretium eſſe.

Neque eum dubitamus optimis, quos de Anatome habemus,
libris adnumerare, quamvis hinc inde aliqua a vero, ut vide-
tur, abhorrentia, occurrunt; quæ tamen, ſi Caſſebohmius ipſe
hunc libellum edidiſſet, fortaſſis paullo aliter propoſuiſſet.
Qui vero eius edendi in ſe curam ſuſceperit, neque additum
eſt, neque adhuc reſciſcere potuimus. Quisquis autem eſt,
videtur exemplo parum eatenus integro uſus eſſe, quatenus
loco quintæ partis, quæ de oſſibus doctrinam continere de-
bebat, pauciſſima quædam ex hac doctrina quarto libro ſub-
iecit, & adnexa inſcripſit. Ex quatuor illis libris, in primo
viſcera, in altero muſculos, in tertio ſanguinis rivos, in quar-
to nervos ſecandi ratio, expoſita habetur. Utque in titulo hu-
mani tantum corporis mentio fiat, plura tamen ad anatomen
comparatam pertinentia in ſingulis fere capitibus habentur,
in quæ ſinguli libri ſecti ſunt. Cum vero via ratioque partes
humani corporis diſſecandi oſtendi ab auctore non potuerit,
quin ipſam earundem fabricam exponeret: ita nobis de hoc
libro dicendum erit, ut cum ſecandi artis, tum deſcriptionum
partium, obſervationumque aliquot ſaltem ſpecimina profera-
Pag. 1. mus. Sed in primo libro, antequam de abdominis partibus
dixit, ex veteribus Veſalium & Riolanum, ex recentioribus
Taſſinum, Lyſerum, Cowperum, Garengeotum, Schache-
rum noſtrum, Ruyſchium, & Albinum nominavit, qui, etſi
ſecandi artem expoſuerunt, tamen cum partim de ſingulis
tantum partibus egerint, partim non ſatis plane accurateque,
commendatione ei minus digni videntur. In quo etſi ipſi ac-
cedendum eſt, tamen monere non negligimus, potuiſſe il-
lis auctoribus maxime Habicotium, Morgagnum, Santori-
num, ac ſigillatim Lieutaud addi, quorum hic per totum li-
3. ſeq. brum ſecandi ſimul rationem viamque aperuit. Deinde Caſ-
ſebohmius, tum ferramenta machinaſque recenſuit, quibus
ad anatomen exercendam opus ſit; tum, qualia potiſſimum
5. mortuorum corpora, partim ad anatomen in univerſum, par-
10. tim ad muſculorum, viſcerum, vaſorumque diſſectionem ido-
nea ſint, indicavit. Iam ad ipſa præparationum ſpecimina
32. progrediamur. Ex iſtis hæc nobis perplacet, qua, cute
cum

cum pingui membrana a muſculis abdominis caute ſeparata, annulus obliqui externi, cum ſubiecto altero obliquo & transverſali, ita verſus ilii criſtam inciditur; & qua præterea, muſculis abdominis a peritonæo ſeparatis, hoc contra a muſculis in lumbis iliisque ſitis ſeparatur, ut & celluloſa eius ſubſtantia, & qua hæc ratione vaſa ſpermatica involventem proceſſum formet, clare adpareat. Pag. 35. ſqq. Similiter arterias umbilici, & urachum continentes proceſſus, commodius contemplari vix licet, quam ſi abdomine, a pectore ad umbilicum recta, ab hoc ad ſiniſtrum inguen oblique, atque a dextro ad ſiniſtrum lumbum inciſo, ſuperioribusque huius vulneris labiis reclinatis, inferiorum dextrum paullulum levatur. 38. ſqq. Deinde, quamvis villoſam inteſtinorum tunicam non tam teneram eſſe exiſtimamus, ut deſtrui aqua calida poſſit: tamen, ad eluenda inteſtina, frigida potius uti cum Caſſebohmio malimus, propter hoc, quod hæc per ſe iam flaccidos villos paullum roborat, calida contra, aut tepida, laxat, &, ſi nimis magnus gradus caloris eſt, conſtringit & ſiccat. 49. Sed inter inteſtinorum tunicas miramur eam numerari, quam Boerhaavius celluloſam Ruyſchii nominat: neque enim unquam flatum vidimus ita admittere, ut hic carneam externamque diduceret; neque in particulæ inteſtini diſſectæ, & in limpidam aquam coniectæ margine, potuimus, niſi proxime ad meſenterii adhæſionis locum, aliquam externæ carneæque tunicæ intercedentem ſubſtantiam diſtinguere. 47. 50. 62. Clarius per hoc experimentum, quam per flatum, adparent illæ ex cellulis effictæ tunicæ, quæ carneam, nervoſam, ac villoſam diſtinguunt, pariter ac illæ productiones ac plicæ, quarum illas nervoſa in tenuibus inteſtinis ad valvulas mittit, hæ, in colo cum villoſæ tunicæ plicis iunctæ, valvulas ipſas formant. 56. ſqq. 57. 63. Similiterque ileo inteſtino & colo in angulo coniunctionis ſecto, & in aquam immiſſo, adparet, qua ratione carnea, nervea, villoſaque ilei tunica, in cæcum & colon ſeſe demittens, vel potius cum iisdem horum inteſtinorum tunicis iuncta, plicam formet, quæ vulgo coli valvula nominatur. Deinde nulla videtur ad chyli receptaculum idonea materia replendum commodior via eſſe, quam, 65.

ubi

ubi inteſtina eximi debent, partem ieiuni, duodeno adhærentem, cum meſenterii particula relinquere, ibique prope arteriam venamque meſentericam ſuperiorem vas lacteum amplum quærere, quod, hydrargyro immiſſo, filo conſtringi,
Pag. 73. ac ſuper duodenum reponi debet. Neque minorem utilitatem habet illa, de ſanguine ex inciſis maioribus in ventre vaſis educendo, immittendoque vel ſpiritu vini, vel alio ad conſervandas corporis partes idoneo liquore, data regula. Maximam enim hoc ad arcendam putredinem virtutem habet. Singulorum vero viſcerum lymphatica vaſa, uno eodemque
79. modo inveſtigare licet. Quia enim, ſaltem trunci eorum, venarum truncos ſequuntur, externam, ut hoc exemplo utamur, ventriculi tunicam oportet levi plaga incidere, flatumque immittere, qui ſæpius hoc modo vas aliquod lymphaticum ſubit.
102. ſeq. Accuratiſſima porro eſt a Caſſebohmio commendata ligamen-
111. ta hepatis præparandi ratio, & lympham vehentia vaſcula, quæ circa felleam veſiculam ſunt, ſe tum potiſſimum manifeſtant, quando cyſtico ductu, alteroque ad ſiniſtrum hepatis lobum progrediente hepatici ramo compreſſo, dextri lobi ra-
115. ſeq. mus inflatur. Flatus etiam, in minorem aliquem venæ portæ ramum immiſſus, ſingulorum extrema vaſcula quaſi in glomeres convolvi oſtendit, quos acinos, vel etiam glandulas vocant, quosque celluloſa capſulæ Gliſſonianæ ſubſtantia ambit.
116. Quam cum æque ac ipſos acinos a flatu interdum rumpi, Caſſebohmius fateatur, hoc male cedens experimentum non improbabile eſt, de folliculoſis glandulis in hepate occurren-
150. ſeqq. tibus, opinioni occaſionem dediſſe. Hactenus de hepate. Sed quod ad partes attinet, quæ in viris ad generationem faciunt, ut cuti in ſcroto ſubiectam ſubſtantiam non unum, ſepto in medio poſito, diſtinctum ſaccum, ſed duos, fere ut pleura in pectore, formare, oſtendi queat, cute detracta, exemtisque caute teſticulis, flatus utrinque immitti debet, quo facto ſacculi in ſepti loco, ſolis digitis a ſe invicem diduci queunt.
166. Deinde, ſi renes cum genitalibus partibus exſcindi debent, in ſiniſtro latere cavendum eſt, ne arteriæ ad renem pertinenti ſæpius ſubiectum chyli receptaculum incidatur. Atque tutius eſt,

Digitized by Google

eſt, internas externasque genitales partes in pelvi conglome- Pag. 167.
rare, ex eaque ita eximere, ut per inferiorem eius aperturam extrahantur. Ad teſtium vaſa explicanda commodiſſimum 180. ſqq.
eſt, albuginea tunica ſeparata, vaſisque maioribus reſectis, teſtem in patinam frigida aqua repletam coniicere, quæ in concalefacto cubili paulliſper tepefiat, & aliquoties agitare. Ubi igitur vaſa explicari incipiunt, ſubtili aliqua acu amplius a ſe invicem diduci debent, & teſtis in vaſe aqua pleno ſuſpendi, in qua per intervalla mutata, vaſcula partim agitatione, partim acu, tamdiu caute ſeparanda ſunt, donec explicata ad fundum usque vaſis deſcendant. Deinde, etſi alterutro 201.
ſpongioſorum corporum membri virilis inflato, hoc totum turget, ac rigidum fit, tamen transverſa membri ſectio pleroſque induxit, ut verum intercedere ſeptum exiſtimarent; quod tamen pectinis tantum ſpeciem habere potuiſſent facile intelligere, modo alterutrum ſpongioſum corpus, prope ſeptum, in longum incidiſſent. Age vero ad pectus progrediamur, 216. ſq.
quod intus duobus pleuræ ſaccis ita ſuccingi, ut, quo ſe loco ante & poſt cor contingunt, duplex ſeptum, mediaſtinum vocant, formetur, potiſſimum in pueris cerni poteſt, in quibus, coſtarum cartilaginibus diſſectis, utræque ſimul cum pectoris oſſe, a pleura ſeparari debent. Tumque utroque ſacco, in mediaſtini loco, digitis diducto, & pericardium & pulmones, exteriore pleuræ lamina, obduci adparet. Deinde 221. ſq.
ad ductum thoracicum præparandum, ſterno ablato, ſeptoque transverſo utrinque a coſtis reſecto, has ipſas oportet maximam partem forcipe tollere, dextroque pulmone ad ſiniſtrum latus reclinato, fixoque, diaphragmatis dexteriorem partem, poſt venam cavam usque ad aortam, ſimul cum mediaſtino poſtico, incidere, venamque ſine pari, quæ prope cavam venam lino conſtringi debet, ſimul cum celluloſa ductum cingente ſubſtantia, ſeparare. Poſt hæc eadem in ſiniſtro latere facienda ſunt, claviculaque ablata, axillarem & ſubclaviam venam ligari oportet, ductumque thoracicum hydrargyro impleri. Cordis vero carneæ fibræ, niſi in paullulum 245.
cocto, calenteque adhuc corde, diſtingui commode non poſ-

Digitized by Google

ſunt, in quo exteriore membrana detracta, cordeque in ſupe-
riore facie, ſecundum ſepti poſitum, inciſo, ſtrata fibrarum
ſibi invicem impoſita, in utroque ventriculo levari, ac ſepa-
Pag. 249. rari poſſunt. Cor etiam in duos muſculos dividi poteſt, quod
quam commodiſſime fit, ſi primum auriculæ, & ſacci, ut
Caſſebohmius vocat, venarum maiorum ſeparantur, deinde
corde in aquam fervidam demiſſo, arteriisque maioribus di-
ductis, baſis cordis, inter utramque arteriam, inciditur, ven-
triculique, digitis adhibitis, diducuntur; quod bene ſuccedit,
ſi in ſectionis loco, utriusque ventriculi fibræ videntur obli-
259. ſq. que ad decuſſim poſitæ eſſe. Propoſitus etiam a Caſſel n-
mio modus eſt, arterias maiores, ventriculosque, ita inciden-
di, ut eorum oſtiis adpoſitæ valvulæ integræ in conſpectum
veniant, quem tamen, quod nimis longum eſt, recenſere
309. hic non licet. Ad ductus autem a lacrimali glandula proce-
dentes conſpiciendos, neceſſe eſt palpebræ ſuperioris interio-
rem membranam tendere, ac luci exponere, prætereaque ea
deterſa, glandulam premere, ut ductus ab impulſo liquido
360. manifeſtentur. Quæ in pituitaria narium membrana glan-
dulæ ſunt, eæ nudis etiam oculis cerni poſſunt, ſi pars eius
membranæ per aliquot dies, in aqua macerata, luci exponi-
421. ſq. tur. In fine tractationis, de viſceribus aliqua, vaſa lactea in
vivo cane, vel tertia poſt paſtum hora ſtrangulato, demon-
ſtrandi ratio expoſita eſt. Oportet autem cartilagines coſta-
rum, ab infima ad ſecundam progrediendo, huiusque altitudi-
ne, os pectoris diſcindere, reclinatoque dextro pulmone me-
diaſtinum poſticum incidere, ductumque thoracicum lino
conſtringere, quod chylum cogit in lacteis meſenterii vaſis
ſubſiſtere. Ad mortuorum corpora diſſecandi artem, & vaſa
571. ſq. idonea materia replendi ars pertinet. Eaque in materiæ præ-
paratione, & corporis calefactione conſiſtit, quibus debuiſſet
etiam immittendi in vaſa modus addi. Oportet autem leviore
ignis gradu uti, neque ut coquatur in vaſa immittenda ma-
572. teria permittere. Quæ, ſi ultima vaſa immittenda, ex verni-
ce, quo pictores utuntur, parari debet, quem in morta-
rio cum cinnabari tritum, in feruente aqua calefieri oportet.
Paullo

Digitized by Google

Paullo ſpiſſior liquor ex cera alba & ſevo cervino fit, quibus
æquali fere modo mixtis, ſenſimque lento igne ſolutis, cin-
nabaris pro arteriis, viride aeris pro venis, additur. Utrique
liquori paullulum olei therebinthinæ rectificati adfunditur.
Supereſt, ut de nervorum anatome aliqua moneamus. Iſtos Pag. 617.
commode in pueris, atrophia vel hydrope mortuis, hoc
ordine ſecamus, ut ophthalmicos, & maxillares guſtatorii ra- 618.
mos, qui in facie ſunt, poſteaque ad portionem duram nervi
acuſtici pertinentes quæramus, a quibus ad cervicales, & ad
par vagum & intercoſtale progrediendum eſt, ultimoque loco
in extremarum partium nervos inquirendum. Hactenus de
ſecandi arte. Ex deſcriptionibus vero partium, ut plures no-
væ & accuratiſſimæ ſint, tamen nonnullæ etiam vel parum
claræ ſunt, vel ab aliorum noſtriſque obſervationibus diſcre-
pantes. Huius generis illa lineæ abdominis albæ eſt, quæ 14.
infra umbilicum multo latior eſſe dicitur; niſi Caſſebohmius
per lineam albam, eam aponeuroſeon partem intellexit, in
qua ſe earum fibræ decuſſant. Recte contra oſtenditur cauſſa, 20.
cur Garengeotus, aliique, iliaca vaſa, ſub ligamento Fallopii,
tamquam ſub arcu, aut plane tamquam per annulum, ad femur
deſcendere dixerunt. Nam tum demum arcui annulove ali-
quid ſimile adparet, ubi faſcia lata præciſa fuit, quæ ligamen-
tum Fallopii quaſi retinet, vaſiſque ſub eo tranſeuntibus ad-
primit. Ileum vero, ieiunumque inteſtinum, metuimus, ne 43.
male aliquis ita per rubedinem diſtinguat, ut magis rubens
ileum eſſe exiſtimet, ſiquidem iniectiones ſaltem maiorem
vaſorum numerum in ieiuno, quam in ileo eſſe, oſtendunt.
In colo hic quoque ligamentorum uſus eſſe dicitur, ut valvu- 55.
larum, quas nervea & villoſa tunica format, utrinque cornua
firment. In ventriculo etiam ligamentum eſt, quod cornu- 77.
bus ſuis, a maiori curvatura, per utramque ventriculi faciem,
ad minorem curvaturam procedit, quodque Williſii antrum,
ventriculumque ipſum diſtinguit. Ubi ad hepar ventum eſt, 112.
multa de ſinu venæ portæ proferuntur; præterquam quod de
modo, ipſum a ſiniſtro venæ portæ hepaticæ ramo diſtinguen-
di, a quo nempe diverſus non eſt, aliquid additum fuerit.

Digitized by Google

Pag. 117. Neque parum veremur, ut Lectoribus probari id poſſit, quod
Caſſebohmius de valvulis dixit, quæ ſanguini acrive aditum
ex vena cava in canalem venoſum, ex vena portæ in umbilici
121. venam, præcludant. Contra, veriſſima eſt tunicarum veſiculæ
felleæ deſcriptio, quarum ut in homine carnea deeſt, ita con-
tra nervea villoſa ſuccingitur, quæ reticuli formam habet.
137. Lubenter etiam Caſſebohmio accederemus in eo, quod de re-
num tunica, non niſi poſt longam macerationem in duas la-
minas dividenda, & cum ſubſtantia viſceris arcte connexa,
protulit; niſi in omnibus exemplis contrarium experti eſſe-
157. mus. Neque aliter cum illo ſepto comparatum eſt, quod ut
alii fere omnes, ſic etiam Caſſebohmius, a proceſſu perito-
næi; ſuper teſticulo formari dixit. Nam quæ ab eodem pro-
ceſſu formari exiſtimatur, vaginalis teſticulorum tunica, non
aliter ſe ad albugineam eorundem tunicam, quam pleuræ dex-
terior ſaccus, ad eiusdem lateris pulmonum tunicam habet:
ex quo, ad quam partem id ſeptum pertineat, manifeſtum eſt.
160. Nimium quoque videtur id eſſe, quod auctor de glandulis
Cowperi ait, fuiſſe a ſe in ducentis exemplis bis circiter viſas.
171. Magis contra cum obſervationibus noſtris ureterum deſcriptio
convenit, ſiquidem eos ſemper carneis fibris deſtitui; intus
autem ſubtili aliqua, & villoſæ non abſimili tunica, ſuccingi
173. vidimus. Neque fere alius ſtructuræ ea eſt, quæ nerveam ve-
ſicæ tunicam ſuccingit, cuius præterea ſphincterem Caſſeboh-
174. 187. mius vult ab illis ſphincteris ani fibris formari, quibus apud
Santorinum Obſ. Anat. Tab. III. Fig. V. lit. F. aut G. in-
176. ſcripta eſt. Deinde in ano, interioris tunicæ cellulæ, non mo-
do deſunt interdum, & utplurimum parum manifeſtæ ſunt,
verum etiam propemodum ſemper nobis plicarum potius,
quam cellularum aut valvularum formam habere viſæ ſunt.
186. 189. Neque unquam recordamur aliquid canali ſimile vidiſſe, quod
veſicæ ac proſtatæ intercedat, & colli veſicæ nomen mereatur.
214. Novum etiam nobis ligamentum eſt, quod ſiniſtri pulmonis
inferiorem lobum cum diaphragmate nectat, neque videtur
nobis mediaſtinum poſticum pulmonum potius, quam cordis
ligamentum dici poſſe, per quod hæ partes vertebris dorſi
adli-

Digitized by Google

adligentur. Tumque, etſi venam cavam, quo loco cum au-
ricula committitur, ſaccum formare concedimus: tamen is
numquam viſus eſt cum pericardio cohærere. Neque ea fortaſ-
ſis lectoribus probabuntur, quæ de pericardii fabrica, & bron-
chialibus glandulis, tamquam liquoris pericardii fontibus, pro-
lata ſunt, & in quibus Caſſebohmius Lanciſium ſequutus eſt.
Vero contra abſimile non eſt, quod in ſtomachi deſcriptione, Pag. 231.
ad villoſam tunicam, cum nervea per celluloſam ſubſtantiam
connexam, pertinet; ſaltem veroſimilius eo eſt, quod de ar- 258.
teriarum coronariarum oſtiis dictum fuit, ita poſt medias aor-
tæ valvulas patere, ut ab his claudi poſſint. Nondum vero 315.
examinare licuit de nervo optico obſervationem, quaſi ita cum
oculo committatur, ut, ſi eius globus per medium nervum
dividatur, quemadmodum interius hæmiſphærium, ſic quoque
inferius minus ſit. Neque unquam venam duræ matris præ- 340.
cipuam ad ſuperiorem oſſis petroſi ſinum deductam, glan- 357.
dulaſque illius membranæ, vidimus, quæ ſinus frontales ſuc-
cingit: & quamquam Highmori antrum duobus interdum 358.
vel tribus locis a narium patere vidimus, longe tamen fre-
quentius unica eius tantum apertura eſt. Similiter in recens 388. 404.
natis puellis ſemper adhuc hymena, etſi interdum anguſtio-
rem, inveniſſe meminimus. Nolimus etiam cum Caſſeboh- 402.
mio corpus, ut vocat, urethræ, cum proſtata Bartholini, in
feminis confundere; ovarii ligamentum pro plica ligamenti 406.
lati habere; & trochleam obliqui maioris muſculi annulum 441.
cartilagineum nominare, ſiquidem ligamentum eſt, quod
fundæ formam habet, cui, lapilli loco, cartilaginea lamina im-
poſita eſt, ſuper qua tendo obliqui moveatur. Præter hæc, 451.
ut pericranium cum ligamento capſulari maxillæ inferioris co-
hæreat, quod negari non poteſt: vix tamen hoc a pericranio
formari dixerimus. Tandem muſculi palatini, qui velum 490.
ipſum formare debet, clarior, quam data fuit, deſcriptio deſi-
deratur: de qua parte, pariter ac de reliquis fere omnibus,
nobis probabiliter clarius conſtaret, quæ Caſſebohmio mens
fuerit, ſi ipſe potuiſſet ultimam huic opuſculo manum ad-
movere.

Abhandlung des Herrn von Haller, von den empfindlichen und reizbaren Theilen des menſchlichen Leibes, ꝛc.

i. e.

HALLERI DISSERTATIO DE PARTIBUS humani corporis ſenſibilibus & irritabilibus, germanice verſa, & cenſuræ ſubiecta a CAROLO CHRISTIANO KRAUSE, Phil. & Med. Doctore in Univerſitate Lipſienſi.

Lipſiæ apud C. L. Iacobi, plag. 12½. in 4.

Diſſertatio ILLVSTRIS HALLERI, quæ Cl. Interpretis opera germanice reddita eſt, usque adeo nota, & apud omnes eruditos pervulgata eſt, ut de eius argumento iam prolixius dicere opus non ſit. Huic autem ſcripto iuncta ſunt non ſolum duo alia minora eiusdem Illuſtris Viri ſcripta, quorum altero obiectiones illæ, quas Cl. LE CAT Viro Illuſtri obiecerat, repelluntur, altero vero, quod in conſeſſu Societatis Scientiarum Regiæ Goettingenſis a. 1751. prælectum eſt, de cordis motu ab irritabilitate fibræ muſcularis repetendo agitur. Sed Cl. Interpres ſuas etiam animadverſiones, tribus ſectionibus diſtinctas, adiecit, quæ, cum fere meras obſervationes ſingulares contineant, non ſenſim, ſed curſim a nobis exponendæ ſunt. Sectio I. continet obſervationes generales quasdam, quibus aſſeritur, ſi ſenſibilitatem partium corporis animalis per experimenta evincere vel reiicere velimus, cogitandum eſſe, ipſas ſenſiones partium ſenſibilium non ſolum debilitari, ſed plane impediri, ſi aut pars ipſa vinciendo, aut eius cum cerebro nexus, aut cerebrum ipſum, principiumque ſentiens & appetens, præternaturali modo afficiatur. Hæc autem tum, cum in vivis animalibus experimenta cruenta capiuntur, non poſſe non fieri, dubitare neminem credimus; quare nec argumenta ex ipſis his experimentis, ſine metu errandi, duci poſſe. Dicta multis firmantur exemplis & obſervationibus, ſimulque accurate oſtenditur,

cau-

Digitized by Google

cauſam corpoream ſenſationum externarum, certis quibusdam nervorum ſuccuſſionibus, certa ratione repetitis, non ſolo ſimplici aliquo motu, abſolvi; hinc doloris, quippe qui nonniſi ſenſio certo vehementiæ gradu excitata ſit, cauſam proximam non ſatis vere in ea nervoſarum partium conditione, quæ diſſolutionem minitetur, poni, ſed eandem eſſe cum modo dicta: præterea, diverſarum partium diverſam fabricam, requirere diverſam quoque cauſam doloris excitandi; hinc fieri utique poſſe, ut corporis animalis partes quædam, v. c. oſſa & ligamenta, obſcuri licet ſenſus, ſi ea cultro aut ſerra lædas, tamen tunc doleant, cum ab acribus humoribus diſtenduntur concutiunturque fibræ, quibus conſtant. His Cl. Commentator obſervationes alias addidit. Probavit nimirum, hominem variis externis internisque morbis vexatum, ob nervoſi ſyſtematis mobilitatem maiorem, peiori ceteris animalibus conditione eſſe; ipſa bruta animantia inter ſe invicem valde diſcrepare, ſi vim lædentem excipiant, &c. Hæc præmiſſa excipit Sectio II. qua de ſenſibilitate partium ſingularium agitur, oſtenditurque, perioſtium externum internumque, pericranium & duram matrem, ipſa oſſa dentesque, membranas ac ligamenta, tendines atque aponevroſes, ſenſu quodque ſuo ſingulari gaudere, tendinumque vulnera, quamquam non ſemper, ſæpe tamen, vehementioribus ſymptomatis medentes terrere. Hæc omnia exquiſitis rationibus firmantur. Ipſum cerebri corticem in animalibus læſum, vehementiores convulſiones ſemper poſt ſe traxiſſe, indeque eius exquiſitam ſenſibilitatem patere, aſſeruit ILL. HALLERVS; cui tot indubitata experimenta, in hominibus cerebro ſine convulſione valde vulneratis, & ſpongioſarum excreſcentiarum ligaturæ indolentes, opponuntur. Reliqua viſcera, non adeo acri ſenſu in ſtatu naturali pollere, fatetur Cl. Interpres: at inde ad ſtatum præternaturalem recte colligi negat, ad experientiam provocans. Glandulas, partesque glanduloſas, parum quippe nervoſas, exiguo præditas eſſe ſenſu, ſuſtinuit ILL. HALLERVS. Cl. Commentator ad glandulas inflammatas cancroſasve vehementiſſime dolentes provocat, dubitantique auctor eſt, velit glandulam

lam inflammatam aliquam cultro vel alio quovis modo lædere, ſibique omnem ſcrupulum eximere. Sectione III. dilucide demonſtratur, primo irritabilitatem nihil eſſe aliud, quam effectum ac phænomenon, maleque agere eos, qui ex ea, tanquam ex principio & cauſa, rationem motus muſcularis deducere geſtiant; deinde alias quoque partes, v. c. cutem, renes, darton, iridem, glandulas &c. quæ rudioribus illis experimentis impetitæ nihil irritabilitatis prodant, nihilo tamen ſecius pro talibus habendas eſſe, quæ fibrarum muſcularium munia obeant. Simul oſtenditur, notionem, quam ILL. HALLERVS ſibi de irritabilitate ita finxerit, ut eam ſola vi contractili contineri putaverit, ne veram quidem eſſe; non enim tantummodo contrahi fibram muſcularem irritatam, ſed eandem per vices elongari & contrahi. Hæc omnia a Cl. Commentatore ita firmantur, ut paucas has plagulas legiſſe medentium neminem poenitere poſſit.

Digitized by Google

NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipſiæ

Calendis Iulii Anno MDCCLVII.

FRANCISCI FLORENTIS, IURISCONSULti, Aurelianenſis primum, deinde Pariſienſis Anteceſſoris, Opera Iuridica &c. cura IGNATII CHRISTOPHORI LORBER a STOERCHEN, I. U. D. Eppi Bamb. Conſil. Aul. & in Acad. ea Iuris Publ. particularis & Iur. Feud. P. P. O. rel.

Noribergæ 1756. TOMUS I. 2 Alph. 16½ plag. TOMUS II. 3 Alphab. 3 plagg. in 4. mai.

Prima pars Operum complectitur Tractatus, vivo Auctore, variis temporibus editos. Præmittitur Præfatio, cui inſerta vita Florentis a Douiatio conſcripta. Natus erat Florens vergente ad finem ſeculo decimoſexto; diem obiit MDCL. Excelluit præcipue in Iure Canonico ex fontibus illuſtrando. Vitam eius *Simon* quoque conſcripſit, in Bibliotheque des Auteurs du droit T. I. & *Schurzfleiſchius* ep. art. 1. epiſt. 372. Diſſertationes ipſæ, quæ T. I. continentur, hæ ſunt. I. de origine, arte, & auctoritate Iuris Canonici. Opuſculum olim rariſſimum, quod fruſtra quæſivit Petrus a Maſtricht. II. Præfatio, in qua pleniſſime diſſeritur, tum de Methodo & Auctoritate Collectionis Gratiani, quam reliquarum omnium Collectionum Decretalium poſt Gratianum. III. Oratio, in aperiendis Scholis, de recta Iuris Canonici diſcendi ratione A. 1632. habita. IV. Tractatus IX. in IX. priores Titulos Libri I. Decretalium Gregorii IX. A. 1641. luci publicæ commendati. Inter iſtos occurrit a) Exegeſis ad Titulum I. de

Digitized by Google

Summa Trinitate, & fide Catholica: b) ad Tit. II. de Conſtitutionibus: c) ad Tit. III. de Reſcriptis: d) ad Tit. IV. de Conſuetudine: e) ad Tit. V. de Poſtulatione: f) ad Tit. VI. de Electione, & Electi poteſtate: g) ad Tit. VII. de Translatione Epiſcopi: h) ad Tit. VIII. de Uſu & auctoritate Pallii: i) ad Tit. IX. de Renunciatione. His acceſſit, k) Diſſertatio, in caput Auditis de Præſcriptionibus: l) Commentarius ad Lib. III. Decretalium, Tit. I. de vita & honeſtate clericorum: m) Præfatio de Diſpenſationibus Eccleſiaſticis: n) Diſputatio de nuptiis conſobrinorum prohibitis, aut permiſſis. Exhibetur in hac Diſſertatione locus Inſtitutionum, Titulo de Nuptiis, negative: Duorum autem fratrum vel ſororum liberi, vel fratris & ſororis, iungi *non* poſſunt. Negationem in antiquis Codicibus extare, Cuiacius in prioribus notis, Contius, Hotomanus & alii, fatentur ingenue, quæ & apud Ivonem reperitur parte 9. cap. 1. ubi Molinæus notat: Ex hoc loco reſtitui poteſt §. Duorum autem fratrum, Inſtitut. de nuptiis, qui paſſim corruptus legitur. Appendicis loco ſiſtitur Tractatus o) *Nicolai Ianuarii*, de Iure & Officio Archi-Diaconi, quod argumentum plenius tractavit Creſſius: & p) Commentatio inſignis *I. Tournet*, in doctrinam de Abſolutione ad Cautelam. Fit autem abſolutio de facto, quum excommunicatio non tenet de iure, nimirum propter cautelam vel cautionem, quam tenetur dare abſolutus de ſiſtendo iudicio, & parendo ſententiæ Epiſcopi, vel alterius excommunicatoris, & iſta cautio eſt iuratoria.

Pars II. complectitur opera in vita Auctoris adhuc inedita, ſive poſthuma, in quibus fuſe & exacte, ex certis Conciliorum, Decretalium, atque Hiſtoriarum monumentis, explicantur, quæ tum ad veterem, tum ad recentiorem Eccleſiæ univerſæ, atque inprimis Gallicanæ, diſciplinam pertinent. Et quidem I. eſt ad Gratiani Cauſæ XI. Quæſtionem I. Tractatus de Iurisdictione Eccleſiaſtica. II. agit de Statu Regularium ad Cauſas XVI. ac ſequentes Decreti. III. de antiquo iure Patronatus, & eius origine, ad Canones aliquot Cauſæ XVI. IV. de Sponſalibus & Matrimoniis, ad cauſas XXVII. & ſeqq. V. de Præbendis & dignitatibus, ad Tit. 5. Lib. III. Decretal. V. de iure

re

re Patronatus, (quod argumentum late inter noſtros tractavit *Finckelthauſius*,) ad Tit. 38. eiusd. libri. VII. de iurisdictione Eccleſiaſtica, ad Cauſ. XI. quæſt. I. VIII. de Officio iudicis delegati, ad Tit. 29. Lib. I. Decret. IX. de Officio legati, ad Tit. 30. eiusd. libri. X. de Officio iudicis ordinarii, ad Tit. 31. eiusd. libri I. Coronidis loco affigitur Commentarius in Titulos digeſtorum & Codicis, de Solutionibus & liberationibus, in quo LL. ſingulæ, erudite & eleganter, enodatis difficultatibus, enucleantur. Eſt autem hic compilatus a Nublæo ex recitationibus Auctoris, ut conſtaret, quid & quantum humeri Florentis potuerint in iure civili. Idem argumentum inter noſtros tractavit *Georgius Schultze* 1632. Wittebergæ in 12. In utroque Tomo Operum Florentis, Græcarum dictionum, & locorum ab Auctore laudatorum, interpretatio præmittitur. Opera Editoris doctiſſimi, cumulatiſſimas laudes meretur.

THESAURUS RERUM SUEVICARUM, SEU Diſſertationum ſelectarum VOLUMEN I. de Natalibus, Migrationibus, Bellis ac Fatis vetuſtiſſimæ Gentis Suevicæ, cum Præfatione & Bibliotheca Scriptorum rerum Suevicarum, cura & ſtudio IO. REINHARDI WEGELINI, Conſ. & Syndici Primarii in Libera S. R. I. Civitate Lindavienſi.

Lindaviæ 1756. 3 Alphab. 20 plagg. Duern. in Fol.

Commendatur in Præfatione dignitas gentis Suevicæ, & ſtudium Ampliſſ. Editoris, in ſeligendis his Diſſertationibus poſitum. Sequitur Bibliotheca Scriptorum rerum Suevicarum auctior & emendatior, ad medium usque ſeculi XVIII. perducta. Recenſentur autem in *Sectione prima,* quæ inſcribitur de Suevia antiqua, ſive libera, primo (p. 1.) Scriptores Græci & Romani; quos excipiunt (pag. 3.) Scriptores Germani. *Sectio II.* Sueviam Francicam continet (p. 12.). *Sectione III.* Suevia ſub Ducibus colluſtratur (p. 16.). *Sectione IV.* Suevia, extincto Ducatu, in varios Status & Reſpublicas diviſa dilucidatur (p. 25.). Succedunt Scriptores de Confoederationibus Suevicis (p. 27.), de bellis Suevicis (p. 29.), de re-

bus religionis cauſa in Suevia geſtis (p. 30.), & de rebus Auſtriacis in terris Sueviæ (p. 32.). *Sectio V.* Scriptores rerum ac iurium ſingularium in Suevia complectitur, & nominatim agit de Landvogtia Imperiali, & de iudicio Provinciali Cæſ. *auf Leutkircher Hayd und in der Pirs* (p. 33.); de iudicio Rothwilenſi (p. 37.); de Speculo iuris Provincialis & Feudalis Suevico, vulgo *Schwaben-Spiegel* (p. 39.). Quibus adiiciuntur Scriptores de aliis rebus ac iuribus ſingularibus in Suevia (p. 40.), de rebus Circularibus in Suevia (p. 42.), Scripta, Directorium Circulare concernentia (ib.), de re Matriculari Circuli Suevici (p. 44.), Ius præſentandi Aſſeſſorem Cameræ Imperialis A.C. concernentia (p. 45.), Scripta Polemica inter Status Circuli & Ordinem Equeſtrem in Suevia (p. 46.), & Scripta Polemica inter Sereniſſ. Würtemb. Ducem, & Liberam S. R. I. Nobilitatem in Suevia (p. 48.). *Sectione VI.* exhibentur Scriptores rerum S. R. I. Statuum in Suevia. Caput I. inſcribitur de Rebus Statuum in communi (p. 51.): Caput II. autem ad res Statuum Eccleſiaſticorum, aliorumque monaſteriorum in Suevia, refertur. Prodit hic primum Epiſcopatus Conſtantienſis (p. 59.), cui ſuccenturiantur Epiſcopatus Auguſtanus (p. 81.), Abbatia Campidunenſis (p. 62.), Præpoſitura Elwangenſis (p. 64.), Abbatia Lindavienſis, Buchaugienſis, & Salemitana (p. 65.), Abbatia Weingartenſis, & Abbatia Ochſenhauſen (p. 67.), Abbatia Elchingenſis, Irſingenſis, & Urſpergenſis (p. 68.), Abbatiæ Roggenburgenſis & Rodenſis, vulgo *Münchroth* (p. 69.), Augia Alba, Weiſſenau, vulgo Augia minor, Minderau (ib.), Abbatia Sorethana, ſeu Schuſſenriedenſis (p. 70.), Abbatia Marchthalenſis & Petershuſana (p. 71.), Abbatia Wettenhuſana, Zwifaltenſis, & Gengenbach (p. 72.), Abbatia Hegbachenſis, & Gutencellenſis (p. 73.), Abbatia Rotmonaſterienſis, & Baindenſis (p. 74.). Tractatur deinceps de aliis Abbatiis ſeu Monaſteriis in Suevia: nominatim de Augia divite, vulgo Reichenau (p. 75.), de Augia maiore, vulgo Mehrerau, de Monaſterio San Blaſiano in ſylva nigra, Buxheim, Creutzlingen (p. 76.), de Monaſterio S. Galli, & S. Georgii in Iſna (p. 77.), de Monaſterio Ottenburano (p. 78.), de Monaſterio SS. Udalrici & Afræ in Aug. Vind. & Coenobio

Ur-

Digitized by Google

Urſpringenſi (p. 79.), de Monaſterio denique Wiblingenſi (p. 80.). Iſtis accedunt Monaſteria, ſeu Stipendia Theologica illuſtria Ducatus Würtembergici (ib.). Caput III. enarrat res Statuum Secularium, præprimis S. R. I. Principum ac Comitum in Suevia. Nominantur primo loco Scriptores de rebus Würtembergicis (p. 82.), tum ii de rebus Badenſibus (p. 87.), porro ii de rebus Zolleranis (p. 89.), de rebus Auerspergenſibus (p. 91.), de rebus Fürſtenbergicis (ib.), de rebus Oettingenſibus (p. 93.), de rebus Schwartzenbergicis (p. 95.), & de rebus Lichtenſteiniorum (p. 96.). Anneſtuntur his res S. R. I. Comitum in Suevia. Hi ſunt Alſchauſen: Oettingen Wallerſtein, Spilberg, & Baldern: Fürſtenberg Moeskirch, Baar, & Kitzinger-Thal: Wieſenſteig: Montfort (p. 97.): Truchſeſs de Waldburg (p. 95.): Koenigseck Aulendorf, & Rothenfels (p. 99.): Mindelheim (p. 100.): Eberſtein: Fugger: (p. 101.) Hohen-Embs (103.): Vaduz: Rechberg (104.): Juſtingen, Bondorff, Egloff (105.): Thanhauſen, Geroltzeck (106.): Eglingen (107.). Capite IV. res Liberarum S. R. I. aliarumque Civitatum municipalium, in Suevia, colliguntur. Hæ ſunt: Auguſta Vindelicorum (p. 108.), Ulma (110.), Eſslinga (113.), Reutlinga, Nordlinga (115.), Hala Suevorum (117.), Uberlinga ſeu Iburinga (118.), Rottwila, Heilbronna (119.), Gemunda Suevorum (120.), Memminga (121.), Lindavia (122.), Dunckelsbühla (129.), Biberacum (ib.), Ravensburgum (131.), Campodunum, Kauffbura (132.), Wila, Wangena, Iſna (134.), Leutkircha (135.), Wimpina (136.), Gienga, Pfullendorffium (137.), Buchornia, Ala (p. 138.), Bopfinga, Buchavia, Offenburgum (139.), Gengenbacum, Zella (140.). Municipales autem: Brigantia, Briſacum, Burgovia (141.), Conſtantia (142.), Dillinga, Donawerda (143.), Feldkirch (144.), Friburgum, Mersburgum, Mindelheim, Nellenburgum (145.), Pludenz (146.), adducuntur; cum ſylvaticis urbibus, Rheinfelden, Seckingen, Lauffenburg, Waldshut (146.), & Villinga (147.). Superſunt duæ Sectiones, ſeptima & octava: quarum illa ad Lib. S. R. I. Nobilitatem in Suevia; hæc ad Sueviam litterariam, pertinet. Quibus omnibus ſup-

Digitized by Google

plementum ſubiicitur Scriptt. rer. Suevicar.) 160.). Diſſertationes ipſæ, quæ poſthæc huic volumini primo inſeruntur, hæ ſunt:

I. De Natalibus Suevorum, habita a *Io. Chriſtoph. Krafft*, ſub præſidio *Io. Petri Milleri*, Ulmæ 1752.

II. Origines Alamannicæ *Io. Georg. Wachteri.*

III. De Originibus & incrementis vetuſtiſſimæ gentis Suevicæ, *Io. Chriſtoph. Artopoei*, Reſpondente *Guſtav. Herrenſchmidt*, Ulmenſi 1692.

IV. De Alemannorum Populo, *Io. Nic. Hertii.*

V. Alemannicæ Antiquitates *Io. Daniel. Schoepflini.*

VI. Notitia Sueviæ Antiquæ, Diſſ. a *Io. Caſp. Brechenmachero*, ſub Præſidio *B. G. Struvii* habita.

VII. Regna gentesque in Europa Principes ex Suevis, Præſide *Io. Ulr. Pregizero*, & Reſpond. *Wolfg. Iac. Forſtnero.*

VIII. Gentium & Regnorum Europæ ex Suevis Continuatio, Præſide eodem *Pregizero*, & Reſpondente *Philippo Henrico a Golniz in Waldenſtein.*

IX. Antiquitates lacus Bodamici, Auctore *M. Georg. Iac. Mellin*, ſub Præſidio *Caſp. Sagittarii* habita.

X. De viis militaribus Romanorum in veteri Germania per Rhætiam, Vindeliciam, &c. *Adriani Stegeri.*

XI. De Claudii Druſi Expeditionibus, maxime Germanicis, in Rhætos, Vindelicos, Suevos, Præſide *Chriſtoph. Cellario*, & Reſpondente *And. Iul. Dornmeyer.*

XII. De Suevia profana olim Deorum cultrice, Oratio *Io. Iac. Mulleri.*

XIII. De Suevia gentili *M. Georg. Iac. Mellini.*

XIV. De Iſide Suevis olim culta, *Io. Gottlob Boehmii.*

XV. *Ei.* de Iſide Suevis olim culta, Exercitatio poſterior.

Etſi nullum eſt dubium, diligentem hanc Rerum Suevicarum collectionem, gratam Hiſtoriarum amatoribus futuram atque acceptiſſimam, propterea, quod non ſolum concinno ordine diſpoſita ſunt, quæ ad res Suevicas pertinent, ſed etiam multa in lucem proferuntur iterum, quæ fruſtra apud librarios quærebantur: ſunt tamen aliqua, quæ monere, pace Editoris celeberrimi, liceat. Primum iſtud eſt, quod pagi-

narum

narum inſcriptiones, (Columnarum titulos Typographi nominant,) numero diſſertationis, non autem, uti oportebat, commodo legentium, diſſertationis argumento, ſignatæ ſunt: quo iſtud evenit, ut perpetuo ſit ad prævium diſſertationum indicem recurrendum, ſi qualem, cuiusve libellum legas, ſcire velis. Deinde, difficulter, ſine Indice, quænam res, quo loco quærendæ ſint, intelligi credimus. Iſtiusmodi enim repertorium, quale hic Theſaurus futurus eſt, vix a quoquam a capite ad calcem perlegetur, ſed, data occaſione, conſuletur tantum; ut igitur facile appareat, quam grave futurum ſit quærentibus, quod quæſierint reperire ſine indice. Sed tenuia hæc, nihil officiunt ipſi Collectionis præſtantiæ, quam vehementer optamus non interrupta ſerie procedere.

DISPUTATIONES CHIRURGICÆ SELECTÆ, collegit, edidit, præfatus eſt, ALBERTUS HALLERUS. TOMUS V.

Lauſannæ 1756. Alph. 3. plag. 15. cum Tabul. æneis XIII. in 4.

PARS SEXTA.

VULNERA.

CXXIV.

Lethalitas per accidens, Præſide BURC. DAVID. MAUCHART. Reſp. *Philip. Sigismund. Palm,* Tubingæ 16. Sept. 1750.

Vulnerum notio laxa eſt, ut illa omnes læſiones in ſe comprehendat, quando de eorum cenſura in foro criminali ſermo eſt. Hæc, ſi hominem occidiſſe dicuntur, ut occiſori debita poena ſtatui poſſit, vario reſpectu conſiderari ſolent. Cum enim aggreſſor, non plus teneatur luere, quam commiſit, opus eſt ſcire, an vulnus ab eo inflictum ſola & unica mortis cauſa fuerit, an vero intervenerint aliæ, pro quibus delinquens reſpondere haud debeat. Abinde factum eſt, ut, excuſandi vel puniendi homicidii cauſa, vulnus aliud diceretur lethale ex neceſſitate, aliud tale, quod

quod potuiſſet ſanari, niſi vel ex errore medentium, vel ex intemperantia vulnerati, vel ex morbo novo ſuperveniente, ordo naturæ inverſus fuiſſet.

CXXV.

Virginis per viginti ſeptem annos ventriculum perforatum habentis hiſtoria & ſectio, Auctore CHRISTIANO WENCKER, Nerolingenſi. Argentorati 17. April. 1743.

Virgo aliqua, cum ſub epigaſtrio ſiniſtro abſceſſum, quacunque de cauſa, occultum aliquem aluiſſet, tandem, ſub corporis vehementiore agitatione, eundem habuit ruptum, ex quo, cum contenta ventriculi effluerent, ulcus ad ipſum ventriculum tranſiiſſe intellectum eſt, quod apertum ſervare naturæ commodum viſum fuit. Erat enim ventriculus oſtio vulneris externo iunctus, ſed nil quidquam mutationis in ſuo propterea patiebatur officio, quin potius eſuritie laborabat mulier. Per ulcus aliquando effluxerunt menſtrua; illud ſphinctere clauſum fuit, ut ani veluti referret ſpeciem, per cuius ſinum, admota candela, rugæ ventriculi conſpici potuerunt. Reſtitit mulier huic malo annos XXV, tandemque febre lenta conſumta interiit.

CXXVI.

Hiſtoria & cura bubonis inguinalis, cum perforatione inteſtini, & eruptione lumbricorum, Præſide CHRISTIANO VATER. Reſp. *Guſtavo Proſpero Iuch.* Wittemberg. 1693. Menſ. Martio.

Quo ſervetur æger, vis vitæ, aliquando nova, & miraculis ſimilia, machinatur. Exemplo eſt Inteſtinum ſub hernia a gangræna devoratum, atque a bubone inguinali profundius ſerpente deſtructum. Namque cum his modis patefactus tubus inteſtinalis eſt, fluit merda, inteſtinum putredine abſumitur: ſed natura, arte doctior, per hanc tamen adiuta, tubo patenti conficit operculum, ut, dummodo ille ad meſenterium usque ablatus non ſit, ſed partim tantummodo corruptus,

novo

Digitized by Google

novo & adſcititio pariete claudi poſſit, & continuus hinc ſecum verſus cloacam ventris progreſſus reſtituatur.

CXXVII.

De ſpica deglutita, & per apoſtema hypochondrii dextri reiecta, Præſide CAROLO FRID. LVTHER. Reſp. *Ioachimo Dolge*, Kil. Holſt. Kiloniæ, 19 Iulii 1704.

Puer, cum ſociis ludens, ſpicam hordei polyſtichi ore detentam deglutiverat, &, quamvis non leves, ab offenſione glumarum, dolores perciperet, ſuam tamen calamitatem reticuit. Factum igitur haud longo poſt tempore eſt, ut, en avtocratiæ naturæ argumentum! ventriculus, ab irritamento iſthoc inflammatus, propius ad integumenta, muſculos ſcilicet, qui pone hepar ſunt, accederet, iisdem adhæreſceret, motoque abſceſſu, perforaretur ita, ut ſpica antea deglutita ex ulcere evulſa procederet.

CXXVIII.

Vulnerum in inteſtinis lethalitas, occaſione caſus rariſſimi, quo colon vulneratum inverſum per XIV. annos ex abdomine propendens exhibetur. Præſide ABRAHAMO VATER. Reſp. *I. Reichard Tieffenbach*, Magdeburgenſi. Wittembergæ. Decembr. 1720.

Si quando inteſtinum, quodcunque ſit, vel tenue vel craſſum, toto ſuo tubo diſſectum eſt, ut homo vivere poſſit, opus eſt, ut inferior ora deligetur, & penitus cicatrice claudatur, ſuperior in externum vulnus adducatur, eidem adglutinetur, atque ſic anus veluti artificialis elaboretur. Hoc ita cum Colo ſiniſteriore militis factum eſt. Namque cum illud diſſectum eſſet, chirurgus ſuperiorem eius partem ita in vulnus externum collocavit & firmavit, ut ab eo tempore feriaretur anus, & merdum per vulnus efflueret. Hac occaſione de poſſibilitate, etiam graviſſima inteſtinorum vulnera ſanandi, deque illorum lethalitate ſaltem per accidens tali, diſſeritur.

Digitized by Google

CXXIX.

Quæſtio Medico-chirurgica, quam Præſide M. FRANCISCO MERY, proponebat *Adrianus Malaval,* Baccalaur. Pariſienſ. 1734. An tenuium inteſtinorum vulnus lethale?

Hippocrates vulnera inteſtinorum tenuium omnia lethifera eſſe pronuntiavit; ſed uſus artis, poſt illa tempora, modos oſtendit, quibus ſervari vulnerati eiusmodi poſſint, dummodo contenta inteſtinorum in cavum abdominis penitus haud effluxerint. Namque, ſi maturum auxilium eſt, rationibus antea adductis, fecibus ad exteriora per vulnus abdominis parari via poteſt, ſi ſcilicet tubus totus diſciſſus fuit, quem tamen, ſi ad longitudinem ſectus eſt, ſuimus, & externo vulneri, ſecuritatis cauſa, eundem adglutinamus.

CXXX.

De vulnere hepatis curato, cum diſquiſitione in lethalitatem vulnerum hepatis. Præſide CAR. FRID. KALTSCHMIDT. Reſp. *Adamo Ioanne Wedekind.* Ienæ 23. Novemb. 1735.

Ita quoque omnia hepatis vulnera ſanationem haud excludunt, etiamſi periculi fuerint pleniſſima. Namque, ſi ſumma ſaltem huius viſceris ora tacta inſtrumento fuit, & ita, ut tamen ſalva ſint maiora eius vaſa, tunc dubium non eſt, coire vulnus poſſe, ſi chirurgus ſuo ſatisfacit officio. Præſens caſus ſiſtit vulnus, quod ſub Xiphoidea epigaſtrii cartilagine ingreſſum eſt, & muſculos omnes patefecit, atque ligamentum rotundum hepatis abſtulit, ipſiusque iecinoris ſuperficiem vitiavit, permiſit tamen ſeſe glutinari, etiamſi hæmorrhagia eſſet magna, & ſymptomata occurrerent illa, quæ ex conſenſu huius viſceris cum diaphragmate non poſſunt non oriri. Hac occaſione de vulneribus viarum biliferarum una differitur, atque impune cyſtidem vulnerari poſſe, oſtenditur inde, quod bilis bona de vulnere effluens in cavum, a putredine immunis eſt.

CXXXI.

Digitized by Google

CXXXI.

Diſſertatio exhibens uterum gravidæ una cum foetu vulneratum, Auctore I. MARTINO REICHARD. Argentor. 1735. M. Auguſt.

Novum, & fere inauditum eſt, embryonem cum gravida matre vulnerari una poſſe, utriſque ſervatis. Mater, cum ſclopeto minore, globulis plumbeis minutis farcto, ferita eſſet, aliquem ex globulis imo ventre ſuſcepit: deinde peperit, & globulus, una cum parte induſii, quo venter gravidæ coopertus fuerat, ad claviculam dextram foetus ſubſidiſſe deprehenſus eſt. Sanatus infans, poſt partum, ex vulnere non admodum alto, fuit. Maius diſcrimen mater ſubiit; namque & ante, quam pareret, & poſtea, vomitibus, anxietatibus, & febribus varii ſchematis tantum non extrema paſſa fuit, tandemque convaluit. Subit autem animum mirari, qui factum fuerit, ut hæmorrhagia lethalis evitari poſſet, percuſſo viſcere, in quo, ſub graviditatis ſtatu, multa & magna & diſtenta, & varicoſa vaſa occurrunt. Sed, præter caſum felicem, id utero huic gravido accidit, quod ſub ſumma ſua expanſione, mater enim prope ad partus terminum conſtituta erat, ille prope eſſet ad muſculos ventris, per quorum vulnus, & natum abinde ulcus, humor effundi, & arte cohiberi potuit. Poſtquam uterus in ſe reverſus eſt, puerpera diu ſervata catamenia effudit.

CXXXII.

Diſſertatio chirurgica, de arteriæ cruralis vulnere periculoſiſſimo feliciter ſanato. Præſide LAVRENTIO HEISTERO, proponebat *Ioa. Andreas Reinig*, Magdeburgenſis. Helmſtad. 22. Decembr. 1741.

Arteriæ ex maioribus, cum vulnus acceperunt, pulſu continuante, ſanguinis rivos perpetuos evomunt, nec ſinunt ſeſe faciliter contineri, & extrema tentanda ſunt auxilia, ut æger ſervetur, amputatis articulis, quos arteria nutriebat, utpote gangrænam, ex alimoniæ defectu, effugere non

valentibus. Cum ergo æger vulnus arteriæ, quæ ſub poplite eſt, accepiſſet, videbatur crus ſimiliter amputandum eſſe. Sed peritus artifex, cum in mente haberet, vulnus arteriæ non transverſum, ſed longum eſſe, tentavit mitiora, & ſplenioliis ad latus poſitis arteriam debilitavit, torcular inguini applicatum habuit laxius adſtrictum, itaque effecit, ut crus ſervaretur, & grave vulnus ſanaretur.

CXXXIII.

Quæſtio medico-chirurgica. Præſide M. ANTON. NICOL. GUENAULT. Reſp. *Urbano Vandeneſſe*, Bacc. An vulnerata crurali arteria ab amputatione auſpicandum? Pariſiis 1. Martii 1742.

CXXXIV.

Quæſtio medico-chirurgica. Præſide M. THOMA RENATO GAGNIER. Reſpond. *Lud. Florentio Bellot*, Baccal. Pariſ. Pariſiis 13. April. 1734. An in artuum exciſione tutius a ligatura, quam ab alia compreſſionis ſpecie ſiſtitur ſanguis?

In his quæſtionibus, nec feſtinandum amputationibus ubique eſſe, nec ligandas ſtatim arterias, præcipitur, niſi totæ præſectæ fuerint; quandoquidem compreſſionibus lateralibus cohiberi graviſſimæ ſanguinis fluxiones poſſint.

CXXXV.

Quæſtio medico-chirurgica. Præſide CLAUD. ANTONIO RENARD, Reſp. *Lud. Petr. Felice Ren. le Thieullier*, Pariſ. Baccal. Pariſiis 24. Febr. 1752. An ad ſiſtendam membrorum reſciſſioni ſupervenientem hæmorrhagiam, detur artificium tutius vaſorum ligatura?

Eadem hic proponuntur. Damnantur ligaturæ, cum ſufficiat ſæpe reſiſtentias oppoſuiſſe niſibus arteriarum vulneratarum, & maſſam humorum imminuiſſe venæ ſectionibus. Damnantur adſtringentia, comprimentia, urentia, & fungi adſtrictorii, qualis vel pulverulentus, vel ille eſt, ex Agaricis, quer-

Digitized by Google

quernus, pedis equini facie. Quis enim vaſis intra pulmonem ruptis ligaturas parat, aut adſtringentia applicat? cum tamen hæc, ſolo grumo ipſius ſanguinis ſui effuſi, & venæ ſectionis uſu repetito, convaleſcant.

CXXXVI.

Quæſtio medico-chirurgica. Præſide M. IOA. HERMENT, Medico Regis ordinario. Reſp. *Paulo le Roy*, Aureliano Baccal. Auctore, Pariſiis 27. April. 1752. Utrum in arteriarum vulneribus tutum hæmorrhagiæ ſiſtendæ auxilium, Fungus maximus, rotundus, pulverulentus, Iohannis Bauhini?

Ligaturæ magnarum arteriarum, niſi habeant ſatellites aut collaterales, exitium intendunt partibus, ad quas feruntur, quas ſatius eſt abſcindere. Habent quidem arteriæ, & cruralis & brachialis, quandoque collegas, namque ex uno trunco, utrinque aliquando adeſſe deprehenduntur geminæ; ſed quis fidem dederit hoc ita eſſe? Ideoque videndum, an compreſſionibus lateralibus effici poſſit id, quod ligatura ſub finem, ſi aliud adminiculum præſto haud eſt, effici debet, tentatis antea remediis ſecurioribus. In his præ ceteris laudatur virtus Fungi cuiusdam, a Bauhino deſcripti, tanquam auxilium omnes hucusque ſanguinem ſiſtendi methodos ſtupenda efficacia antecellens.

CXXXVII.

AVGVST. FRIDER. WALTHERI Programma, de Anevriſmate. Lipſ. 1738.

Vir oneribus geſtandis adſuetus, cum aortam prope exitum dilatatam aliquandiu ante habuiſſet, ſubito corruit, eſtque viſus apoplexia abreptus eſſe. Hic diſſectus, oſtendit arteriam magnam in tuberculum extenſam, ſenſim extenuatam, tandemque ruptam. Erat ergo anevriſma verum, qualia & alibi occurrunt. FREINDIVS autem, alia, quam ex vulneratis ruptisque arteriis, anevriſmata eſſe negat. Hunc ſola experientia confutat. Interea dantur ecchymoſes, & ſanguinei

tumores nati intra telam cellularem, in quam cruor ex vulnere arteriæ fuſus fuit, qui derepente ſurgunt, quando vera arteriæ dilatatio incrementum habet lentum, & tumorem rotundum, qui in altera ſpecie latus eſt & inæqualis.

CXXXIIX.

De ſtupendo Anevriſmate in brachio, feliciter per operationem curato, Diſputatio, Præſide HERM. FRID. TEICHMEYER. Reſpond. Auctore *Nathan. Theophilo Emrich*, Vratislavienſi, Ienæ 1734. M. Martio.

Non ſemper opus eſt, ut exſcindatur arteria, quam lanceola chirurgi venam incidentis vulneravit. Eſt enim vulnus longum, cuius oræ coire & contineri poſſunt. Hanc encheireſin feliciter executus eſt artifex, docuitque, eidem præcepto in chirurgicis haud ſemper adhærendum, ſed conſilia ad caſuum indolem accommodanda eſſe. Igitur tumorem aperuit, ſemovit polypoſam e ſanguine grumoſo concretam materiam, cuius pars vulnuſculum clauſerat: deinde vitrioli fruſtulum appoſuit vulneri, cum charta maſticata, & faſcias circumduxit, relicto torculari ad truncum arteriæ brachialis, ut ſanguinem ſiſtendi ſemper præſto eſſet opportunitas. Id quod bene conſultum fuit. Namque, cum vis ſanguinis obſtacula poſita removiſſet, & hæmorrhagia recruduiſſet, ad laborem revertendum fuit, quem Vir peritiſſimus efficacioris ſtyptici uſu perfecit, docuitque, manente arteria, anevriſma tamen ſanari poſſe.

CXXXIX.

Quæſtio medico-chirurgica, Præſide M. IACOBO ALBERTO HAZON, Reſp. *Franciſco Thierry*, Tullenſi. Pariſ. 5 Febr. 1750. An tutior faciliorque vulgari detur anevriſmatis chirurgica curatio?

Id ipſum fieri oportere, hac ſcriptione docetur, ne ſtatim arteriam, quæ vulnus habet, ſibi exſcindendam eſſe chirurgus putet. Quodſi autem arteria transverſim ſecta fuit, ut contineri appoſitis ad latus ſpleniolis nequeat, & cum illa

malo

Digitized by Google

malo humore eroſa fuit, ut ſervari haud poſſit, ſane exſcindenda eſt, poſſuntque partes infra vulnus arteriæ nutrire laterales, maxime ſi non tam truncus arteriæ brachialis, quam ſaltem altera ex duabus eius propaginibus, *Anconaea* ſcilicet, vel *Radiaea* arteria, læſa fuit; tunc enim dubium non eſt, alteram alteri ſuppetias ferre, quo nutriatur inferior articulus, etiamſi illi altera ex maioribus iſtis arteriis deſit.

CXL.

De nova brachium amputandi ratione, Diſputatio. Præſide EL. FRID. HEISTER. Reſpondit *Rudolph. Henr. Zeidler*, Verdenſis. Helmſt. 21. Mart. 1739.

Humerum ex ſua cum ſcapulæ acetabulo enarthroſi exſcindi poſſe, ſi ſphacelo corruptus fuit, iam expertus fuerat *le Dran:* nec novum illud eſt. Sed id novum Auctori viſum, & peculiare, quod humerus infra articulum, quo cum ſcapula coit, relicto intra acetabulum oſſis capite, præſectus fuit. Utraque methodus, & illa *Dranii*, & hæc *Heiſteri*, in eo conveniunt, quod opus ſit, vaſa, quæ ſub clavicula ſunt, acu ſubducta, forti filo comprehendere & adſtringere, ut ſanguinis iter claudatur; quandoquidem torcular in hoc caſu applicari nequit. Qua in re illud mente tenendum eſt, occurrere ſæpe duas ex eodem trunco brachiales, cui utrique ſeorſim ligandæ advertendus eſt animus.

CXLI.

IOH. FRID. TSCHEPII, Soldav. Poruſſ. Caſus de Amputatione Femoris non cruenta. Halæ 1742. M. Octobr.

Arteriam cruralem, præſecto femore ſupra genu, ſanguinem haud fudiſſe, novum omnino videtur eſſe. Sed qua de cauſa hoc ita evenerit, ſtatim apparet, ſi hoc perpendatur, quod æger gangræna laboraverit tali, quam cauſæ internæ, & febris maligna, produxerant. Aderat igitur & arteriæ debilitas, & eius rigor, & humorum defectus; quibus de cauſis, amputato crure, ſanguis, ſine miraculo, fluere haud potuit. Etiamſi autem viribus deiectus æger eſſet, ſatis

tamen

Digitized by Google

tamen virium habuit, quibus convaleſceret, ut vulnus optima ſuppuratione clauderetur, paulo tamen poſt extinctus ideo eſt, quod bubo inguinalis mali moris ad frugem reverti haud poſſet.

CXLII.

Quæſtio medico-chirurgica. Præſide M. PETRO L'ALOVETTE, M. D. Reſp. *Carolo Franciſco Theroulde*, de Toulouſe de Vallun Baiocæo, Equite D. Cadomenſ. Bacc. Pariſ. Pariſiis 7 Mart. 1748. An femur in cavitate cotyloidea aliquando amputandum?

D*ranii* temeritas humerum ex articulo exſcindendi, maiorem peperit audaciam, ut quæſtio oriretur, poſſetne & crus totum ex ſuo auferri acetabulo, quo oſſibus pelvis iungitur, ſi quidem alio modo æger ſervari non poſſet. Haud improbabilis res viſa eſt. In eo igitur caſu conſultum eſt, femur arte luxare, & verſus commiſſuram pectinis ex ſuo devolvere acetabulo; vaſa Iliaca externa torculari comprimere, carnes audacter & celeriter circumcidere, tantum de bona carne relinquere, quantum illius ad operiendum vulnus ſatis eſſe poſſit. Cum autem & aliæ occurrant arteriæ, præter *Iliacas*, nempe vel *Iſchiadica*, vel *Obturatrix*, igitur & has ſubligandas eſſe ratio ſuadet, ſi quis illud facinus perpetrare vellet; non enim liquet, an quis hoc modo ſervatus umquam fuerit.

CXLIII.

De Tendine Achillis diſrupto, & arteriis in oſſeam ſubſtantiam degeneratis, Diſputatio. Præſide IO. ADAMO KVLMVS, Reſpond. *Io. Iacobo Knapio.* Gedani 30. Nov. 1730.

Achilleus tendo, qui calci affixus inceſſum regit, valido niſu cum ruptus eſſet, magna vis humorum inter malleolos confluxit, ut, etiamſi tentata extrema fuiſſent, æger tamen ſervari haud potuerit. In amputato pede, arteriæ oſſefactæ deprehenſæ fuerunt, & merito dolet Auctor, ſibi totum corpus incidendi copiam factam haud fuiſſe, inquiſituro, an & cæteræ arteriæ hoc fatum morboſæ oſteogeniæ ſimiliter expertæ fuerint.

CXLIV.

Digitized by Google

CXLIV.

PETRI CASTELL experimenta, quibus varias humani corporis partes ſentiendi facultate carere conſtitit. Göttingæ 20. Ian. 1753.

Tendines ſenſu deſtituuntur. Hoc ita eſſe, experimentis, in cane & hædo frequenter inſtitutis, deprehenſum eſt, quibus animalibus ex ſolo cutis vulnere dolor natus eſt, cætera nullus. Caſus quoque hoc ſecum attulerunt, ut poſſent tentamina in hominibus, quibus tendines denudati fuerant, inſtitui, nullo ſenſionis doloroſæ effectu. Id ipſum quoque ligamentis evenire compertum eſt. Iam *Galenus* hanc rem, ligamenta haud ſentire, non ignoravit. Ubi igitur doloris ſedes, cum articuli dolent? Cutem nervoſam eſſe, Auctor contendit. Etiamſi autem *Clariſſimus* ZIMMERMANNVS, qui irritabilitatem & ſenſibilitatem membranis ceteris eripuit, circa perioſtea & pericranium anceps hæreat: comprobatum tamen, non ſentire illa, repetitis tentaminibus, fuit. Et piam quidem matrem ſenſus expertem eſſe, iam *Hoffmanno* & *Heiſtero* Viris celeb. certum fuit. Mirum autem eſt, duram meningem, membranam tenſam, & nervis omnibus integumenta largientem, nihil quoque ſenſiſſe; eoque minus anceps illud vel ambiguum eſt, quod nec pleura, nec peritonæum ſenſerint. Igitur, quidquid nervis deſtituitur, ſenſus expers eſt,

PARS SEPTIMA.

VARII MORBI AD NULLAM SEDEM ADSTRICTI.

CXLV.

De Luxatione oſſis Femoris rariore, frequentiore colli fractura. Præſide IO. SALZMANN. Reſp. *Andrea Flach*, Argentorat. Argentor. 20. Nov. 1723.

CXLVI.

CHRISTIANI GOTTL. LVDWIG, de Collo Femoris, eiusque fractura, Programma. Lipſiæ 27. Ian. 1755.

Utraque tractatione, luxari femur non admodum frequenter, ſæpius autem eius cervicem frangi, exponitur. Eſt enim illius iſthmi, quo caput femoris & eius truncus committuntur, non adeo excellens robur, ut illud ſuperandis variis iniuriis par eſſe poſſit. Id quod vario modo accidit. *Ludwigius* in adoleſcente, cuius trochanteres iam obfirmati, epiphyſes autem articulares inferiores nondum aboliti in femoris oſſe erant, cuius igitur & femoris caput infirmiter teneretur, habuit præfractam epiphyſin iſtam, quæ acetabulo oſſium innominatorum reſpondet. Diſparuit in ſanatione collum femoris, atque in ſeſe contractum fuit. Senibus, quibus oſſa cæteroquin ſunt maxime fragilia, hoc ipſum evenit, ut vis illa, quæ extorſionem capitis intendit, eam tamen exequi haud poteſt, collum certe frangat, quod deinde, ob robur muſculorum excedens, qui trochanteribus & mediæ femoris parti alligantur, conferruminari nequit.

CXLVII.

Quæſtio medico-chirurgica. Præſide NICOLAO ANDRY, Antiq. facult. Decano. Reſp. *Huberto Linguet*. Pariſ. 3. April. 1732. An in humeri luxatione ambe potius, quam ſcala, ianua, polyſpaſtusque iterato renovata?

Emotum humeri articulum, quem manus reponere nequit, machinæ reſtituunt. *Hippocrates* iuſſit hominis humerum ſuper pectus hominis alterius flecti, illum ex ſublimi pendere, atque eius pedibus puerum appenſum teneri, ut niſus ponderis ad reſtituendum os ſufficeret. Nunc humerum luxatum ſuper ianuam vel ſcalam ponunt; ianua vel ſcala ſub axillis eſt. Pendet æger ex ſublimi, ſuoque pondere, ſi diis placet, humerum reponit. Ambe autem & Polyſpaſtum ſecurius quid promittunt, & tam ingenii plus habent, quam & regi tendique ac laxari ſecurius iſtæ machinæ poſſunt.

CXLVIII.

IOAN. SIGISMVND. ELSHOLZ, Hiſtoria Steatomatis reſecti & feliciter curati. Berolin. 9. Ianuarii 1666.

Digitized by Google

CXLIX.

Diſputatio Medico-chirurgica, ſiſtens caſum tumoris tunicati membranacei. Præſide IOAN. SALZMANN. Reſpond. *Io. Paulus Kell*, Heilbronna-Suevus. Argentor. 23. Ianuar. 1721.

CL.

Diſſertatio medico-chirurgica, de quibusdam tumoribus tunicatis externis. Præſide IOAN. SALZMANN. Reſp. Auctore *Georg. Frider. Orth*, Ratisbonenſi. Argentorat. 24. Iul. 1719.

CLI.

Diſſertatio medico-chirurgica, de Tumoribus cyſticis ſingularibus. Præſide LAVRENT. HEISTER. Reſp. *Bened. Andrea Frieſſe*, Brandenburgico-Onoldino. Helmſt. 22. Decembr. 1744.

Etiamſi breve ſit conſilium, tumores ex vitioſa carne atque ex humoribus in tunicas effuſis ſtatim abſcindere, & hoc quoque conſultum omnino ſit, ſi locus reſpondet, cui tumor inſidet, nec vaſa maiora prope ſunt, nec tubo reſpirationis vel gulæ tumor accreſcit: attamen fieri quandoque ſolet, ut ferrum adhibere certa ſit deſperatio, oporteatque tumores alio modo imminui. Etiamſi autem Sarcoma cauſticorum uſum repudiat, ſolius ferri miniſterio ſanandum, cum metus ſit, ne malum ulcus excitetur ſepticis: uſus tamen artis docuit, e tumoribus cyſticis, ſubſecari haud valentibus, eximi peregrinam materiam lenibus ſepticis ac digerentibus poſſe. Omnium minime vulnus fert tumor ille lumbaris neogenitorum, quem *ſpinam bifidam* appellant: eſt enim iſte folliculus ex meninge, quæ medullam ſpinalem comprehendit; hæc malo liquore diſtenta eſt, qua inciſa, mortem ſequi neceſſum eſt.

CLII.

IOAN. HENSELER, Hiſtoria Brachii prætumidi. Altorf. 5. Mart. 1743.

CLIII.

Hiſtoria pedis tumidi. Præſide ALEXANDRO CAMERARIO. Reſpond. *Phil. Chr. Laitenberger*, Kircho-Teccenſi. Tubing. 15. Ianuar. 1720.

Cum varia ſunt oedemata, quo nomine tumores telæ cellularis ſub cute potiſſimum intelliguntur, tum iſta maxime ſunt nocentia, quæ ex Eryſipelate ſuperſunt, poſtquam tota vis alicuius morbi virulenti & maligni in artus ſeceſſit, ſuamque in cutis diverticulo ſedem fixit, ut homini quidem hoc ipſo aliqua comparata ſit ſecuritas, membro tamen ipſi intendatur pernicies. Hoc eſt quod experti ſunt miſeri iſti homines, quorum hiſtoriæ morbi, hiſce diſſertationibus fuerunt traditæ. Viſum quidem in priore id auxilii ſupereſſe, ut humerus ſubter articulum præſcinderetur, ſed malitia humorum diſſuaſit iſthanc medicinam, atque hoc unicum commodum viſum fuit, ut externis confortantibus, internis reſolventibus, morbus, qui ſanari non poterat, traheretur. In altero autem ægroto, ſolo regimine, & confortantium uſu, effectum fuit, ut poſſet ille ſuam calamitatem patienter ferre.

CLIV.

Diſputatio medico-chirurgica, de Venæ ſectione. Præſide ALBERTO DE HALLER. Reſpond. Auctore *I. Iulio Walbaum*, Guelpherbitano. Götting. 30. Sept. 1749.

Excellentiſſimus Collector ſuos quoque labores huic intertexuit faſciculo, de Venæ ſectione omnia ea uno miſſu prodens, quæ alioquin ſparſa leguntur. Huius evacuationis antiquitas primo loco eruitur; quid illi, quid ſcarificationi, veteres tribuerint; ſub quibus ætatis, ſexus, morbi, temporis, anni, virium conditionibus, ſanguinem mittendum eſſe cenſuerint; quibus inſtrumentis hoc vulnuſculum ſalutare inflixerint; quas venas commodiores eſſe duxerint, exponitur. Arabes infantibus etiam ſubduxerunt ſanguinem. Nunc minor iſtius vulneris metus eſt, quam ſuperioribus fuit temporibus. Inciditur vena ad iugulum, ad frontem, ſub lingua, ad inter-

num

Digitized by Google

num oculi angulum. Eſt tamen ſua huic conſilio non minus tribuenda providentia, cuius leges ordinantur quam curioſiſſime atque exactiſſime.

CLV.

DIETERICI SPROEGEL, Halberſtadienſis, Obſervationes quædam ſelectiores. Helmſtad. M. Octobr. 1720.

Variarum obſervationum ſupellex mixtim hic traditur, de tumoribus inflammatoriis, gangræna, panaritio, viarum lachrymalium morbis. Extant multa lectu utilia, & quæ ad praxin medicam æque ac chirurgicam plurimum conferre poſſunt.

APPENDIX

DISSERTATIONUM SERIUS ACCEPTARUM.

CLVI.

ANTONII FERREIN, Quæſtio medica: Quinam ſint præcipui, quomodo explicentur, & curentur, lentis cryſtallinæ morbi; quæ eſt duodecima quæſtio, inter eas, quas defendit. Monſpelii 1732.

Lens cryſtallina duobus potiſſimum modis a ſtatu naturali deflectit: cum ex ſede ſua movetur, vel certe obliquum erga radios illabentes reſpectum habet; cumque ſua pelluciditate orbatur, quod in cataracta lenticulari, variisque eius ſpeciebus, ita accidere ſolet. Præterea eius quoque capſula, quæ hyaloideæ germen eſt, & in qua minima aliqua vaſcula ſanguiſera adeſſe obſervata fuerunt, ſuis morbis obnoxia eſt: namque vel obſcuratur, hine cataractæ membranaceæ ſpecies; vel deſtruitur. Ultimum ſi quando in depoſitione cataractæ evenit, tunc novo-excreſcenti humori vitreo nulli certi ponuntur limites, & ille in locum, quem lens occupaverat, ſuccedere, qua lentis defectum nunc ſuppleturus, nequit.

Digitized by Google

CLVII.

Lettre de M. PETIT, Docteur en Medecine, de l'Academie Royale des Sciences, dans laquelle il démontre, que le Cryſtallin eſt fort près de l'Uvée, & rapporte de nouvelles preuves, qui concernent l'operation de la Cataracte.

CLVIII.

Lettre de M. PETIT, Docteur en Medecine, de l'Academie des Sciences, contenant des Reflexions ſur ce que M. Hecquet, Docteur Regent de la Faculté de Medecine, a fait imprimer touchant les maladies des yeux, dans ſon Traité des amers, & dans celui de la digéſtion & des maladies de l'eſtomac.

CLIX.

Lettre de M. PETIT, Docteur en Medecine, de l'Academie Royale des Sciences, contenant des Refléxions ſur les découvertes faites ſur les yeux.

Sub illud tempus, quo Chirurgi Pariſienſes, eorumque fax & tuba, *Petitus*, Medicos alto ſpernebant ſupercilio, ſibique ſummam auctoritatem tribuebant, accidit quoque, ut leviſſima de cauſa, ſummum Virum, *Hequetum*, tenuis homo, Petitus, uti erat incontinens & faſtuoſus, vellicaret propterea, quod lentem in centro oculi conſtitutam eſſe, venæque ſectionem in pede, ad inflammationem oculi imminuendam nihil conferre, *Hequetus* arbitraretur. Facile autem apparet legentibus *Hequetum*, cum commentationem de oculo nullam ſcripturus eſſet, non tam lentis ſedem, quam in univerſum eius relationem ad ceteras partes oculi, ſecundum quam intra reliquos humores abſconditus & veluti medius eſt, indicare voluiſſe. Nec omnino falſus eſt *Hequetus*, quando venæ ſectionem in pede, ad inflammationes oculi tollendas minus, quam ceteras ſanguinis miſſiones in brachio, vel iugulo, conferre, credidit. Non tamen ſua laude privandus *Petitus* eſt, namque de vero lentis ſitu, de eius propinquitate ad choroideam, de

de variis artis ſubſidiis in depellenda cataracta, deque aliqua methodo, quam a ſe inventam prædicat, multa eleganter ſcripſit.

CLX.

Diſputatio medico-chirurgica, MICH. ADAM. GVSOVII, qua novum paracenteſeos inſtrumentum offertur. Regiomonti 15. Octob. 1723.

Etiamſi paracentheſis, hydropis cauſam, una cum liquidis de ventre eductis tollere nequit: reprobandam tamen illam nemo cenſuit, niſi qui ſtrenuus artis comtemptor eſt. Eam ex veteribus *Coelius Aurelianus* commendat, eam omnes gentes, ipſique Indi, referente *Iacobo Bontio*, tamquam calamitatis hydropicæ ſolatium, magni fecerunt. Singulare inſtrumentum, ad aquas de ventre educendas commodum, hic deſcribitur, cuius cannula inciſuram habet, eum ſcilicet in finem, ut aquæ liberalius inſorberi educique poſſint.

CLXI.

HENRICI MICHAELIS MISSA, Præſide I. BAPTISTA THVRANT, Theſis in verba: Ergo hernioſis, ex ſcuto eburneo, coriaceoque cingulo, ſubligacula. Pariſiis 1754.

Poſtquam inteſtina ſub inguine elapſa, iterumque in ſedem ſuam repulſa fuerunt, obfirmandus illorum ſitus eſt, bracheriis, quantum fieri poteſt, maxime commodis, & ægrum, ac vaſa ſpermatica in Viro, quam minime offendentibus. Proponitur hic novum bracherium de ebore effectum, quod *ſcutum eburneum* A. appellavit, quod non poteſt non maioris firmitudinis eſſe ceteris; an autem mollioris texturæ, incertum eſt?

CLXII.

IOA. ADAMI KVLMVS, Diſputatio medico-chirurgica, de Exoſtoſi ſteatomatode claviculæ, eiusque felici ſectione. Reſpond. *Paul. Henr. Ger. Moehring*. Gedani 2. Maii 1732.

Aliquando oſſium ſubſtantia luxuriat & intumeſcit, quod Exoſtoſin vocant, quamdiu nondum acceſſit putredo; hæc

Digitized by Google

hæc cum adeſt, caries, ſpina-ventoſa, & in pueris *paedarthrocace* dicitur; cumque cariei ſeſe membranæ perioſticæ immiſcent, *fungus* eſt. Hiſce omnibus nullum arte chirurgica parari poteſt auxilium. Fit autem, ut os integrum, nulla carie hactenus tactum, aſſurgat, & luxuriantem ſibi adiungat pinguedinem; hunc tumorem *Exoſtoſin ſteatomatoſam* vocant, qualis in præſenti exemplo fuerat, ex clavicula enaſcens, quam artifex, felici temeritate, ſerra abſtulit.

CLXIII.

MICH. ERNESTI ETTMÜLLER, de vulnere Ventriculi Programma. Lipſiæ 1730.

De vulneribus ventriculi vario modo illatis diſſeritur, ſive ferramenta deglutita, ſive inſtrumenta nocentia foris admota eſſent. Poteſt autem ſervari vulneratus, ſi inſtrumentum lædens nobiliora alia viſcera præteriit, vaſa gaſtrica maiora haud offendit, ſique humor in ventriculo contentus in ventris cavum effuſus haud eſt, qui putreſcendo mortis cauſa fieri poſſet.

DE PRISCIS ROM. LITERIS DISSERTATIO. Auctore IO. SWINTON, A. M. ex Æd. Chriſti & R. S. S.

Oxonii 1746. pl. 3. in 4.

Serius, quam conveniebat, de hac diſputatiuncula tradere inſtituimus, ſed nulla alia de cauſſa, quam quod ante breve tempus demum in manus noſtras pervenit. Materiam diſſerendi Cl. Viro præbent verba *Livii VII, 3. Lex eſt vetuſta,* PRISCIS LITERIS VERBIS*que ſcripta, ut, qui Praetor maximus ſit, Idibus Septembribus clavum pangat.* Ex iis verbis ſtatim hæc duo manifeſta eſſe ait V. D. primum, verba linguæ latinæ priſcæ, qualis ante V. C. 245. fuit, prorſus diverſa fuiſſe ab iis, quæ Liviana ætate uſurparentur: quippe etiam *Polybium* tradere, III, 22. ſua ætate ipſis Romanis prope ignota & obſcura penitus fuiſſe verba linguæ Romanæ,

manæ, qualis P. Valerio Poplicola & M. Horatio Pulvillo Coſſ. fuerit: alterum, figuras literarum latinarum, Livii h. e. Auguſti ætate, plane novas & diverſas ab illis antiquis fuiſſe. Vetuſtiſſimas autem illas literas exiſtimat Pelaſgicas fuiſſe, quas easdem cum Etruſcis, contra *Maſſaei* ſententiam, facit. Id ſic demonſtrat. Pelaſgorum & Tyrrhenorum ſ. Etruſcorum originem communem, h. e. Phoeniciam eſſe, nec ipſe *Maſſaeus* negat. Atque adeo unum eundemque populum, probatiſſimi hiſtorici græci & latini faciunt. Nec vero inter antiquarum Phoeniciarum & Etruſcarum literarum figuram, ac poteſtatem, diſſimilitudo eſt. Quod ſi porro veteres latinæ literæ diverſæ ab iis fuere, quæ Livii ætate valebant, certe ab nulla alia gente veniſſe potuere, quam ab Etruſca, quæ antiquis illis temporibus rerum in Italia potiebatur, auctore Livio, aliisque, quæ ſola in Italia humanitatem colebat, Romæ admodum vicina, a qua ſacra, ſacerdotes, inſignia magiſtratuum, & quicquid culti habuere, ſumſiſſe magno conſenſu tradunt veteres. Quidni ergo & literas ſumſerint? cum præſertim nulla alia gens commemorari poſſit vicina, a qua ſumere potuerint. Atque etiam *Plinius XVI, 44.* in Vaticano ilicem commemorat, ipſa urbe vetuſtiorem, in qua titulus æreis literis Etruſcis viſebatur. Neque vero dubitat V. C. Romam a Pelaſgis conditam fuiſſe, auctorem *Antiochum* Syracuſanum ap. *Dionyſium I. init.* ſecutus, ante, quam ab Albanis fratribus conderetur, quibus antiquiorem Romam etiam alii apud *Dionyſium* auctores faciunt, conſentiente *Plutarcho* in Romulo, haud dubie Pelaſgis origines urbis primas adſignante, atque ipſum nomen urbis ad Pelaſgicas origines referente: quod ita probat Cl. *Swintonus*, ut etiam nomen ex lingua orientali interpretetur, non Græca. Nam græcam originem, quæ *Potentiam* ſonat, negat convenire tenuiſſimis illis initiis; cum orientalis, רומה, *collem*, vel *alto loco poſitum oppidum* indicans, plane conveniat. *Feſtus* quidem e *Solino*, priſcum urbis nomen edit *Romin*, vel *Rumin*, quod Chaldaicis literis *colles*, vel *in collibus ſita oppida*, ſignificat. *Dionyſius* denique *Halicarnaſſenſis*, cum literarum

ſubinde mentionem faciat, quibus Romani primis temporibus uſi ſunt, haud ambigue eas Pelaſgicas, ævo Deucalioneo vel pares vel ſuperiores facit, ut I. p. 14. ſ. IV. p. 225. 230. Sed nihil magis Pelaſgicam Etruſcamve originem priſcarum literarum firmat, quam monumenta priſcæ antiquitatis, cumprimis inſcriptio lamellæ cupreæ Tiburtinæ, & L. Scipionis Barbati filii, in quibus literarum plurium figuræ hetruſcis ſimillimæ occurrunt, apud *Fabrett.* p. 27. 28. 461. numi conſulares, ap. *Io. Valentem* I. tab. 4. n. 7. tab. 5. n. 7. 11. &c. qui P Etruſcum præferunt: denique numi tres rariſſimi apud ipſum Virum Cl. in quibus literæ A. M. I. S. ab elementis etruſcis non abhorrent. Accedit, quod auctore *Priſciano* I. p. 551. literæ caninæ forma Etruſca, ſimilis inverſo D, quæ ſæpe in tabulis Eugubinis aliisque Etruſcis monumentis occurrit, diu uſurpata fuit Romanis, unde ſæpe eam literam expreſſere ſono literæ D, ut in *medidies:* quod præclare illuſtrat *Matth. Ægyptius,* in explicatione SC. de Bacchanalibus p. 148. 149. Atque etiam illud non leve argumentum videtur, quod literæ B, G, D, priſco Romanorum alphabeto pariter ut Etruſco defuere, auctore eodem *Priſciano* I. p. 549. Sed rem plane confirmant, & oculis ipſis videndam ſiſtunt inſcriptiones, non longe a Sutrio, viceſimo ab Roma lapide effoſſæ, quas *Phil. Bonarrotius* edidit ad calcem Demſteriani operis, Flor. 1726. p. 94. 98.

His ita conſtitutis, V. C. bene multa addit conſectaria, quæ inde fluere videntur. In quibus etſi non omnia, nobis quidem, videntur eandem vel certitudinem, vel probabilitatem habere: tamen multa, aut pleraque, recte colliguntur. Etruſcos non modo ante Cadmum, ſed etiam ante Deucalionem in Italiam veniſſe, quia literæ Etruſco Pelaſgæ antiquiores ſunt non modo Cadmo, ſed etiam Deucalione & literis Pelaſgis, quæ ævo Deucalionis fuere: id tum demum concedi poteſt, ſi conſtet, literas Cadmi ſtatim per omnem Græciam receptas eſſe, repudiatis Pelaſgicis; idemque de Deucalioneis valet. Sed hoc plane conſequitur, ſcripturam orientalium a dextra verſus ſiniſtram eſſe antiquiorem ea, quæ βϐςροφηδὸν progreditur:

ditur: cum Etruſcorum monumenta veterrima illam rationem ſequantur. *Tacitus* A. XI, 14. *literis latinis formam eſſe eam, quae veterrimis Graecorum,* ait. Id, ſecus quam *Harduino* & *Chishullo* viſum, negat de recentibus latinis intelligendum, ſed antiquioribus, quæ eædem cum Etruſcis, h. e. veterrimis Græcorum. Enimvero Tacitus diſerte veterrimas Græcorum facit Cadmeas: quibus recentes latinæ ſimiles. Nec probaverimus correctionem Plinianorum verborum L. VII. 58. *veteres graecas fuiſſe easdem paene, quae nunc ſunt latinae, indicio erit Delphica tabula &c.* in quibus deleri vult *nunc ſunt:* quod latinitas non patitur, & ambiguitatem gignit. *Plinius* Cadmeas literas intellexit, quæ & ipſæ veteres græcæ ſunt. Sed illud haud dubium eſt, quod falſo tradi a *Tacito* ait, literas in Etruriam per Demaratum illatas eſſe. Nec minus ex V. C. hypotheſi ſequitur, *literas graecas & latinas,* quibus ſcriptos Numæ libros tradit *Livius XL. 29.* de verbis & ſermone accipiendas, non formis literarum: item, numos literis latinis vulgaribus ſignatos, ut quatuor illos *Havercampi* Theſ. Morell. T. II. p. 476. 477. quos veterimos ille facit, poſt bellum Punicum primum percuſſos eſſe: non audiendum porro *Burgetium,* qui tabulam votivam apud *Sponium* parem Romulo faciat, cum & ipſa literis latinis recentioribus conſcripta ſit: nec *Gorium,* qui tabulas Eugubinas, talibus literis conſignatas, bello Troiano antiquiores iudicat.

Sed in iisdem conſectariis bene multa ſunt, ad *ſigna* antiquiſſima *numerorum* apud Romanos pertinentia. Primum e loco *Livii,* ab initio propoſito, ponit, antiquiſſimas numerorum notas fuiſſe apud Romanos ante a. V. 245. puncta, non lineas rectas, ut viſum *P. Manutio:* nam illis, non his, reſpondent clavorum capita: quod firmat etiam *Cincii Alimenti* apud eundem *Livium* l. c. auctoritas. Hinc porro colligit hæc: omnia monumenta Etruſca & Romana, aliis numerorum ſignis notata, eſſe a. 245. poſteriora: nec tabulam Eugubinam adeo ſeptimam Tarquinii Superbi ætatem attingere: falſum eſſe *Huetium,* cum ab lineola recta perpendiculari I, tanquam a matre, omnes numerorum latinorum notas

 ductas

Digitized by Google

ductas putet (*Huetian. p. 47.*): literas latinas numerorum notas factas inter a. V. 245. & 493. cum Conſul Duillius Carthaginienſes vicit, cuius columna numeros literis ſignat: item, inſcriptiones Etruſcas Viterbii a. 1694. effoſſas, poſt a. V. 245. exaratas eſſe; habere enim numerorum notas XXIII. XXIX. XVIII.

Sed his forſan opponat aliquis, non eſſe conſequens, ut, quia in faſtis publicis annorum notandorum cauſſa ſingulis annis additus clavus, etiam quicunque numeri in aliis monumentis, tabulis, literis privatis, publicis, per puncta expreſſi putentur: nec ſi minores numeri per puncta expreſſi ſint, velut in numis antiquiſſimis numeri aſſium, ternarius, quaternarius, ut etiam eodem modo maiores: pluraque monumenta vel teſtimonia, ei rei firmandæ, afferenda eſſe.

G. F. BERMANNI ANIMADVERSIO IN theorema quoddam algebraicum COLINI MACLAURINI.

Evolvens nuper *Maclaurini* V. C. librum poſthumum de Algebra, incidi in theorema novum, ad theoriam limitum radicum in æquationibus algebraicis ſpectans, quod pag. 185. in fine Cap. V. Part. II. ſine demonſtratione proponitur, his verbis: „In qualibet æquatione $x^n - px^{n-1}$ „$+ qx^{n-2} - rx^{n-3} + \&c. = o$ radix quarti gradus ex „$(qq - 2pr + 2s)$: n ſemper erit minor maxima æquationis radice."

Demonſtrationis cupidus, applicavi hoc theorema ad aliquot æquationes tertii quartique gradus, quarum mihi notæ erant radices; & poſtquam in his ſingularibus æquationibus recte illud ſe habere intellexi, ad demonſtrationem eius quærendam appuli animum. At vero in hac inveſtigatione haud longe progreſſo, obtulerunt ſe mihi quædam rationes de veritate illius theorematis dubitandi. Quibus impulſus cum illud ad alias quaſdam æquationes examinare inſtituerem, contigit, ut ad æquationem hanc $x^4 - 86x^3 + 2771x^2 - 39646x + 212520$

$+212520 = 0$, cuius radices ſunt 20, 21, 22, 23, applicatum theorema illud falſum deprehenderem. Namque in ea æquatione eſt $p = 86$, $q = 2771$, $r = 39646$, $s = 212520$, $n = 4$, ideoque $(qq - 2pr + 2s) : n = 321092, 25$, & $\sqrt[4]{(qq - 2pr + 2s) : n} = 23, 8$; qui numerus non minor, ſed maior eſt maxima æquationis radice.

Via autem, qua *Maclauriniani* theorematis veritatem inveſtigavi, me ad aliud theorema duxit, quod in locum falſi illius ſubſtitui poterit. Inveni nempe hoc *theorema:* „In „omni æquatione, (cuius radices reales ſunt & affirmativæ,) „$x^n - px^{n-1} + qx^{n-2} - rx^{n-3} + sx^{n-4} -$ &c. $= 0$, „radix quarti gradus ex $(2qq - 4pr + 4s) : (nn - n)$ minor „erit maxima radice æquationis."

Analyſin omitto, ut ne inventionis voluptatem lectori præripiam, ſi cui forte tanti erit, in huius theorematis demonſtrationem inquirere. Cum tamen verendum mihi ſit, ne ſi id, quod contra tanti viri auctoritatem propoſui, nulla omnino demonſtratione muniam, hoc a me ſubarroganter factum videatur: ſubiungam theorematis mei ſyntheticam demonſtrationem, ex iis ſtructam, quæ ipſe *Maclaurinus* in Epiſtolis ad Ill. *Martinum Folkeſium*, de radicibus imaginariis, (quæ leguntur in *Philoſ. Transact.* Niſ. 394 & 408, atque in *Graveſandii* editione *Arithmeticae univerſalis Newtoni* p. 308.) olim docuit. Scilicet primo ex formula prima Coroll. 3. Prop. VI. evidens eſt, quantitatem $qq - 2pr + 2s$ æqualem eſſe ſummæ quadratorum ex factis ſingularum binarum radicum æquationis. Porro ex demonſtratione Prop. V. apparet, ſummam hanc minorem eſſe quadrato ſummæ horum quadratorum ducto in $\frac{n-1}{2n}$. Denique facile perſpicitur, hocce quadratum minus eſſe biquadrato maximæ radicis a ducto in nn. Quibus omnibus conſequens eſt, ut quantitas $qq - 2pr + 2s$ minor ſit quam $\frac{1}{2}(nn - n)a^4$. Q. E. D.

Addere liceat aliud theorema, præcedenti affine, & quod una cum illo ſe nobis obtulit. En illud. „In æquatione gra-

„dus *n*, cui ſecundus terminus deſit, & nullæ ſint radices „imaginariæ, ſi fuerint q & s coefficientes tertii ac quinti ter-„mini ſub propriis ſignis; ſemper erit $(2qq - 4s) : n$ minor „biquadrato eius radicis ſive poſitivæ ſive negativæ, quæ a „cifra maxime diſtat." Quodſi accidat, ut $\frac{1}{4}qq$ maius non ſit quam s, exiſtente s poſitivo, hoc indicio erit, æquationem habere imaginarias radices. Hinc ſequitur, in æquatione cubica $x^3 + qx \mp r = 0$, ſi omnes eius radices reales fuerint, fore $+\sqrt[4]{\frac{2}{3}qq}$ minorem radice poſitiva, ſiquidem adſit $+r$, contra $-\sqrt[4]{\frac{2}{3}qq}$ maiorem radice negativa, ſi adſit $-r$; quæ obſervatio limitem maximæ radicis paullo propiorem præbet, quam theorema præcedens.

Ceterum, ne quis credat, ea, quæ hic ſcripſimus, ab iniquo carpendi *Maclaurinum* ſtudio profecta eſſe, profitemur, tanti nos facere excellentem viri doctrinam, ut his, qui eum inter ſummos, quos Britannia aluit, mathematicos fuiſſe iudicent, libenter aſſentiamur, & nulli dubitemus, quin, ſi ei licuiſſet ſupremam operi ſuo manum imponere, ipſe errorem, quem hic correximus, deprehenſurus atque emendaturus fuiſſet. Neque ut hæc qualiacunque in publicum emitteremus, aliud quidquam nos commovit, niſi hoc, quod putavimus, & de hoc ipſo libro, omnibus Algebræ ſtudioſis ſummopere commendando, non male nos eſſe merituros, ſi iſtum eius nævum, fortaſſe unicum, atque a Viro docto, qui hunc librum in Francicam linguam nuper tranſtulit, non animadverſum, tolleremus, & ſic plurium etiam, qui illo libro utentur, commodis conſultum iri, ſi admoneantur, ne falſæ propoſitionis demonſtrationem exquirendo operam perdant.

MISCELLANEARUM LECTIONUM, IN quibus multi ſcriptores aut emendantur, aut illuſtrantur, Faſciculus I. Auctore IO. SALOM. SEMLERO, iam in Ac. Hal. Th. D. & P. P. O.

Norimbergæ 1748. impenſis Georgii Lichtenſtegeri. Typis Fleiſchmannianis, pl. 7. in 8.

Qui

Digitized by Google

Qui iam Halæ vivit, cel. Semlerus, bibliopolæ operam addixit veterum imaginibus illuſtrandis, cumque oculis animo ſimul occupando. Dum igitur hic in fronte conſpicitur Livius: & ſeptem capitibus ille plurima refert obſervatu non indigna; & alia ſecutura pollicetur, in præfatione. Eſt inter hæc promiſſa evangelium Nicodemi, ex vetuſto codice manu ſcripto, eodemque multo editis auctiore, evulgandum. Neque minus, haud vero tam certam ſpem facit, aliorum quorumdam, quæ mediorum ſæculorum vel religionem, vel ſuperſtitionem illuſtrent, monumentorum vel ineditorum, vel cum manu ſcriptis codicibus conferendorum, & emendandorum, itemque hiſtoriæ veteris paſſim illuſtrandæ. Sed nos iam exhibita potius morantur. Primum illorum caput *Chr. Aug. Heumanni* V. C. Livianas emendationes maximam partem diſſuadet; quo iure, cum alii iam fecerint, noſtrum haud eſt fuſius diſceptare. Id tamen notatu dignum videtur, quod de Livii, elegantiſſimi omnino ſcriptoris, ſed non moleſte ſeduli elegantiarum ſectatoris, ratione ſcribendi proponitur. Eadem quippe, ex elegantia, ut ea nobis maior videtur, aut ut ex aliis veterum vel formatur, vel fingitur, ſi diiudicari debeat: Livius & ſuam ſcripturam elegantiamque amiſiſſe, & criticæ audaciæ, moleſtæque curæ, periculoſo ad alios auctores exemplo, numquam non ſubiectus fore putatur. Qua in re Aſinius Pollio peccarit, quod cum ſemper elegantiarum ſtudioſum eſſe voluerit. Caput ſecundum eſt de *Beroſo*, Babylonicæ hiſtoriæ vetuſto ſcriptore. Nomen interpretatur noſter, dum in *Miſchna* Iudæorum antiquus doctor בר אוש *Baruſch* vel *Baroſch* occurrit, hac eadem ratione; ſcribique Græce debere putat Βηρωσος. Patria erat Babylonius: nam *Tatianus* in apologia c. 58. ſcribit: *Βηρωσσὸς ἀνὴρ Βαβυλώνιος ἱερεὺς τοῦ παρ᾽ αὐτοῖς Βήλου.* Vixiſſe coniicitur ante *Ptolemaeum* Philadelphum, ſeu annum M. 3665. & quidem exiſtimatur, ipſum inter coniectores falſos fuiſſe, Alexandro qui mala prædixerant Babylonem oppugnanti, atque indicem ipſum, expugnata urbe, fugiſſe Athenas, & ibidem hiſtorias ſuas conſignaſſe. Fuerit ergo antiquior *Manethone*. In ſcriptis, unde

unde hauſit *Beroſus*, annorum centum quinquaginta millium numerum contineri tradidit ipſe, *Syncello* teſte. Qui numerus mediocris eſt, ſi cum aliis Chaldæorum conferatur. *Cicero* de divin. I, 19. & II, 46. 470000. nominat; inſuper addit tria millia *Diodorus Siculus*; *Proclus*, non indoctus *Platonis* interpres, in comment. ad Timæum, ex *Iamblicho* duplicem ſervavit, alterum annorum 270000. alterum tantum, quantus requiritur, ut curſum ſuum 7. planetæ finiant. Noſter hic iterum coniicit, Babylonios, de annis ſuis loquutos, ad minimum CCCLX. dierum tempus intelligere. *Beroſus* enim, cum ea narrat, quæ paullo ante generalem inundationem acta ſunt, Saturnum tradit Xiſuthro tum regi prædixiſſe, fore ut dies XV. menſis Daeſii terrarum iſtud excidium afferat. Idem ille non magnopere refragatur, antiquiſſimos Babylonios ſciviſſe mundum eſſe conditum; neque tamen verum annorum numerum ideo noviſſe. Statim cum pii ſe ab impiis ſepararent, iſthæc obſcurabantur, ut nec verum deum, nec veram orbis ætatem, noſcerent profani. Porro, cum Babylonii materiæ crederent æternitatem, annorum tam immenſum numerum fere neceſſario indidem ſequi: ideoque de circuitu planetarum fabulatos eſſe. Nec, niſi pro annis habeatur numerus, exſtaret quidquam apud Babylonios de longiſſima primorum hominum vita, quam tamen & *Heſiodus*, & alii barbari noverant. Sequuntur c. III. obſervationes ad *Abeli* hiſtoriam *Patriarcharum*, ubi ſimul repetitur, veterum fabulas de regibus ante generalem illuvionem, ut ſunt Chaldæorum apud *Beroſum*, Ægyptiorum apud *Manethonem*, & hodiernos Coptitas, itemque Arabicos ſcriptores, ex inveterata olim opinione, de æternitate mundi, aut certe ignorata illius vera ætate, veniſſe; quod immenſum ſpatium omnino fabulis implendum erat, cum aliter non poſſet. Cap. IV. ſiſtit ad chronicon Livoniæ quaſdam emendationes. Cap. V. ad *Gutberlethi* libellum, de Saliis ſacerdotibus, dat obſervationum ſpicilegium. Hic, ad notationem Saliorum nominis quod attinet, cum illorum ritus Græcæ eſſent originis, & Marti Græco numini conſecrarentur, creduntur Salii vocati eſſe a Numa, & primis

Latinis,

Digitized by Google

Latinis, ab ὑάλιος, unde ἐνυάλιος, quod Martis ſollemne nomen. Receditur etiam a *Gutberletho*, qui ſcribit, magiſtros Saliorum etiam pontifices Salios aut Saliorum eſſe dictos. Inſcriptiones enim, quæ habent PONT. SALIO, ita commode poſſunt intelligi, ut duplex munus innuatur, Pontificis, & Salii. Additur in hanc ſententiam inſcriptio apud *Gruterum* p. 173. n. 5. MANSIONES. SALIORVM. PALATINORVM. A. VETERIBVS. OB. ARMORVM. ANNALIVM. CVSTODIAM. CONSTITVTAS. LONGA. AETATE. NEGLECTAS. PECVN. SVA. REPARAVERVNT. PONTIFICES. VESTAE. Iſti haud dubie cellulis Saliaribus ideo ſumtus eos impendiſſe dicuntur, quod ipſi Salii forent, ſuum adeo collegium ornaturi. Similiter diſtinguit noſter locum *Iuven. Sat.* VI, 602. Adhæc duas partes, & duos quaſi choros Saliorum ſtatuit. Alii enim ita geſtabant ancilia, ut conto & baculo innexa eſſent aliquot ancilia loro quodam, contus autem in humeros duorum imponeretur; quo refert Auctor *Lucan.* I, 603. & IX, 460. Alii vero armis & ſcutis ſimiliter inſtructi, & induti lævam, ſaltabant ad iſtos, haſtisque ſuis, tum ſua, tum iſtorum ſcuta percutiebant; vid. *Claudian. Conſul. Honor.* VI, 622. ſqq. Reſtituit denique *Feſtum* in *Axamenta* hunc in modum: *Axamenta dicebantur carmina Saliaria, quia a Saliis ſacerdotibus cognominabantur hi verſus nomine ſuo. Nam in deos ſingulos verſus facti a nominibus eorumdem* &c. Eorundem Saliorum carminum fragmentis conſecratum eſt cap. VI. quemadmodum VII. ad Lucilii poetæ non nulla fragmenta præclara multa obſervat. Haud ſane invenuſti eius poetæ ſcripta propemodum omnia periiſſe, iniquius non immerito fertur. Exſtant quidem adhuc eius ſat multa e libris ſatirarum XXX. fragmenta, ſed ita lacera, diſrupta, & manca pleraque ſunt, ut vix intelligi queant. Præcipua tamen in iis reſtituendis opera fuit *Franciſci Douſae*, doctiſſimi equitis, *Iani* filii: qui, ut non infelix ad criticam iſtam induſtriam ingenium nactus erat, ita multis corruptis locis attulit lucem, in pluribus tamen antiqui ſcribendi generis peritiam magis oſtendit, quam veræ lectionis ſcientiam. Ut autem noſter omnibus eo ſpectantibus de rebus, pluribus

Digitized by Google

quondam, Lucilii fragmentis omnibus lucem allaturus, actu-rum ſe pollicetur: ita nos, iure quodam noſtro, heic videmur ponere calamum poſſe.

DUE LETTERE SOPRA IL RUBICONE degli Antichi &c.

i. e.

EPISTOLAE DUAE DE RUBICONE VE-terum, Auctore IANO PLANCO, M. D.

Venetiis 1756. plagg. 3. in 12.

I*anus Plancus* M. D. ſeu, ut hic italice ſcribitur, *Giovanni Bianchi*, V. Cl. duas Epiſtolas ſex abhinc annis conſcripſerat, de vero Rubicone veterum, occaſione litis obortæ, & Romæ in Tribunali Auditoris Cameræ agitatæ, inter Cæſenates & Ariminenſes, atque iſtorum ſocios, propter Lapidem ad ripas Luſi fluminis erectum, cum hac inſcriptione: *Heic Italiae Finis Quondam Rubicon.* Cæſenates enim per ſeptem annos, Romæ, in Tribunali illo vitiligarunt, & contendebant, Ariminenſes, eorumque ſocios Archangelianos, non debere, neque poſſe, ad ripas *Luſi* fluminis Inſcriptionem illam tenere, immo attentata & ſpolium quoddam, erectione illius lapidis, in Cæſenates commiſiſſe. Pro Cæſenatibus plura conſcripſit cucullatus quidam, Cappuccinus, *Angelus Serra* nomine, qui multa effutivit inerudite & arroganter contra *Plancum* & Ariminenſes. Sed fruſtra; nam Iudex æquus, A. C. *Simonettus*, ſententiam die 4. Maii 1756. pronunciavit pro Ariminenſibus, eorumque ſociis, contra Cæſenates, prioribus eorumque ſociis ab omni ſpolio & attentato abſolutis, parte victa, Cæſenatibus, in expenſas condemnatis, perpetuo adhæc ſilentio impoſito. Apparet hoc ex ipſomet decreto ſententiæ, quæ ad calcem harum Epiſtolarum in extenſo apponitur, eſtque velut Corona Victoriæ harum Epiſtolarum, & Ariminenſium. *Plancus* igitur ab initio huius litis ridiculæ Cæſenatium, quum hæc quæſtio ſit de Geographia erudita antiqua, non autem iudicialis, ſcripſit anno 1750.

menſe

menſe Martio duas has Epiſtolas, ad Amicum quendam Florentinum, quæ tunc temporis inſertæ fuerunt variis libris, ut Ephemeridibus Florentinis, & nunc ſimul, una cum Iudicis Decreto, Venetiis recuſæ fuerunt. In prima Ep. *Plancus* totus in eo eſt, ut oſtendat, lapidem illum, ſeu melius Inſcriptionem, quam appoſuerunt Cæſenates ad ripam rivuli vicini, qui *Piſciatellus* vocatur, & quæ habet: *Iuſſu* * *Mandatuve* * *P* * *R* * *Cos* * &c. eſſe apocrypham, & ab aliquo recentiori impoſtore, (forte *Blondo,*) confictam. Pro ſpuria eam habuerunt iam *Gruterus*, *Cluverius*, *Antonius Auguſtinus*, Viri doctiſſimi, quorum poſtremus integrum Dialogum contra hanc Inſcriptionem conſcripſit. *Plancus* V. Cl. per ſingula fere verba hic eam refutat, ut omnibus, etiam in lingua latina, & in re antiquaria minus exercitatis, palam fiat eius Inſcriptionis fraus atque impoſtura. Prætera futiles eſſe oſtendit Inſcriptiones quasdam alias recentiores, a Cæſenatibus, pro ſuo *Piſciatello* iactatas, quæ neque latinæ ſint, neque vera tradant. Quare & has quoque expungendas vult Plancus. In Epiſtola ſecunda Vir doctiſſ. ſummatim exponit argumenta & rationes omnes plane invictas, quibus Ariminenſes ſolidiſſime evincunt, fluvium *Luſum* eſſe verum antiquorum Rubiconem. Hæc argumenta omnia, *Clementinus*, urbis Riminenſis hiſtoricus, itemque *Iacobus Villanus*, in Apologia pro Rubicone, fuſe expoſuerunt: hic ſummatim ob oculos a *Planco* ponuntur, & eruditione multa Græca & Latina, qua carebant priores *Luſi* defenſores, illuſtrantur, novisque argumentis amplificantur. Quare merito hæ Epiſtolæ, Decreto, ſeu Sententia Iudicis, quam iis veluti coronam appoſuit, ornantur.

AN ACCOUNT OF SIR ISAAC NEWTON'S Philoſophical Diſcoveries &c.

i. e.

DELINEATIO INVENTORUM PHILOSOphicorum Cl. ISAACI NEUTONI, in IV. Libris fa-

Digitized by Google

ſta a COLINO MACLAURIN, olim Societatis Regiæ ſodali, Profeſſore Mathematum in Academia Edimburgenſi, & Societatis Philoſophicæ ibidem Secretario; publicata ex chartis Auctoris a Patricio Murdoch, A. M.

Londini 1748. Alph. 2. plagg. 4.

Dedicationem, qua vidua Auctoris Duci Walliæ librum obtulit, & catalogum ſubſcribentium, ultra 1200. nomina continentem, ſequitur relatio de vita & ſcriptis Auctoris. Natus autem fuit *Colinus Maclaurin* a. 1698. menſe Februario, patre Ioanne Maclaurin, miniſtro verbi divini Glanderulienſi, & matre ex nobili Cameronum gente orta, ex tribus fratribus natu minimus. Patre ſexta poſt partum hebdomade, & matre a. 1707. privatus, educationis ſuæ curam maximam partem debuit avunculo, Danieli Maclaurin, itidem verbi divini miniſtro. Miſſus in academiam Glaſguenſem a. 1709. totum fere ſe tradidit ſtudiis Mathematicis, in quibus tantos fecit progreſſus, ut iam anno ætatis XVI. plures invenerit propoſitiones, Geometriæ organicæ poſtea inſertas. Annos XV. natus, publice defenſis theſibus de gravitate, magiſtri artium dignitate ornatus eſt. Dein, poſtquam ſtudio Theologico annum unum dicaverat, in villam avunculi ſui ſeceſſit, ubi lectioni auctorum claſſicorum, atque poeſi, aliquantum indulſit, donec a. 1717. in collegio Aberdonienſi profeſſionem Mathematum obtineret. Londinum inde profectus a. 1719. virorum clariſſimorum, inprimis Iſaaci Newtoni, amicitiam ſibi comparavit, & in ſocietatem regiam receptus eſt. A. 1722. ill. Polwarthii, regis magnæ Britanniæ in congreſſu Cameracenſi Plenipotentiarii, filio natu maximo educator datus, Lutetiam aliaſque Galliæ urbes peragravit, in Lotharingia paulo diutius commoratus. Inde ulterius progreſſus, Maſſiliam cum perveniret, iuvenis curæ ipſius demandatus e vita ſubito deceſſit; quo facto domum confeſtim rediit noſter, & labores Academicos continuavit. Brevi tamen poſt Edimburgi, Iacobi Gregorii, iam decrepiti, locum ſup-

plere

plere iuſſus, a. 1725. menſe Novembri novo muneri præfe-ctus eſt. Mortuo a. 1728. Iſaaco Newtono, in conſcribenda eius vita noſtri auxilium imploratum fuit: cui petito ſatisfacturus, primum huius operis librum conſcripſit, eique, interrupto priore conſilio, reliquos poſtea adiecit. Ex matrimonio, quod a. 1733. iniit, ſeptem habuit liberos, quorum quinque duo filii & filiæ tres adhuc ſunt ſuperſtites. Noſtri conſilio ac ope ſocietas Edimburgenſis, quæ artem Medicam excolendi gratia ſeſe congregaverat, diſquiſitionum ſuarum campum ad quamlibet Phyſices partem, regnique antiquitates, extendit, eumque Secretarium creavit, qui pluribus ipſe ſchedis Societatis Acta ditavit. Haud contentus hoc litterarum incremento, conſilium quoque cepit erigendi obſervatorii Aſtronomici, quod certe perfeciſſet, collectis undique pecuniis privatis, niſi bello inteſtino fuiſſet impeditus. Iſtud cum erumperet, amore patriæ ductus Maclaurin, non ſolum delineavit munimenta, quæ hoſtem appropinquantem Edimburgo arcerent, ſed eorum quoque exſtructioni ipſe invigilavit. Urbe nihilominus abſque reſiſtentia capta, noſter, ne rebellibus fidem iurare cogeretur, in Angliam clam ſeceſſit, ibique cum Archiepiſcopo Eboracenſi vixit. Domum inde reverſus, ac tempeſtatis iniuria miſere in itinere vexatus, in morbum incidit, qui ei mortem attulit, poſtquam menſes 4. ſupra 48. annos vixerat. Præter Geometriam organicam *, & tractatum de fluxionibus, qui a. 1742. Edimburgi prodiit, conſcripſit diſſertatt. duas, quibus academia regia Pariſina præmium adiudicavit annis 1724. & 1740. de percuſſione corporum unam, alteram de fluxu & refluxu maris; nec non alias complures, Transactionibus Anglicanis inſertas, quarum enumeratio hic exhiberi meretur.

1) De conſtructione & menſuratione curvarum. n. 356.

2) Nova methodus deſcribendi quælibet curvarum genera **. n. 359.

*) v. Act. Er. 1721. menſ. Iun. **) v. Act. Er. 1719. menſ. Octobr.

3) De æquationibus, quas ingrediuntur radices impoſſibiles. n. 394.

4) Eiusdem argumenti continuatio. n. 408.

5) De curvarum deſcriptione, adiecta relatione de progreſſu ulteriori, & charta ex Nancæo ſcripta. n. 439.

6) Recenſio tractatus de fluxionibus. n. 467.

7) Eiusdem continuatio. n. 469.

8) Regula, cuius ope in ſphæroide, eadem exactitudine ac in ſphæra, reperiuntur meridiani. n. 461.

9) De cellulis, in quibus apes mel ſuum deponunt. n. 471.

Poſt obitum viri clariſſimi prodiere tractatus de Algebra, ſubiuncta appendice, de generalibus linearum Geometricarum proprietatibus, & liber, cuius iam argumentum paucis recenſitum imus.

Pag. 3. *Liber I.* de vera philoſophandi methodo, & variis circa Philoſophiam tam veterum, quam recentiorum placitis, in 5. iterum capita diſpeſcitur. Cap. I. ſiſtit conſpectum generalem methodi Newtoni, & ideæ, quam de mundo ſibi formavit; ubi viam, qua Phyſices ſcrutatori incedendum, ac devia,
7-13. quæ ipſi evitanda, indicat, & perfectam Philoſophi imaginem
20. in perſona Iſaaci Newtoni depingit; quem, analogiam ſecutum, omnibus etiam minimis corporibus principium motus conceſſiſſe, monet, mutuæ corporum coeleſtium gravitationi ſimile.
23. Cap. II. veterum Philoſophorum ſyſtemata recenſet, a primis ſcientiarum incunabulis, usque ad tempora, ubi ex univerſo Europæ tractu proſcriptæ, vix tenue apud Saracenos aſylum
32. invenere. Horum ſyſtematum nullum magis conſpiraſſe contendit cum recentiorum inventis, quam Pythagoreum. Sub harmonia corporum coeleſtium, doctrinam de gravitatione verſus ſolem latuiſſe, probat ex analogia, quæ intercedit inter chordas tenſas eiusdem ſoni & craſſitiei, atque corpora verſus ſolem æqualiter gravitantia; uti enim vires illæ tendentes ſunt in ratione duplicata longitudinum, ita horum maſſæ creſ-
42. cunt in eadem ratione diſtantiarum. Cap. III. de Philoſophis recentioribus ante Carteſium, laudat Purbachium & Regiomontanum, Aſtronomiæ in Europa inſtauratores; Coperni-

cum,

cum, Tychonem, & Keplerum, eiusdem præcipuos amplifica- Pag. 43-53.
tores; Galilæum, qui coeli faciem detexit, & vera Mechani- 54.
cæ principia ſolide demonſtravit; Baconem Verulamium, qui 55.
ſerio ſuaſit, ut omnis Phyſica experimentis ſuperſtruatur; & 56.
Robertum Boylium denique, qui aſſiduitate & diligentia in 61.
obſervando, omnes Baconis conſilium ſecutos ſuperavit. Retardavit paululum felix hoc auſpicium reſuſcitata a Carteſio 62.
libido, ſolo ingenii acumine detegendi phænomenorum rationes, unde novam A. inchoat periodum. Cap. IV. de principiis 64.
Philoſophiæ Carteſii, emendationibus eorum, qui ipſum ſecuti ſunt, & controverſiis in Philoſophia naturali recens motis, recenſet præcipua Carteſii placita, eaque refutat. Arrepta occaſione, vacuum acriter defendit, & e reſiſtentia, quam 69-72.
fluidum, corporum poros permeans, vi inertiæ exſerit, impoſſibilitatem motus in pleno demonſtrare conatur. Spinozam 75-78.
principia ſua e Carteſianis derivaſſe, oſtendit. Pervenit tan- 79.
dem ad Leibnitium noſtrum, quem ſatis quidem Anglus noſter laudat. Commendat inprimis ſyſtema de perfectione mundi, 80.
& origine mali: prius tamen Platoni, alterum Chryſippo iam 81.
cognitum fuiſſe, contendit. Num mentem viri immortalis ſatis ſemper aſſecutus ſit Cl. A. ipſe iudicet Lector, ex parte recenſionis Philoſophiæ Leibnitianæ, quam verbotenus huc transſcripſimus. „Reiicit etiam atomos, & omnes particulas 82.
„materiæ ſimilares, quarum cuilibet, licet diviſibili in infinitum, monadem adiicit, ſive activum genus principii, in quo, „inquit ille, ſunt quaſi perceptiones & appetitus. Eſſentiam ſubſtantiæ quærit in actione vel activitate, aut potius, „ſecundum ipſius expreſſionem, in aliquo quod eſt intermedium inter actionem & facultatem agendi. Quietem abſolutam impoſſibilem, & motum, ſive ſpeciem quandam niſus, cuilibet ſubſtantiæ materiali eſſentialem eſſe, iudicat. „Quamlibet monadem repræſentare, ait, totum univerſum, ex „ſuo viſionis puncto.“ Libertatis notio Auctori diſplicet. Particulas materiæ diſtingui concedit monadibus, ſed quomodo harum una ab altera, ſeu diverſis momentis eadem monas a ſe ipſa, diſtinguatur, fatetur ſe non intelligere. Duo perfecte 83.

ſimi-

ſimilia, diverſo tempore, exiſtere poſſe arbitratur, unde infert, talia quoque eodem momento in locis diverſis reperiri; & tandem monades eiusdem valoris eſſe iudicat cum entelechiis
Pag. 85. & qualitatibus occultis. Aſſertum, quod mundus ſit machina perfecta, nulla indigens renovatione, excludere Deum ab actione in mundum, eiusque gubernatione, arbitratur, nec aſſenſurum ipſi fuiſſe Leibnitium, niſi abſolutæ neceſſitati atque
86-88. mechanismo nimium fuiſſet devotus. Impugnat porro conſervationem eiusdem quantitatis virium vivarum, harumque menſuram, vortices infinite parvos a quibusdam effictos, legem continuitatis in motu, & corporum perfecte durorum e
89. mundo proſcriptionem. Iniecta tandem harmoniæ præſtabi-
90. litæ mentione, ita tractationem abrumpit: „Tempus eſt, ut „miſſas faciamus has fictiones, ne forte eo lector adducatur, „ut omnem Philoſophiam putet eſſe illuſionem.“ Capite V. concluſiones ex obſervationibus præcedentibus collectas A. exhibet, quæ eo tendunt, ut indicet errores a Philoſophis commiſſos, & Newtoni elogia repetat.

97. *Lib. II.* De theoria motus, ſeu Mechanica rationali, eiusque Cap. I. de ſpatio, tempore, materia, & motu agit.
100. „Spatium, inquit, extenſum eſt, ſine limitibus, immobile, uni„forme, & ſimilare in omnibus ſuis partibus, ac reſiſtentiæ „plane expers. Conſiſtit partibus, quæ diſtingui poſſunt in „alias continue minores, nec tamen a ſe invicem ſeparari, nec
102. „ſitum ac diſtantiam mutare queunt.“ Huius ſpatii, quod reale vocat, exiſtentiam, argumentis evincere ſedulo ſtudet,
109. eiusque ideam clariſſimam nos habere aſſerit. Newtonum vim, quæ efficit, ut corpora diſtantia in ſe mutuo agant, & unum verſus alterum tendat, nulla ſenſibus obvia cauſa externa, quæ illa impellat, vocaſſe ait attractricem; hoc tamen termino, naturam & rationem eius determinare aut indigitare
111. neutiquam voluiſſe. Immo conſtare ex litteris ad Boylium datis, Newtonum non niſi ab impulſu fluidi ætherei, corporum poros permeantis, vim attractricem derivaſſe: ſuam tamen ſententiam publicare auſum non fuiſſe, quamdiu detegere ac de-
112. monſtrare non poſſet eiusmodi fluidi proprietates. Cap. II. leges

Digitized by Google

leges motus, earumque corollaria generaliora proponit. Le- Pag. 117.
gem tertiam de æqualitate actionis & reactionis, primæ corollarium eſſe affirmat, ita enuntiatam: Summa motus corporum plurium verſus datam directionem, eadem manet in mutua eorum actione & colliſione, niſi interveniente alio turbentur. Contra eos, qui vires corporum metiuntur per quadrata velocitatum, prolixius diſputat, & ingenioſam demonſtratio- 120.
nem a Bernoullio excogitatam in eo fallere ait, quod ſuppoſuerit vir celeberrimus, vim a corpore in colliſione amiſſam, æquari vi totali in altero productæ, quæ tamen æſtimari deberet ex ea ſolum vi, quam alteri imprimit iuxta directionem, in qua ipſum ante colliſionem movetur. Hanc menſuræ virium oppugnationem pluribus, præſertim e compoſitione motus deſumtis argumentis, per integrum caput continuat. Cap. 147.
III. de potentiis mechanicis, duobus problematibus abſolvi docet Mechanicam practicam; ut nimirum determinetur potentia dato ponderi æquilibrans, & ut reperiatur ratio potentiæ ad pondus, quæ maximum in dato caſu effectum edit. Notam legem æquilibrii in vecte, nova, ſed ſatis prolixa demon- 150. 153.
ſtratione munit, quæ inchoat a caſu ſimpliciſſimo, ubi pondus eſt ad potentiam ut 2 : 1. & ad aliam quamvis rationem rationalem ſucceſſive extenditur; eandem vero legem in iis quo- 154.
que caſibus obtinere, ubi ratio ponderis ad potentiam irrationalis eſt, nonniſi analogice probat. Corporum ſimilium fir- 160.
mitatem in ratione minore ac magnitudinem creſcere, oſtendit; unde colligit, in fabricandis machinis, tam naturæ quam arti 161.
ſuos aſſignatos eſſe limites. Alteram Mechanices partem, 171.
ubi effectum machinæ metitur facto ex pondere ſuperando in eiusdem velocitatem, paucis quibusdam exemplis illuſtrat. Indicat nimirum, machinam a fluido motam plurimum effice- 172.
re, ſi illius ad huius velocitatem fuerit ut 1 : 3. & tum pondus, quod machina ſuſtentare valet, eſſe ad impetum fluidi ut 4 : 9. Potentiam datam datum pondus ſuper plano in- 173.
clinato elevare ad determinatam altitudinem tempore minimo, ſi ea fuerit plani longitudo, ut potentia æquilibret ponderi ſuper eo conſtituto dato duplo maiori. Planum iuxta datam 174.

Digitized by Google

directionem a fluido impelli vi maxima, ſi cum huius dire-
Pag. 175. ctione faciat angulum 54° 44′, quod applicat ad molas ala-
176. tas & navium vela. Monet tamen, angulum modo determi-
natum ſub initium ſolum motui maxime favere; machina au-
tem iam in motu conſtituta, tam ex huius, quam ex fluidi im-
pellentis celeritate, veram eiusdem quantitatem reperiri, alia
tamen ratione, ac docuit Cl. Dan. Bernoulli in ſua Hydrodyna-
179. mica. Perpetuum mobile impoſſibile ipſi videtur, quia po-
tentia reſpectiva verſus datam plagam directa nunquam pot-
183. eſt augeri. Cap. IV. de corporum colliſione agit. Negat A.
186. in colliſione corporum mollium partem vis in compreſſione
partium conſumi, harum enim quamlibet, quam accepit velo-
187. citatem aliis ſubſequentibus reddituram putat, nec cohæſionem
191. partium virium quantitati aliquid detrahere. Determinat mo-
tum, qui oritur, ſi corpus data celeritate latum in plura quie-
ſcentia ſimul impingit; cuius problematis caſum ſpecialiſſi-
193. mum ſolvit Cl. Io. Bernoulli. Ex ſuis etiam principiis demon-
ſtrat, quod in colliſione corporum elaſticorum, eadem ſemper
ſumma factorum ex maſſis in quadrata celeritatum conſerve-
194. tur; & ex iisdem derivat *Hugenii* conſervationem vis aſcen-
dentis, ſeu theorema, quod ſyſtematis corporum elaſticorum
centrum gravitatis commune ad eandem ſemper altitudinem
perveniat, ſive ante ſive poſt colliſionem illa omnia ea, quam
197. habent, velocitate verticaliter ſurſum aſcendant. Cap. V. de
motu proiectilium in vacuo, de cycloide, deque motu pen-
duli in ea, continet ſchedas duas, ab auctore in uſum audito-
rum conſcriptas, quas ſupplementi loco adiecit editor.

221. *Lib. III.* gravitatem analytice demonſtratam exhibet A.
ibique Capite I. theoriam gravitatis, quatenus ante Iſaaci New-
toni ætatem cognita fuiſſe videtur. Fuſius oſtendit, qua ratio-
232. ne cognoſcatur figura terræ ſphærica, & quomodo formetur
notio gravitatis, quam pro univerſali materiæ attributo habet,
233. quia ſemper proportionatur quantitati materiæ. Eius dif-
240. ferentiam ab aliis potentiis mechanicis in eo potiſſimum po-
nit, quod in corpora quieſcentia haud maiori vi agat, ac in ea,
242. quæ motum iam acquiſivere. Cap. II. lunam eſſe corpus
grave,

grave, eodem, quo corpora terreſtria, modo, verſus terram
gravitans, probaturus, demonſtrat primum, lunam verſus ter- Pag. 244.
ram tendere; dein vim, quæ id efficit, eſſe gravitati ſimilem, 245.
ſeu eandem legem obſervare; & tandem, eam eſſe gravitati 248-251.
æqualem, ſeu eundem effectum edere in æquali a centro di- 252-254.
ſtantia. Cap. III. de ſyſtemate ſolari, & parallaxi planetarum 255.
atque fixarum, loquitur. A ſolis athmoſphæra, ad ingentem 271.
diſtantiam protenſa, dependere arbitratur annulum lucidum,
lunam eclypſatam interdum circumdantem; nec caudam co- 272.
metarum aliunde proficiſci putat, quam ab aſcenſu vaporum
valde rarefactorum in denſiori ſolis athmoſphæra. Cap. IV. 274.
de univerſali materiæ gravitatione agit. Quamlibet corporis 276.
particulam gravitare aſſerit verſus reliquas omnes, & has actio-
nes ſimul ſumtas efficere gravitatem totalem. Gravitate cubo 280.
diſtantiæ reciproce proportionali exiſtente, particulas ſimiles, ſimiliter reſpectu ad aliam poſitas, æqualem verſus eam niſum adhibituras fore, & hunc infinite maiorem futurum in contactu ac alibi, ſq. ratione demonſtrat. Sit PAEa conus, & Bb, Dd, Hh &c. ſectiones baſi parallelæ; ſumatur $PA : PB = PB : PD$, & dividantur ſegmenta AabB, BbdD in partes ſimiles infinite parvas numero æquales ſectionibus k, l, m, n &c. Iam, in ſimilibus eodem modo determinata eandem habent rationem, hinc $Ak : Bm = PA : PB$; eſt vero particula Aka ad Bmb ut $Aa^2 . Ak : Bb^2 . Bm = PA^3 : PB^3$, & prioris ad alterius vim centripetam ut $PB^3 : PA^3$ per hyp. hinc vires, quibus hæ particulæ verſus P. tendunt, quarumque ratio e duabus allatis componitur, erunt æquales; ita etiam patet, kl & mn, lB & nD, & hinc integras AabB ac BbdD eundem verſus punctum P niſum exſerere. Sumtis $PB : PD = PD : PH$, eadem ratione demonſtratur, vim tendendi verſus P particulæ DdhH æqualem eſſe vi partis BbdD ſive AabB. Sumi vero poſſunt continue proportionales in infinitum, donec perveniatur ad particulam infinite parvam ipſi P proximam, quæ pariter haud minori conatu ac AabB verſus P tendit; unde patet, vim cohærentiæ ſeu attractionis in contactu eſſe infinite maiorem ac in aliqua diſtantia. Gravita-

Pag. 287. vitatem eſſe univerſale materiæ attributum, inde confirmari aſſerit, quod in vicinia montis grandioris a vera verticali aberret
288. perpendiculum. Cap. V. de quantitate materiæ, & denſitate ſolis atque planetarum, principia indicat, ex quibus ratio maſſarum & denſitatum Solis, Iovis, Saturni, atque terræ in-
291. veſtigatur; & rationem, cur planetæ denſiores ad ſolem propius accedant, rariores longius ab eodem removeantur, inde reddit, quod illi maiori premuntur æſtu.
295. *Lib. IV.* effectus gravitatis univerſalis ſynthetice demon-
300. ſtrat. Cap. I. de centro ſyſtematis ſolaris: Cap. II. de parvis quibusdam irregularitatibus in motu planetarum, a gravitate dependentibus, diſſerit. Has a mutua corporum coeleſtium in ſe actione oriri oſtendit, eo quidem maiores, quo longius
303. planetæ a ſole recedunt; & orbitas planetarum ſuperiorum accuratius determinari, ſi pro foco ſumatur inferiorum & ſo-
305. lis centrum gravitatis commune. Cap. III. Acceſſum & receſſum planetarum, in ſingulis circa ſolem revolutionibus, explicat. Examinat hic motum proiectilium in diverſis hypo-
314. 318. theſibus; & agit ſimul de motu apſidum, deque reductione
323. eius ad inceſſum corporis in orbita mobili. Cap. IV. de motu lunæ, anomalias eius ex actione ſolis nunc maiore nunc minore, nunc cum gravitate lunæ verſus terram conſpirante
335. nunc eidem contraria, oriundas enumerat. Cap. V. ex litteris a Cl. A. ad D. Beniaminum Hoadley datis, iterum adiecit editor. Demonſtratur in eo, in plano immobili planetas ſecundarios deſcripturos fore epicycloides, ſi tum ipſi, tum quos ſequuntur primarii, motu uniformi incederent in orbitis cir-
344. cularibus in eodem plano ſitis. Cap. VI. figuram terræ &
349. præceſſionem æquinoctiorum exponit A. Huius rationem reddit ſq. modo: Actionem ſolis lunæ nodos retrogrados facere notum eſt; iam ſi corpus in minori diſtantia terram ambiret, nodi eius pariter, ſed tardius, retroceſſuri forent; huiusmodi corporibus accumulatis donec efficiant annulum circa æquatorem idem eveniet, hoc tandem annulo ſuperficiei terræ iuncto, nodi retroibunt quidem, ſed tardiſſime, cum movenda ſimul ſit integra terra. Elevatio autem terræ ſub æqua-

tore

Digitized by Google

tore vicem ſubit huius annuli, & luna, ſolis actioni ſuccurrens, nodorum retrogreſſum, qui cum præceſſione æquinoctiorum idem eſt, paulum iterum auget, ita ut 50. circiter minuta ſecunda intra annum abſolvat. Cap. VII. de fluxu & refluxu Pag. 351.
maris, totam hanc theoriam accurate & perſpicue tradit, omiſ-
ſis ſolum demonſtrationibus perplexioribus. Cap. VIII. de 369.
Cometis differit A. Hos, motu a reſiſtentia athmoſphæræ 374.
ſolaris continue retardato, magis magisque ſoli appropinquari ſuſpicatur, donec penitus in eum incidant, exhauſtum conti-
nuo effluxu ignem reſuſcitaturi. Idem in fixis contingere 375.
contendit, & eiusmodi cometas, ab his abſorptos, fuiſſe ſtellas novas, brevi tantum temporis tractu viſas. Reliquas autem viciſſim apparentes & diſparentes, pro fixis habet, ex una parte
lucidis, ex altera opacis. Ex ſua de cometarum interitu hypo- 376.
theſi, argumentum deſumit contra immutabilem mundi æternitatem. Reddit quoque rationem, cur cometæ in orbitis maxime eccentricis, & a ſe invicem enormi intervallo remotis, moveantur; prius nimirum efficit, ut incredibili rapiditate ſyſtema planetarium peragrantes motus eius ordinarios parum turbent; alterum impedit, quo minus in elongatione maxima ſibi ipſi ſint impedimento. Integro operi calcem imponit
Cap. IX. de ſupremo univerſi auctore atque gubernatore, vero 377.
ac vivo Deo. Taxatis præcipuorum Philoſophorum errori-
bus, Leibnitium quoque, & quosdam ſectatorum eius, abſolu- 380.
tæ neceſſitati ubivis introductæ Deum temere ſubieciſſe; ſolum Newtonum, argumentum arduum ſatis circumſpecte tra-
ctaſſe contendit. In creatione mundi, ipſius auctorem liber- 382.
rime, hoc eſt ex noſtri ſententia ſine motivis ex rerum natura deſumtis, egiſſe ut probet, ea, quorum ratio nos latet adhuc, exempla producit, v. c. fixarum a ſe invicem diſtantias, motum planetarum ab occaſu verſus ortum, & huic contra-
riam Cometarum directionem. Phraſin Newtonianam, quod 383.
Deus omnia quæ in ſpatio fiunt percipiat, tanquam in ſenſorio ſuo, nihil aliud indicare aſſerit, quam quod ea quæ contingunt immediate intelligat, uti nos percipimus quæ ſenſibus
ſunt præſentia. Newtonum ſpatium unquam habuiſſe pro 384.

 attri-

Digitized by Google

attributo divino, negat, licet neceſſariam ſpatii & temporis exi-
ſtentiam inde probaverit, quod Deus ſemper & ubique exi-
Pag. 386. ſtat. Ea quæ de Deo ſcimus, a poſteriori ſolum ex operibus,
minori evidentia ac veritates Geometricas & ſpatii realis exi-
387. ſtentiam, cognoſci credit. Male Deum repræſentari, ait, tan-
quam intelligentiam extramundanam: cum enim præcipuum
univerſi motorem eſſe, & potentiam generalem, in quam
omnes naturæ vires reſolvi poſſent, ab ipſo maximam partem
391. dependere. Tandem ex imperfectione cognitionis noſtræ, &
ingenti plura ſciendi deſiderio, concludit ad probabilitatem vitæ alterius, & futuræ cognitionis emendationis. Clar. A. qui in prælectionibus ſuis academicis eo ſemper reſpexit, ut dilucide & perſpicue exponat res maxime abſtruſas, hoc etiam opus eo præſertim fini compoſuit, ut veritates phyſicas maxima qua fieri poſſet perſpicuitate donaret, omiſſis demonſtrationibus difficilioribus, aliunde petendis. Iis igitur præcipue commendari meretur liber ſæpe laudatus, qui accingunt ſeſe lectioni principiorum philoſophiæ naturalis mathematicæ, operis conſummati, ſed intellectu paulo difficilioris tironibus.

SACROSANCTUS EVANGELIORUM CODEX S. Euſebii magni epiſcopi & martyris manu exaratus, ex avtographo baſilicæ Vercellenſis ad unguem exhibitus, nunc primum in lucem prodit opera & ſtudio IOANNIS ANDREÆ IRICI, Tridinenſis, collegii Ambroſiani doctoris. Cum eiusdem præfatione, notis, & concordantibus aliorum codicum & SS. PP. lectionibus.

Mediolani, in regia curia 1748. Proſtat apud Bibliopolam Ioſephum Bonacinam, 4. Alph. 5. pl. 4. tabb. æn. in 4.

Inſignem hunc codicem iam olim *Ioſephus Blanchinus* edere paraverat. Anno R. S. 1747. Vercellas ſe confert *Iricus*, poſtquam Tridinenſem ſuam hiſtoriam ad finem perduxerat. Ibidem codicem Euſebianum videt, immo etiam apographum eius, a *Franciſco Hieronymo Ruggerio*, Novarienſi, S. Th.

S. Th. Doctore, & Canonico Euſebiano, exaratum, eum in finem accipit, ut a perito aliquo Mediolanenſi bibliopego pretioſis integumentis ornandum curet. Exſcribit illud, cum vulgata editione confert, notas addit, de impetranda tamen a *Blanchino*, vel etiam *Ruggerio*, edendi facultate, plane deſperat. Tum vir quidam Roma adveniens certiorem ipſum facit, *Blanchinum* aliis rebus ita inſudare, ut de edendo hoc codice cogitare minime poſſit; annalium præcipue eccleſiaſticorum ſeriem proſequi ab eo tempore, in quo *Raynaldus* deſiit. Hiſce animus additur Noſtro; editionem ſerio aggreditur, inſciis tamen *Blanchino* & *Ruggerio*. Hæc in præfatione *Iricus* nos docet. In eadem, ea, quæ *Blanchinus* de ipſo codice iam evulgaverat, apponit integra. Cum in paucorum manibus *Blanchini* opus verſetur, quædam inde excerpere liceat. Ex vita Euſebii, a *Io. Stephano Ferrerio* conſcripta, conſtat, illum in montes Bugellenſis ditionis, & ultra Padum, ad caſtrum Credonenſe, tum dioeceſeos Vercellenſis, diverſis temporibus ſeceſſiſſe, ibique quatuor evangelia ſcripſiſſe, quæ ad hunc usque diem conſervantur. Idem codex, iniuria temporis aliqua ex parte conſumtus, & folium eius unum religioſis quibusdam perſonis reliquiæ loco datum fuit. Rex Berengarius librum argenteis laminis contegendum curavit. Dictus modo *Ferrerius* evulgare voluit codicem, ſed morte præventus fuit. De forma codicis, ut de antiquitate eius iudicium ferre valeamus, hæc monentur: „Codex hic tenui conſtat membrana, quæ quidem, nullo fucata colore, candidiſſima eſt. Quadratæ fere eſt figuræ, adeo, ut parem habeat longitudinem & latitudinem. Notæ omnes ex earum genere ſunt, quas maiusculas appellare conſuevimus. In columnas geminas ſingulæ paginæ diſpertiuntur, nullis additis interpunctionis ſignis, vel capitum, aut verſiculorum diſtinctione. Diphthongi etiam ſeparatis notis exprimuntur.“ Hinc quarto poſt C. N. ſæculo recentiorem hunc codicem non eſſe, facile concedi poteſt. *Iricus* autographum Euſebianum ita lectorum oculis ſubiecit, ut pagina paginam, columna columnam, & linea lineam redderet. Maiusculis etiam formis ſingula exprimenda curavit. Animus erat, paginas omnes æneæ laminæ inciſas exhibere: ſed omiſſum hoc fuit, quoniam autographum Medio-

diolanum deferre minime licuit. Ordo Evangeliorum iſte eſt, ut primum Matthæi, deinde Ioannis, tertio loco Lucæ, poſtremo Marci evangelium collocetur, ut in vetuſtiſſimis aliis codicibus fieri ſolet. Multa de hoc ordine ex *Blanchino*, aliisque, proferuntur, & Matthæum Ioannemque ideo ceteros præceſſiſſe iudicatur, quod hi ipſi apoſtoli fuerint, Marcus autem, & Lucas, apoſtolorum tantum diſcipuli. Lucas in hoc codice *Lucanus* vocatur, ut in Vindobonenſi & Corbeienſi codicibus. Deſiderantur in eodem 12. primi verſiculi capitis VIII. evangelii ſecundum Ioannem. Porro, cum vulgata editione conferenti hunc codicem, ſequentes in primis occurrunt additiones, & diverſæ lectiones. Matth. XX. col. 219. in Euſebiano codice legitur: „Vos autem quæritis de puſillo „creſcere, & de maiore minores eſſe. Intrantes autem & rogati „ad coenam, nolite recumbere in locis eminentioribus, ne forte „clarior te ſuperveniat, & accedens qui ad coenam vocavit te, di„cat tibi: adhuc deorſum accede, & confundaris. Si autem in lo„co inferiori recubueris, & ſupervenerit humilior te, dicat tibi qui „te ad coenam vocavit: accede adhuc ſuperius, & erit hoc tibi uti„lius.“ Item hic legitur: „quod natum eſt de ſpiritu, ſpiritus eſt, „quia Deus ſpiritus eſt, & ex Deo natus eſt.“ Matth. col. 329: „Et induerunt eum tunicam purpuream, & clamydem coccineam „circumdederunt ei.“ Luc. col. 796. ſq. „Dixit autem ad illum „Ieſus: ſinite illum, & nolite prohibere. Qui enim non eſt adver„ſus vos, pro vobis eſt. Nemo eſt enim, qui non faciat virtutem „in nomine meo, & poterit male loqui de me.“ Tres ultimæ columnæ evangelii ſecundum Marcum, recentiore manu additæ, vulgatam reddunt verſionem. Hæc a Noſtro minutiore caractere repræſentantur. Cetera, quæ ita temporis edacitatem ſenſere, ut litterarum formæ penitus evanuerint, punctis quibusdam lineas efformantibus exhibere neceſſe fuit, ut & lacunæ indicarentur, & verſuum paginarumque, immo & verborum, numerus ſibi conſtaret. V pro B pluries reperitur. De ſoloeciſmis eadem *Iricus* repetit, quæ alii de ſoloeciſmis auctorum N. T. monuerunt. Addit tamen, ea, quæ in ſoloeciſmorum numerum vere ſint referenda, non S. Euſebio tribui debere, ſed iis, qui ante illum Italam verſionem vel compoſuerunt, vel deſcripſerunt: ab omni enim emendatione modeſtiſſimum epiſcopum abſtinuiſſe. Tum de loco, ubi conſcriptum dicitur hoc exemplum, paulo fuſius exponit, & prope caſtrum Credonenſium, non vero in Bugellenſibus Alpibus, Euſebium ſcripſiſſe evangelium, ex ſcriptore actuum Euſebii probare annititur. Notæ textui ſubiunctæ, variantes e verſione vulgata depromtas lectiones ſiſtunt: illæ autem, quæ finem operis faciunt, notæ aliorum codicum, Patrum etiam, & verſionum orientalium, lectiones vel omiſſas, vel additas, vel mutatas, complectuntur. Figuræ æneæ tum ſpecimen characterum codicis, tum integumenta eiusdem & ornamenta, lectorum oculis ſiſtunt. Ubique ſumma elucet diligentia.

Digitized by Google

NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipſiæ

Calendis Auguſti Anno MDCCLVII.

CATALOGO DEGLI ANTICHI MONUMENTI di Ercolano.

i. e.

CATALOGUS VETERUM MONUMENTORUM Herculanenſium, congeſtus ab OCTAVIO ANTONIO BAYARDI, Protonotario apoſtolico, dicatus Regi Siciliarum, Carolo.

Neapoli 1754. TOMUS I. 2 Alph. 13 plagg. duern. in fol. charta max.

Iuſſu & auſpiciis utriusque Siciliæ Regis in publicum prodit ſplendidiſſimum hoc Opus. Eidem quoque inſcribitur Præfatio. Reddit in ea Rev. Auctor rationem conſilii ſui, & exponit, quo ordine de ſingulis monumentorum hic detectorum generibus acturus ſit. Plus famæ adeptæ ſunt ruinæ Herculani ſubterraneæ, quam ſalva & incolumis habuit hæc civitas. Quidni ruderibus eius eandem adhibemus religionem, quam Palmyra, Perſepolis, Babylon, Ninive, ab aliis expertæ ſunt. Deſinemus iam credere, complura inſtrumenta, vitæ humanæ apprime utilia, recentioris ævi inventa eſſe. Veteribus ea iam cognita fuerunt, ut hic exemplo vaſorum culinariorum, & inſtrumentorum quorundam Chirurgicorum, docetur. Vaſa igitur noſtra culinaria iam veteribus in uſu fuerunt, quamvis eorum non meminit Apicius.

Digitized by Google

In Claſſe I. deſignantur DCCXXXVIII. Picturæ ad hoc usque tempus detectæ. Earum, quæ forſitan deinceps detegentur, ratio habebitur in ſpicilegio.

Claſſis II. Statuas & Buſta e metallo & marmore continet CCCL. Inſeruntur Inſcriptiones quædam noviter repertæ, ſed breviſſimæ.

Claſſis III. vaſa, pateras, ollas, cacabos, & ſimilia hic inventa deſignat, numero DXXXII. Tale pag. 241. eſt vas ad calefaciendum vinum, aliumve liquorem uſitatum. Deſcribit id Seneca Quæſt. Nat. III. 24. *Facere ſolemus*, inquit, *dracones & miliaria, & complures formas, in quibus aere tenui fiſtulas ſtruimus per declive circumdatas: ut ſaepe eundem ignem ambiens aqua per tantum fluat ſpatii, quantum efficiendo calori ſat eſt. Frigida itaque intrat, effluit calida.* Sequuntur vaſa argentea LIV. vitrea CLXIV. & CIXC. ex creta. Eſt inter hæc p. 282. Saginarium Glirarium. Deſcribitur id a Varrone de Re Ruſt. L. III. c. 14. *Hi ſaginantur,* inquit, *in doliis, quae etiam in villis habent multi, quae figuli faciunt, multo aliter atque alia; quod in lateribus eorum ſemitas faciunt, & cavum, ubi cibum conſtituant. In hoc dolium addunt glandem, aut nuces iuglandes, aut caſtaneam; quibus in tenebris, cum cumulatim poſitum eſt in doliis, fiunt pingues.* Proximi ſunt Tripodes XXIV. cum Lucernis CLXIII. & Candelabris XL. quæ excipiunt miſcellanea DCCXXXII. Notabile inter hæc p. 416. monumentum pietatis ex creta, in quo femina ſedens lacte ſuo ſenem patrem alit. Patrem Plinius dicit, & Feſtus; matrem Solinus, ne, quod ſemper facit, Plinium compilaſſe videatur. Solinum ſequitur Valerius Maximus, rem omnium latiſſime narrans. *Sanguinis ingenui*, inquit, *mulierem, Praetor, apud tribunal ſuum capitali crimine damnatam, triumviro in carcere necandam tradidit. Quo receptam, is qui cuſtodiae praeerat, miſericordia motus, non protinus ſtrangulavit. Aditum quoque ad eam filiae, ſed diligenter excuſſae, ne quid cibi inferret, dedit: exiſtimans futurum, ut inedia conſumeretur. Cum autem iam dies plures intercederent, ſecum ipſe quaerens, quidnam eſſet, quo tamdiu ſuſtentaretur, curioſius obſervata filia,* ani-

animadvertit illam, exſerto ubere, famem matris lactis ſui ſubſidio lenientem. Quae tam admirabilis ſpectaculi novitas ab ipſo ad Triumvirum, a Triumviro ad Praetorem, a Praetore ad conſilium iudicum perlata, remiſſionem poenae mulieri impetravit. Quo non penetrat, aut quid non excogitat pietas, quae in carcere ſervandae genitricis novam rationem invenit? Quid enim tam inuſitatum, quid tam inauditum, quam matrem natae uberibus alitam. Res accidiſſe fertur Romæ A. DCIII. Memorabilis porro No. DCCXXXII. manus dextra votiva. Votum autem pro maſculina ſobole ſolutum indicat manus dextra, ſecundum Cauſeum, ſiquidem illa maſculæ virtutis ſymbolum eſt. Succedit p. 428. ſenex barbatus, caput pileo Phrygio tectum habens, pedes impoſitos capiti arietis. Ambas manus elevatas tenet, quarum digiti complicati, ſimilitudine benedicentis. Galli dicebantur hoc hominum genus. Qua ratione autem Gallus quis fieret apud veteres, exponit Lucianus, de Dea Sera. *Interim ille mos*, inquit, *poſtquam ſemel ſuſceptus eſt, etiam manet —. Qui iſta de ſe ſtatuit iuvenis, veſtibus abiectis magno clamore in medium prodit, tollit gladium, quales a multis inde annis, ob id ipſum puto, praeſto ſunt. Hoc igitur accepto ſtatim ſe caſtrat, ac per urbem currit, manibus ferens quae abſcidit. In quamcunque vero domum iſta abiecerit, ex ea veſtem muliebrem & mundum accipit.* Digiti contracti, qui benedicentis digitis ſimiles eſſe dicuntur, apud veteres ad populum dicentem referri debere videntur. Ita enim de iis pag. 444. diſſerit Cauſeus: *Illa tres digitos, pollicem, indicem, & medium, elevatos, reliquos duos, anularem & minimum, contractos oſtendit, eo modo, quo veteres ſignificabant verba ſe velle facere ad populum.* Optandum eſt, ut, completo catalogo, Commentarius ſequatur.

IODOCI IOHANNIS STRUCHTMEYERI Animadverſionum Criticarum LIBRI II. In quibus varii Auctores Veteres, Græci & Latini, emendantur, illuſtrantur.

Harderovici 1755. Alphab. 1. plag. 1. in 8.

Inſcripſit hoc Opus, eleganti carmine Elegiaco, Patri ſuo, *Ioh. Chriſtophoro Struchtmeyero*, Hiſtoriarum, Eloquentiæ, & Linguæ Græcæ apud Harderovicenos Profeſſori, Ornatiſſimus Auctor, Iuvenis novemdecim annorum. Animadverſiones eius omnes Criticæ ſunt, & ad loca veterum Auctorum pertinent, quæ virorum doctorum induſtriam & acumen effugiſſe videbantur. Profectæ omnes ſunt ex ſolo ingenio, ſi exceperis quædam ex illis, quæ dantur ad C. Iulium Solinum. Huius enim vetuſta editio, & collatio antiqui Codicis, ad manum fuerunt. Antiqua editio eſt Iodoci Badii Aſcenſii, Salmaſio, & litteratō orbi incognita. Ediderat vero Solinum Aſcenſius Pariſiis, anno MDIII. Præterea ad manus fuit editio Iacobi Graſſeri, nec ipſa Salmaſio inſpecta. Libri I. c. 1. 2. in P. Cornelii Severi Ætna vertitur. Emendaverat hoc Poema Ioſephus Scaliger. Idem deinde edidit Theodorus Gorallus, ſeu, quod verum eius nomen, Ioannes Clericus. Reiicit ille pleraſque Scaligeri emendationes, dicens, Scaligerum ſolius Grammaticæ peritum fuiſſe; ſe vero etiam præſidiis accuratioris Phyſices inſtructum, ad emaculandum hoc opus acceſſiſſe:

Se ſcire errantem lunam, ſoliſque labores,
Unde hominum genus, & pecudes, unde imber & ignis.

Sed commoda, quæ ille ex ſua Phyſices peritia redundatura promiſerat, vix unius hic aſſis eſſe dicuntur. Cap. 3. 6. & 7. Heſychius aliquoties tentatur, & emendatur. Multa difficilia in hoc Lexicographo ſuperſunt, quamvis operam non levem ei navarint viri doctiſſimi, e quibus dudum elucet Ioannes Albertius. Obſervatur vulgatus litterarum ordo usque ad litteram I. Suppeditantur enim hæc tantum promulſidis inſtar. Ciceronis tum locus explicatur Cap. 4: adferuntur quædam Animadverſiones ad ſpecimen novæ editionis Anthologiæ Lat. P. Burmanni Iun. Capite 5: ſuccurritur laborantibus Orphei hymnis Cap. 9: obſervantur nonnulla ad Cornelium Nepotem, Cap. 10: maculæ quædam eluuntur Minucio Felici, Cap. 11: & Ovidius aliquoties emendatur, aut illuſtratur, Cap. 12. Triſt. L. IV. El. III. vſ. 83. qui vulgo ita legitur:

Utere

Utere temporibus, quorum nunc munere freta es,
En patet in laudes area lata tuas.

ſic correxerat C. A. Heumannus, Vir celeberrimus:

Utere temporibus, quorum nunc munere fida es!
En patet in laudes area lata tuas.

Quæ lectio minime probata fuit Burmanno, qui potius ita ſcribendum exiſtimabat:

Utere temporibus, quorum non munere ſpreto,
En patet in laudes area lata tuas.

Sed neque hæc coniectura adriſerat viro erudito in Miſc. Obſ. Vol. II. T. I. p. 47. is igitur hunc locum ita caſtigabat:

Utere temporibus, quorum nunc munere triſti
En patet in laudes area lata tuas.

Quatuor librorum inſiſtens veſtigiis doctiſſimus Auctor noſter p. 72. hæc mavult:

Utere temporibus, quorum uti munere ſueta es,
En patet in laudes area lata tuas.

Cap. 13. Caii Inſtitutionibus, tribus in locis, ſanitas paratur. Paullus in ſentent. reſtituitur ſemel iterumque. Apud Ulpianum lectio vulgata explicatur, & a criſi ſuperflua liberatur. Cap. 14. Auctor Collationis LL. Moſ. & Rom. frequenter emendatur & illuſtratur, & Gloſſæ Nomicæ aliquoties tentantur.

Lib. II. c. 1. animadvertuntur quædam ad Propertium. Florus ſemel, Solinus bis defenditur; prouti c. 2. Propertius paſſim emaculatur, aut illuſtratur, & locus Tibulli vindicatur. Cap. 3. Hermeſianactis fragmentum apud Athenæum purgatur, & cymbæ Charontis, qua carebat, lux infertur. Cap. 4. Solinus aliquot in locis reſtituitur, & Salmaſii in Solino emendatio ſtabilitur. Monetur lector in principio huius loci, Solinum, quamquam virorum doctorum, ac præſertim Claudii Salmaſii cura, multis modis emendatior hodie circumferatur, cum innumeris tamen corruptelis atque lectionum monſtris adhuc luctari. A librariis enim, ac ſciolis, plurimis in locis prave admodum exceptum fuiſſe; obrutum etiam iacere larga meſſe ſpuriarum lectionum, quæ originem capiant ex priori

eius editione. Iterum Solinus pluribus in locis emaculatur in c. 5. ubi & Suetonio binis in locis ſcriptura ſua adſeritur, & Orpheo in Argonauticis medicina paratur. Euripidis Iphigenia in Aulide nævis quibusdam liberatur in c. 6. ubi vapulat Barneſius, & in ordinem cogitur Pauwius ad Hephæſtionem. vſ. 1592.

Ταύτην μάλιςα τῆς κόρης ἀσπάζεται.

male verti dicitur p. 131.

Hanc magis quam puellam dignatur,

quum ſcribendum ſit:

Hac prae puella contenta eſt.

Loquitur autem Euripides de capra. Augmentum etiam extra chorum a poetis Atticis aliquando eſſe omiſſum, in initio verſus, c. 7. probatur contra Daweſium Miſcellan. Crit. p. 335. Anapæſtos a Tragicis & Iambographis paribus in ſedibus admiſſos eſſe, pluribus demonſtratur in c. 8. ubi etiam oſtenditur, ſolere poetas N ἐφελκυςικὸν adhibere; etiamſi apoſtropho commode uti poſſint. Eiusdem Euripidis Hercules furens mendis liberatur in c. 9. & nova lux Propertio adfertur in c. 10. Adhibetur hic verſuum transpoſitio, Propertio ſalutaris; quo genere etiam Scaliger & Broukhuſius delectati ſint: quamquam id damnent Itali, & noviſſime Vulpius, codicibus MStis maiori religione inhærentes. Rurſus Propertii loca quædam examinantur c. 12. poſtquam incerti fragmentum apud Stobæum emaculatum eſt c. 11. Non tamen facile cuivis probabitur emendatio, qua p. 166. Propertii L. IV. El. III. v. 53.

Omnia ſurda tacent: raris adſueta Kalendis
Vix aperit clauſos una puella lares,

ſic legitur:

Omnia ſurda tacent. lanis adſueta Kalendis
Vix aperit clauſos una puella lares.

eſt enim hæc emendatio longius quæſita, quam recepta lectio. Caput 13. & 14. denuo pertinent ad Solinum, in quo varia monſtra profligantur. Docte etiam & eleganter p. 180. graviſſimum mendum ex Ampelio aufertur. Legitur ibi vulgo: victus ab Athenienſibus (Darius) ducenta millia apud Pſeudomarathona deceſ-

Digitized by Google

deceſſit. Pro ducenta millia, recte Perizonius, ducente Miltiade, reponit. De Pſeudomarathone nihil ſcio, inquit Dukerus. Tanto maioris facienda emendatio ſagaciſſimi Struchtmeyeri, legentis: Victus ab Athenienſibus, ducente Miltiade, apud ſaltum Marathona deceſſit. Sequuntur Indices duo, alter auctorum, alter rerum & verborum. Si ita perrexerit politiſſimus Auctor, brevi futurum ſperamus, ut Tollios, Beſtios, Sibenios ſuperet.

IANI PLANCI ARIMINENSIS DE URINA cum Sedimento Coeruleo, ad Amicum Bononienſem Epiſtola.

Venetiis 1756. pagg. 12. in 12.

Epiſtola hæc Cel. *Planci* continet obſervationem raram, Viri ſexagenarii, morbo acuto correpti, & eodem denati, qui tertio decubitus die urinam mingere coeperat cum ſedimento pulchre coeruleo, quod cyaneum illum veterum, ſeu Berolinenſem recentiorum colorem, referebat, quod & Amico ſuo, Medico Bononienſi, & aliis quamplurimis, ſingulare admodum, & plane inauditum viſum eſt. Per octo circiter dies reddidit æger urinam hanc cum hoc ſedimento coeruleo, & cum odore admodum ammoniacali; & quamvis circa finem vitæ colligi amplius non poſſet, tamen ſtragula & lintea omnia hoc colore tunc inſigniter inficiebat. Poſt mortem diſſectum fuit a *Planco* cadaver, in quo ſphincter veſicæ valde anguſtus erat; laboraverat enim æger a duobus annis difficultate urinæ, ut calculum in veſica geſtare crederetur. Veſica valde craſſa erat, cum plicis variis, ut ſunt in ventriculo, & cum variis illis herniis a Cl. *Morgagno* deſcriptis. Ureteres valde dilatati erant, ut inteſtinula agni referrent, & inflati, atque exſiccati, una cum portione veſicæ. In primo eorum in veſicam ingreſſu valvulam ſemilunarem, ſeu conniventem, oſtendebant, ut ſunt valvulæ huius generis in inteſtino colo, & in canali veſicæ felleæ. Fortaſſe, ut opinatur Plancus, in uretheribus hoc modo dilatatis, valvula hæc

hæc ſemper cernitur, quam in aliis uretheribus in ſtatu naturali cernere *Planco* non licuit, qui eam in variis poſt hanc obſervationibus quæſivit. Cætera viſcera huius ægri ſana pene omnia apparuerunt. Dum quærit *Plancus* cauſſam mictus huius coerulei, & quum per Urbem Ariminum caſus narraretur, retulit ei mulier ſexagenaria, & ſe hoc mictu coeruleo viginti abhinc annis per tres vel quatuor dies laboraſſe, poſtquam ſumſiſſet Pilulas quasdam, quas Loyolitæ Novellarienſes vendere ſolent ad alvum laxandam. Ex his Pilulis paſſa eſt prius mulier hypercatharſin magnam, deinde per varios dies reddidit urinam iſtam coeruleam, quæ fundum & latera matularum ita infecerit, ut nullo lixivio detergi poſſet. Apud Actuarium, Medicum Græcum ſequiorum ſæculorum, qui tamen ſatis eruditus fuerat, quique multum de urinis ſcripſit, reperit *Plancus* Hiſtoriam, quam de Servo ſuo narrat Medicus, qui loco ægri cuiusdam moroſi ſumſerat paſtillum quemdam amarum, cum oxymelle & aqua fervida, deinde pedibus triginta ſtadia confecit, & Conſtantinopolim reverſus, urinam mingere prius nigram, deinde Venetam coepit, maximo cum ægri timore, & magna cum Actuarii heri ſui admiratione, qui tamen iuſſit eum bono animo eſſe: nam Urinam hanc Venetam, ſeu coeruleam, ut & nigram, lethalem eſſe dicit Actuarius, quippe quæ ab atra bile quadam, ut ait, procedat; ſed ab iſta cauſſa non veniſſe hanc, verum a medicamento. Evenit etiam, ut ſervus ille paullo poſt convaleſceret. Plancus igitur ſuſpicatur, ægrum ſuum, ante morbi ingreſſum, pilulas illas Novellarienſes clam ſumſiſſe, fortaſſe ſuaſu alicuius, quum ipſe, ante morbum extremum, animi pathematibus ex triſtitia propter curas domeſticas laboraret. Siti enim adfectus in toto morbi curriculo æger, ut ex ariditate linguæ palam erat, tamen bibere renuit; quæ ſitis fortaſſe ex hypercatharſi orta erat. Sed quicquid de hac cauſſa ſit, ſemper caſus iſte de Urina Veneta, a Cl. *Planco* relatus, admodum rarus eſt, quum in Hiſtoriis medicis, ſi caſum illum excipias ab Actuario relatum, qui ante fere mille annos floruit, nullum alium caſum ſimilem memorari videamus, præter hunc, & iſtum a Planco

in

in hac Epiſtola relatum, qui digni ſane ad amplificandam Hiſtoriam medicam erant ut memorarentur.

ELIÆ PALAIRET ECCLES. GALLICÆ Tornacenſis Paſtoris, obſervationes philologico-criticæ in ſacros novi foederis libros, quorum plurima loca ex Auctoribus, potiſſimum Græcis, exponuntur, illuſtrantur, vindicantur.

Lugduni Batavorum 1752. apud Cornel. Haak, 1 Alph. 14 pl. in 8. mai.

Non eſt quod de penuria obſervationum in Novum Teſtamentum queramur. Tulit hoc Sæculum, tulit ſuperius, largam eorum ſegetem, qui agrum hunc excoluerunt. Neque poſtremus erit Palairetus, de cuius opere ad lectorem referre animus eſt. Habet illud, ut mortalium omnia, quod laudem mereatur, quod in reprehenſionem incurrat. Intelligas ex ipſa protinus præfatione, Auctorem id præcipue egiſſe, ut N. T. dictionem a ſuſpicione & infamia peregrinarum ſordium liberaret, quas hominum quorundam inſcitia & imprudentia, aliorum libido & nequitia, ſibi viſa fuerat in ea deprehendiſſe. Libenter, quod res eſt, fatemur, Viro docto in hac re bene ſucceſſiſſe. Græcorum auctorum loci, liberaliter per totum opus effuſi, fidem faciunt, eum illos ſedulo triviſſe, & quæ ſibi ad illuſtrandas vindicandasve N. T. dictiones quoquo modo facere videbantur, illinc cum cura enotaſſe atque protuliſſe. Dolendum tamen, ſtuporem illorum hominum, qui, in Græcia hoſpites, quæ nova & inaudita ſibi viderent, ad hebraicam barbaramque omnem civitatem proſcriptum ibant, optimasque & elegantiſſimas quasque phraſes velut impuras damnabant, effeciſſe, ut Noſter vel protrita quæque, & in triviis obvia, ipſisque tyronibus non ignota, numeroſis auctorum teſtimoniis adſtruenda ſibi eſſe exiſtimaret. Indulſit ea in re ſæculi, ſolique, quod ipſum tulit, indoli. Sunt in Belgio, ab illo Viro, qui, dum viveret, Latinorum auctorum ſoſpitator audire geſtiebat, imbuti ea opi-

nione quidam, in lectione veterum librorum verba magis, quam res, ſectanda eſſe. Quo factum eſt, ut ab aliquo tempore prodierint libri tam caſſi bonæ frugis obſervationibus, quam farragine phraſium ubique proſtantium graves & ſuffarcinati. Conſtat ea res exiguo ſudore, multumque valet ad grandem librum cito expediendum; famæ tamen auctorum, & lectorum commodis, parum conducit. Eſt quoque, ut in tanto acervo, quod recte inter legendum perceptum, fideliterque relatum, & apte ad rem præſentem applicatum fuiſſe, certo non confidas. Non uno profecto exemplo nobis conſtitit, Auctorum allegatas dictiones aperte corruptas in teſtimonium advocari; aut alieno, quem fundere nolunt, ſenſu donari. Denique delectum auctorum merito deſiderabunt illi, qui N. T. notis peregrinæ dictionis haud carere contendent. Dictionis Græcæ puritatem ex Artemidoro, Achmete Oneirocritico, Achille Tatio, Cinnamo, aliisque ſimilis farinæ ſcriptoribus probare, infimi ſubſellii ætatisque hominibus, Cappadociæ, Ægypti, Syriæ, Thraciæ civibus, quid aliud eſt, quam oleum & operam perdere, & clavum, quod aiunt, clavo excutere. Sunt quidem a Diodoro Siculo, a Dionyſio Halicarnaſſenſi, ab Æliano, Philoſtrato, aliis, præſertim recentioribus Græcis Latinisve, Græco ſermone uſis, edita in ſuo genere bene ſcripta, ſuisque digna ætatibus: verum, ſi quis illud exemplum, quod Plato, quod Demoſthenes, & ambobus æquales reliquerunt, contendat puræ Græcitatis unicum eſſe, non poſſunt illi recentiores notam aut novitatis, aut affectationis indecoræ, aut denique contractarum ex antiquæ plebis ſermone ſordium effugere. Habuit Græcia quoque ſuas ætates. Æque certum eſt, plebem Atticam, florente republica, uſurpaſſe multa, a quibus caſtigati ſcriptores ſibi magis quam novi temperarunt; atque certum eſt, vulgum Romanum, Ciceronis ætate, nõn multo elegantius locutum fuiſſe latine, quam fecit ſæculum quintum. Quis tamen ferat, Caſſiodori, Apuleii, codicis Theodoſiani eloquentiam cum Tulliana comparantes? Feremus ergo, qui Scriptores latiniſantes pro exemplo caſtigati Græci ſermonis nobis obtrudunt? Eſt alius porro ſcopulus,

pulus, quem prætervehi perarduum eſt, ut mirum non ſit, cum aliis Palairetum quoque in eum impegiſſe. Contigit nempe Novo Foederi, quod Homero, quod Alcorano, quod aliis magnæ exiſtimationis libris contigit. Eos tractare & ornare pro virili dum ſtudent omnes, dum novum quisque ſcitumque quid excudere laborat, quod acumen maiorum ſuperet & deleat; fieri nequit, quin nodum plerique in ſcirpo quærant, & puro ſoli tenebras offundant, per ſe plana & cuivis perſpicua, nimium argutis, longeque arceſſitis atque violentis interpretationibus, obſcurantes. Dum denique ſacra profanis comparant, eo prolabuntur imprudentiæ, ut toto coelo diſſita commiſceant. Quo fit, ut aut maligno & improbo animo inſtituta Chriſtiana traducere, & in caſum dare velle videantur; aut profecto iudicii laude, quæ ſcriptori nulli non in primis venanda eſt, excidant, ad ſedulos compilatores relegandi. Ad quam igitur claſſem interpretum referendus ſit Noſter, faciemus ut conſtet, ſpecimina quædam ex eius Obſervationibus in Actus & Epiſtolas Apoſtolorum prolaturi.

Actorum VII. 5. interpretatur *καὶ*, in illis *καὶ ἐπηγγείλατο δοῦναι*, *etſi promiſiſſet ipſi dare*, adducitque exempla quædam, e quibus confici poſſit, procedere hanc interpretationem, ſi *ἐπαγγειλάμενος* ſcriptum eſſet. Cap. XIV. 27. *μετ᾽ αὐτῶν*, vult, *coram ipſis* ſignificare; & XVI. 13. *οὗ ἐνομίζετο προσευχὴ εἶναι*, idem atque *οὗ προσευχὴ ἦν*, *ubi Proſeucha erat.* Ei opinioni firmandæ allegat Appiani locum: *Κάρον πολεμικὸν εἶναι νομιζόμενον αἱροῦνται ϛρατηγὸν*, quod vertit, *Carum, qui bello ſtrenuus erat, eligunt ducem*; quum Auctor voluerit hominem indicare, fama rei militaris inter contubernales clarum, pro bellicoſo & ſtrenuo vulgo habitum. Cap. XVII. 22. addit calculum Henrico Stephano, *ὡς*, in dictione *Ἄνδρες Ἀθηναῖοι, κατὰ πάντα ὡς δεισιδαιμονεϛέρους ὑμᾶς θεωρῶ*, interpretanti, *paulo, ut ita dicam, ſuperſtitioſiores*; ex eoque aſſerit, *ὡς* idem valere quod *ὡς εἰπεῖν*: quod ut demonſtret, allegat tria exempla, in quibus integra formula *ὡς εἰπεῖν* legitur, verum a re præſenti, quod liquet, aliena, ut unum Herodiani, in quo *ὡς* aut abundat, aut tantundem atque *ὅσον* ſignificat.

nificat. Paullus non ὡς, ſed πως, (particula enclitica,) dederat, *in omnibus propemodum rebus video vos ſuperſtitioſiuſculos.* Cap. XX. 22. δεδεμένος τῷ πνεύματι negotium interpretibus creavit. Palairetus putat, primam vocem a ſequentibus, interpoſito commate, ſeparandam eſſe, & reddendam dictionem: *ego, qui vinciar, proficiſcor cum Spiritu Sancto Hieroſolymas.* Sibi enim δεδεμένος idem atque δησόμενος videri. Δησόμενος hic accepit V. D. pro δεθησόμενος, aut δεδεσόμενος, & poteſt omnino ſic accipi; ſed quid opus illa violentia & illis ambagibus, quum liqueat, Apoſtolum ſimpliciſſimis verbis ſe *ſervum Spiritus* appellare, cui nihil in ſe imperii ſit, utpote quod penés ſpiritum omne ſit. Δεδεμένος *vinctus*, & δȣλος *ſervus pedicatus*, idem profecto ſunt. Cap. XXIII. 1. verti iubet verba πάσῃ συνειδήσει ἀγαθῇ πεπολίτευμαι τῷ θεῷ ſic: *ego omni conſcientia bona vixi cum Deo.* Verum in exemplis allatis nullum eſt, cui σὺν, ut hic loci, deſit.

Epiſtola Paulli ad Romanos Cap. I. vſ. 4. ἐξ ἀναςάσεως reddit, cum aliis, *poſt reſurrectionem*, & refutat eos, qui negaverant ἐξ hanc vim habere. Cap. II. vſ. 2. ſuadet ſic vertere: *novimus autem quod revera ſit iudicium dei in eos —:* vſ. 5. ὀργὴν *vindictam* interpretatur. Cap. IX. 6. ita conſtituit, ut putet ȣχ οἷον idem, quod *non*, ſignificare, & a verbis vſ. 2. dependere, in hunc modum: *Non autem (triſtitia mihi eſt magna & continuus dolor cordi meo) quod exciderit verbum dei.* Ut probet ȣχ οἷον pro ſimplici ȣ poni, allegat loca duo Diodori Siculi, in quibus ambobus ȣχ οἷον idem eſt atque ȣ μόνον, quod neque interpretem Diodori latuit, neque facile quemquam alium latere poteſt. Facile eſt tricas omnes expedire, ſi dicas, Apoſtolum id, quod omnino ſcripſit, ſcripſiſſe ȣκ οἰητέον δὲ, *non autem putandum.* vſ. 10. vertere mallet: *non ſolum autem hoc, ſed etiam Rebecca ſecundum unum idemque* [ſcil. *verbum promiſſionis*] *concipiens erat ex Iſaaco patre noſtro, id eſt concipiebat.* Atqui, ſi hæc admittatur interpretatio, quid fiet verbis ἐῤῥήθη αὐτῇ. vſ. 11. itane reſoluta iacebunt? Eſt profecto hic ἀνακόλȣθον, optimis quibusque ſcriptoribus non faſtiditum, ab Æliano & Philoſtrato ad nauſeam frequentatum,

quo

Digitized by Google

quo nominativus pro genitivo conſequentiæ ponitur; aut, hic loci, pro dativo ἐχȣ́ση κοίτην ἐῤῥήθη αὐτῇ *gerens uterum*, (pro *gerente ipſa*, aut *gerenti uterum*) *dicebatur ipſi.* Deinde, quorſum carnificinam adhibere dictioni ἐξ ἑνὸς? Planius quidem & rectius eſt, aut cum Ἰσαὰκ τȣ̃ πατρὸς iungere, aut cum Havercampo, ἐξ ἑνὸς *ex uno congreſſu* interpretari. Exiſtimat quidem Palairetus, arduum fore opus, *vel unicum* (verba eius reddimus) *e Graecia proferre exemplum, quo* ἐξ ἑνὸς una congreſſione *ſignificet.* Significat procul dubio. Nos dubio illum hoc liberābimus, & pro uno teſtimonio geminum præſtabimus. Philodemus in Anthologia inedita:

πέντε δίδωσιν ἑνὸς τῇ δεῖνα ὁ δεῖνα τάλαντα.

& paullo poſt Idem:

πέντε δ' ἐγὼ δραχμὰς τῶν δώδεκα Λυσιανάσσῃ;

Cap. IX. 28. συντελῶν καὶ συντέμνων ſpecioſe interpretatur συντόμως συντελῶν.

Epiſtolæ I. ad Corinthios c. II. vſ. 2. valde ſe torquet Auctor, in expedienda conſtructione articuli τȣ̃, in illis ȣ̓ γὰρ ἔκρινα τȣ̃ εἰδέναι. Conſtruit nempe ſic: ὅτι γὰρ τȣ̃ εἰδέναι (ſcil. μȣ) ἔκρινα, *nihil enim ſcire* (ſc. *mei*) *ſtatui inter vos.* Viderit, num tortuoſa hæc ipſe intelligat. Abeſt a multis codicibus τȣ̃. Abſit, adſit, neque deſiderabitur, neque nocebit. Eſt παράφυμα ſermonis. Norunt, qui tantillum recentia & inquinatiora Græcorum volumina tractarunt, illis τȣ̃ ante infinitivum ſæpiſſime abundare. Cap. V. 2. demonſtrat, ἔργον ſæpe pro *turpi concubitu*, & hic pro *inceſto*, poni. Quare vero tandem ſimplicibus quæſita præferamus? Verum hæc eſt Noſtri dexteritas, vaſtam eruditionem Apoſtolo, alia omnia volenti, obtrudere. Simile huic id eſt, quod ποιεῖν in illis vſ. 31. εἴτε ȣ̓̃ν ἐσθίετε, εἴτε πίνετε, εἴτε τι ποιεῖτε, πάντα εἰς δόξαν Θεȣ̃ ποιεῖτε, capit de *uſu coniugii.* Quis autem hic Scholaſticum non agnoſcat, qui ſancto ſcriptori turpiculum ſenſum, certe parum gravem, ubi non opus, neque probabile eſt, affingere mavult, quam occaſionem omittere, qua oſtendat, ſe verbum ποιεῖν ſenſu impudico poſitum reperiſſe in auctoribus, & in adverſaria retuliſſe. Quæ ad Cap. XI. 10. nova Noſter

Digitized by Google

ſter affert, ipſis eius verbis exponemus. Locum nempe illum vexatum, διὰ τῦτο ὀφέιλει ἡ γυνὴ ἐξυσίαν ἔχειν ἐπὶ τῆς κεφαλῆς διὰ τῦς ἀγγέλυς, ſic interpretatur: „*Propterea debet* „*uxor ſignum poteſtatis* (ſc. *maritalis*) *ſub capite habere*, (ſc. *ſuo*, „dum in vivis eſt), *& propter doctores eccleſiae*. Primo, ait, per „*caput* intelligo ipſum maritum; deinde ἐπὶ τῆς κεφαλῆς, „*ſub viro*, mihi idem eſt ac *imperante viro;* deinde orationem „bimembrem hic admitto, ſupplens καὶ, ita: ἐπὶ τῆς κε„φαλῆς καὶ διὰ τῦς ἀγγέλυς. Illa ellipſis nec nova nec in„audita eſſe poterit, ſi conſulas exempla quæ dedimus ad Rom. „VIII. 26. Denique per τῦς ἀγγέλυς intelligo eccleſiæ docto„res. Sapientiſſime hic in tranſitu eccleſiæ doctores memo„rat d. Apoſtolus, ut oſtendat, quam decore & caſte feminæ „in conſpectu eorum publico ſe gerere debeant, ne iis offen„diculo ſint inter concionandum." Hactenus Palairetus. Idem ad Cap. XIII. 1. putat, Apoſtolum in dictione χαλκὸς ἠχῶν ad aes Dodonæum, & in κύμβαλον ἀλαλάζον ad tympana & cymbala in ſacris Cybeles, reſpexiſſe. Finge, id ex vero dici. Verum poterantne tam ſapientia & poetica & fabuloſa ſpargentem capere illi, ad quos exarata fuit hæc epiſtola? Non Pauli, ſed ſuam iactat copiam eruditionis, qui talia comminiſcitur, & oſtendit, ſe a ſimplicitate alienum, peregrina & incredibilia captare. Recte vero XIV. 19. adverſus Pearcium tuetur ellipſin μᾶλλον, & monſtrat, proverbiali dictione, Græcis πέντε ῥήματα breviſſimam orationem ſignificare. Super loco XV. 29. de *baptizatis ſuper mortuis*, longum ſermonem inſtituit, & poſt recenſitas breviter variorum varias opiniones, præcipue illam *Bullerii* ſubverſum it, qui in Sylloge Diſſertat. Sacrar. per τῶν νεκρῶν *Ieſum Chriſtum* volebat intelligi, & locum reddi *baptizati in honorem Ieſu Chriſti*. Multis argumentis aggreditur Noſter, & proſternit, ſententiam tam infirmo nixam talo, ſuamque tandem hanc profert interpretationem: *Alioquin quid fient, qui ſubmergentur aerumnis propter mortuos, ſi omnino mortui non reſurgant? quid igitur* (inquam) *ſubmergentur aerumnis propter mortuos*. Si Paulus a Grammaticis & Criticis vexatur & rumpitur, debet id quodammodo

modo ſibi; δυσνόητος enim ab omni tempore audiit. At miſera eius ſors in eo, quod vel ubi planiſſima loquitur, ut nil ſupra, nemo tamen ipſum intelligere velit, aut valeat. Poteratne aliis verbis uti, ſignificaturus de more primorum Chriſtianorum, quo, defunctis neophytis ante perceptum baptiſmum, eorum amici, ipſorum loco & nomine, hoc ſacramento ſe curabant initiari. Quem iam magis miſerearis, Paulum an interpretes? Capite eodem vſ. 34. recte contendit Noſter, δικαίως verti *merito* debere: vſ. 57. adſtruit ſententiam *Raphelii*, διδόντι *promittenti* reddentis.

Epiſtola ſecunda ad Corinthios VII. 9. κατὰ θεὸν vertit *dei ductu, & auxilio, deo auſpice:* IX. 11. verba ἐν παντὶ πλουτιζόμενοι εἰς πᾶσαν ἁπλότητα, vertit, *omnino diteſcentes utamini divitiis ad omnem liberalitatem* ſc. *praeſtandam.* Ad vſ. 21. capitis primi Epiſtolæ ad Philippenſes, inter alia hæc profert: „Eleganter hic loci dicitur Chriſtus κέρδος, *vitam &* „*mortem quod attinet.*" Unde colligi queat, Palairetum locum ἐμοὶ γὰρ τὸ ζῆν χριστὸς, καὶ τὸ ἀποθανεῖν κέρδος, ſic accepiſſe: *& in vita & in morte Chriſtus mihi eſt lucrum.* Ad illa Apoſtoli 1. ad Timotheum III. 15. de eccleſia Dei, στύλος καὶ ἑδραίωμα τῆς ἀληθείας, putat, στύλος καὶ ἑδραίωμα figura rhetorica dictum, pro στύλος ἑδραῖος, & Apoſtolum ad vetuſtam conſuetudinem, leges columnis incidendi, reſpexiſſe. Obfuit viro docto error, per quem στύλος & στήλη confudit, res multum diverſas. In epiſtola ad Hebræos IV. 13. πρὸς ὃν ἡμῖν ὁ λόγος laudat interpretationem Lutheri & aliorum, *de quo nobis ſermo eſt;* illiusque uſus particulæ πρὸς cum accuſativo, pro περὶ cum genitivo, teſtimonium evocat Achillis Tatii p. 533. *ed. Salmaſ.* quem ſi inſpicias, longe diverſum quid ſignificat: οὐδεὶς ἔτι θερσάνδρῳ λόγος πρὸς ἡμᾶς ἦν, notat, *nulla amplius actio, cauſſa, lis, Therſandro contra nos inſtituenda ſupererat.* Contigit Noſtro id in aliis quoque pluribus locis infortunii, ut allegaret eos, qui ad rem demonſtrandam prorſus nihil facere deprehenduntur, quum in nexu leguntur & examinantur. In verbis, VI. 1. τὸν τῆς ἀρχῆς τοῦ χριστοῦ λόγον, ſtatuit hypallagen, pro τὴν ἀρχὴν τοῦ λόγου τοῦ χριστοῦ.

Cap.

Cap. III. 19. epiſtolæ primæ Petri, putat, verba ad hunc modum conſtruenda eſſe: ἐν ᾧ (ſc. πνεύματι) καὶ ποτε πορευθεὶς ἐκήρυξε πνεύμασιν ἀπειθήσασι, τοῖς ἐν φυλακῇ (ſc. οὖσι), *quo* (ſcil. *ſpiritu* Chriſtus; nam cum aliis locum hunc de Chriſto, Noachi tempore, impiis veritatem annunciante accipit,) *vel olim praedicavit hominibus inobedientibus, qui in carcere,* ſc. ſunt. Proſcriptis reliquis interpretibus, iubet illa Ioannis Epiſt. I. cap. IV. 8. ὁ μὴ ἀγαπῶν, οὐκ ἔγνω τὸν Θεόν· ὅτι ὁ Θεὸς ἀγάπη ἐστὶν, ſic vertere: *qui non amat, non novit, (Deum quod attinet,) quod Deus ſit charitas.* Sufficiant hæc in ſpecimen, e quo de reliquis iudicium fiat.

RECHERCHES SUR LA PRECESSION DES Equinoxes &c.

h. e.

DISQUISITIONES CIRCA PRÆCESSIONEM æquinoctiorum & nutationem axis telluris in Syſtemate Newtoniano. Auctore d'ALEMBERT, Academiarum regiarum Pariſinae & Berolinenſis, nec non Societatis regiæ Londinenſis, Socio.

Pariſiis 1749. ap. Davidem ſeniorem, 1 Alph. pl. 5. Tabb. 4. in 4.

Præceſſio æquinoctiorum quid ſit, & quomodo a motu vero axis telluris circa polos eclipticæ ortum trahat, nemini vel tantiſper in Aſtronomia verſato obſcurum eſt. Eo altioris vero cauſa eius eſt indaginis. Syſtema attractionis univerſalis *Newtonianum*, e quo tot alia emanant univerſi phaenomena, etiam huius rationem reddit. Nec ſolum generatim eam exinde derivavit acutiſſimus ſyſtematis illius Auctor; ſed & ſubtiliſſima methodo, veram eius quantitatem, quæ eſt 50. minutorum ſecundorum ſingulis annis, ex eo fonte deducere conatus eſt. Ad ſequentia melius intelligenda, conducet, brevem methodi huius ideam tradere. Concipiatur igitur terra, plano eclipticæ normali, & per centra terræ ſolis-

ſolisque tranſeunte, in duas partes diviſa. Hæ, ſi tellus eſſet perfecte ſphærica, forent ubique prorſus ſimiles & æquales; cum vero ſit ſphæroidica, æquales quidem erunt, aſt non ſimiliter utrinque reſpectu plani ipſius ſitæ, (niſi cadente axe in ipſum planum); unde, ob inæqualem ſolis in utramque partem actionem, iam generatim perſpicitur, axi telluris certum motum rotatorium imprimi. Ad hunc determinandum ſupponit *Newtonus* totam maſſam, qua ſphærois ſphæram excedit, quæque a polo verſus æquatorem continuo creſcit; unitam in forma annuli tenuis, in plano æquatoris ſiti. Iam, ab ipſa ſphæra abſtrahendo, annuli huius particulas haud aliter concipit, ac infinitum numerum exiguarum lunularum cohærentium, &, vi motus diurni æquatoris, eadem celeritate circa centrum telluris motarum. E theoria attractionis invenit, nodos harum lunularum debere retrogredi quotannis 45. minutis circiter verſus occidentem. Tantus ergo foret motus punctorum æquinoctialium, in hypotheſi eiusmodi annuli. Sed primo motus ille diſtribuendus eſt inter annulum & ſphæram ipſam, unde quantitas eius inſigniter minuitur. Dein reſtituendo, annuli fictitii loco, ipſam maſſam, qua ſphæra cingitur, vis ſolis invenitur tantum duas quintas prioris efficere. Porro, inclinatio axis telluris ad planum eclipticæ eandem vim variat. Omnes haſce circumſtantias ſecum combinando, prodit retrogreſſio æquinoctiorum annua 10. minutorum ſecundorum. Tanta eſt actione ſolis tantum; iam lunæ actio eſt huius quadrupla; unde ex utraque coniunctim oritur motus 50. minutorum ſecundorum, quantus actu deprehenditur. Tam inſignis calculi cum veritate conſenſus, haud contemnendum videtur pro corroborando attractionis ſyſtemate argumentum. Verum enim vero, ſi fatendum quod res eſt, principia, quibus theoriam hanc ſuperſtruxit Vir ſummus, haud ſatis firmo fundamento niti, pronuntiat Auctor noſter. Primo enim figuram telluris aliam aſſumit, ac recentiſſimis obſervationibus definita eſt; unde iam haud parum omnia inde deducta mutantur. Deinde ratio inter vires ſolis & lunæ haud omni exceptione eſt maior. Deduxit eam *New-*

Digitized by Google

tonus e variis obſervationibus æſtus marini: ſed eiusmodi concluſio cum in ſe eſt paulo incerta, tum ex aliis obſervationibus ſelectioribus, rationem vis lunæ ad vim ſolis determinare adgreſſus eſt *Dan. Bernoulli* ut 5 : 2; id quod, manentibus omnibus reliquis, reduceret præceſſionem æquinoctiorum ad 35. min. ſec. Præterea in ipſo motu, e ſuppoſitis iſtis determinando, varios paſſus, & incertos & erroneos, quibus enumerandis ſuperſedemus, occurrere oſtendit Noſter. Nequaquam igitur pro attractionis ſyſtemate militat adeo theoria hæc, ac prima fronte videri poſſet. Ut itaque certo conſtet, an actu cum ſyſtemate iſto conſentiat phænomenon præceſſionis æquinoctiorum, an minus, rem totam ab ovo ordiri conſtituit Auctor, methodoque directa, &, quanto fieri poteſt, rigore, motum rotatorium axis telluris, ex actionibus ſolis & lunæ oriundum, definire.

En integrum proceſſum methodi, qua in hac diſquiſitione
Pag. 1. utitur. Ante omnia actionem ſolis & lunæ in terram, ceu ſphæroidem depreſſam, determinat. Utramque, cum e ſumma omnium virium in ſingulas telluris partes componatur, ad unicam reducit. Hoc itaque modo, pro ſingulis momentis conſtat quantitas & directio media virium duarum, quibus axis telluris ſollicitatur. Iam in eo præſertim negotium verſatur, ut, cognitis his viribus, inveniatur motus ex iis oriundus.
17. Subtiliſſima id Analyſi A. exequitur. Principia eius repetit e *Tractatu* ſuo *dynamico*, ubi oſtendit, ad inveniendum motum corporis, a numero virium quotvis ſollicitati, motum eius inſtanti præcedente concipiendum eſſe diviſum in duos motus, quorum unus hiſce viribus deſtruitur, alter is eſt quem actu nanciſcitur, isque talis, ut partes corporis poſſint ſeſe libere ſine impedimento mutuo inſequi. Hunc in finem quoque requiritur ſolutio generalis Problematis ſtatici, de inveniendis conditionibus æquilibrii inter potentias quotvis, ſecundum directiones quasvis, nec in eodem plano, agentes: ea-
41. que hic traditur. Applicantur iam ea omnia ad motum axis telluris definiendum, id quod modo maxime generali efficitur. Duæ autem eruuntur formulæ pro duabus quantitatibus

bus variabilibus, quibus poſitio axis telluris pro quovis momento determinatur: quarum altera eſt arcus, quem motu circulari circa polos eclipticæ deſcribit, altera inclinatio eius ad planum eclipticæ. Non enim illa ſolum, ſed & hæc inprimis in præſenti negotio in computum ducenda eſt. Hunc in finem afferuntur obſervationes de variatione, quibus inclina- Pag. 53.
tio hæc ſubiicitur, ſeu de nutatione axis telluris. Obſervavit nimirum Cel. *Bradleius*, ſatis longa annorum ſerie, axem telluris nutatione ſatis ſenſibili affici, cuius limites ſunt 18. minutorum ſecundorum, periodus autem periodo nodorum lunæ exacte reſpondet, quippe qui ſpatio 19. annorum circiter motu retrogrado revolvuntur. Præterea, ex eadem nutatione, variationem quandam exiguam in ipſa præceſſione æquinoctiorum proficiſci. Idem V. Cl. motus huius hypotheſin ſecundum Cl. *Machinum* tradidit, quacum obſervationes ad 2″ proxime convenire ait; etſi Noſter, facto examine, eam haud exacte veritati reſpondere oſtendat. Sed miſſa hac hypotheſi, videamus, quid obſervationes *Bradleianae*, cum theoria Auctoris comparatæ, præbeant. Egregius ſane hanc inter, & illas, con- 65.
ſenſus deprehenditur. Patet nimirum ex hac, nutationem eſſe motum maxime ſenſibilem omnium, quibus áxis telluris ſubiicitur reſpectu inclinationis ad planum eclipticæ, eamque ſequi exacte leges, quas obſervationibus ſuis detexit *Bradleius*. Porro, puncta æquinoctialia debere retrogredi ſatis lente, motumque hunc proxime ſaltem eſſe uniformem, & variatione exigua affici, quæ ab ipſa illa nutatione pendet, quæque item obſervationibus confirmata eſt. Certe maior theoriæ attractionis cum veritate conſenſus vix deſiderari poſſet. Quæ 73.
tam e nutatione axis telluris, quam ex æquatione præceſſionis æquinoctiorum, reſultent aberrationes in fixarum aſcenſione recta & declinatione, in ſequentibus oſtendit Auctor. Omnia iſta ad formulas maxime ſimplices reducuntur; unde & Aſtronomis, ea impoſterum cum obſervationibus comparare, & magis certiora reddere, in promtu eſt. Ut etiam 81.
certitudinem calculorum ſuorum eo magis comprobaret Auctor, varia ex eo prodeuntia etiam aliis modis ita erui, & ve-

 ritati

Digitized by Google

ritati reſpondere, ſigillatim oſtendit. Porro, e theoria præ-
Pag. 95. cedenti conſectaria quædam ad figuram terræ eruit. Nimirum, in ſolutione generali terram aſſumſit ceu ſphæroidem, e ſtratis ſolidis compoſitam, quorum denſitas variet ſecundum legem quamvis, figura autem ſit quæcunque modo ad ſphæricam proxime accedat. Verum, etſi Problemati ſic maximus inducatur ambitus, ſolutio tamen eo ipſo redditur nimis indeterminata. Cum ergo interiorem terræ ſtructuram prorſus ignoremus, & ab ea maxime pendeat actio ſolis & lunæ, quomodo determinari poterit ipſa motus axis telluris quantitas? Obicem hunc quodammodo tollit obſervatio nutationis *Bradleiana*. Docet nimirum theoria, præceſſionem æquinoctiorum proficiſci ab actione ſolis & lunæ coniunctim, nutationem vero axis telluris & æquationem præceſſionis a ſola vi lunæ; præterea, qualiscunque ſit interior ſtratorum terræ diſpoſitio, quantitates nutationis & præceſſionis ſemper inter ſe eandem obtinere rationem. Hinc itaque, comparando ſecum duas haſce quantitates, erui poteſt ratio inter actiones ſolis & lunæ. Invenit Auctor hoc modo, vim lunæ ad vim ſolis ut 7:3 proxime; haud parvi ſane momenti corollarium theoriæ præcedentis. Attamen negari nequit, rationem hanc inſigniter mutari minima nutationis variatione, unde de huius inprimis determinatione certiſſima ſolliciti ſint Aſtronomi. Quod iam ad ipſam ſtructuram terræ interiorem attinet, ea quidem e theoria iſta determinari nequit, cum infinitæ fieri poſſint circa denſitatem & figuram ſtratorum hypotheſes, quibus omnibus eadem quantitas præceſſionis reſpondeat. Attamen eodem e fundamento infinitæ quoque excluduntur hypotheſes, quæ cum hac conſiſtere nequeunt. Ita e. g. fieri nequit, ut terra ſit ſphærois, qualis nunc eſt, eaque ſolida, & e ſtratis ellipticis diverſimode denſis compoſita. Conſiſtere vero poteſt cum phænomenis præceſſionis, quoties ſupponitur partim fluida; & quoque determinari ratio partis fluidæ ad ſolidam, ad effectum hunc obtinendum.

Ex hactenus allatis liquet, ſolutionem generalem Proble-
113. matis præcedentem eſſe ſatis longam & complicatam. Ut ergo

Digitized by Google

ergo ſimplicitati paulo magis conſuleret, & concluſiones priores denuo corroboraret, aliam adhuc tradit ſolutionem, minus quidem generalem, at faciliorem, & ad easdem prorſus formulas, via licet longe alia, deducentem. Problema etiam re- Pag. 142.
ſolvit in hypotheſi telluris, rotatione circa axem carentis, aliisque quibusdam hypotheſibus peculiaribus. Dein theoriam 159.
Newtonianam, (de qua initio diximus), ſigillatim examinat; ea, quæ demonſtratione indigent, demonſtrat; quæque haud ſa- 170.
tis firma videntur, indicat. Tandem, cum præceſſio æquinoctiorum, nutatio, & æquatio præceſſionis, ſint ſoli motus, hactenus in axe telluris obſervati; fieri autem poſſit, ut adhuc plures in eo variationes exiguæ obtineant: modos, quibus & hi poſſent detegi, indicat; quo ſpectat quodammodo variatio ſolis ſecundum latitudinem, ab actione lunæ in terram oriunda, cuius quantitatem ultimo loco determinat.

Hic finem imponit ingenioſiſſimæ theoriæ Cl. Auctor, cui 178.
& ab obiecto, & a ſubtilisſima Analyſi, in ea ubique adhibenda, inſigne pretium ſtatuendum eſt. Exinde quoque ſyſtemati attractionis haud parvum robur accedere, inficias iri nequit. Inprimis autem, e ſtabilita nutatione, gravitatio terræ lunam verſus, & hinc planetarum primariorum verſus ſatellites, de qua e fluxu & refluxu maris nondum ſatis certo conſtitit, mirum in modum confirmatur. In eo certe aſſentimur Auctori, calculum exactum ſolam eſſe viam hypotheſeos veritatem tuto examinandi; & attractionem, ſi poſſet, deſtrui debere, non rationibus metaphyſicis, ſed naturæ phænomenis, ad theoriam revocatis.

Des Teutſchen Reichs Münz-Archiv, ꝛc.

i. e.

IOANNIS CHRISTOPHORI HIRSCHII, ARchivum monetale Germanici Imperii, cum monumentis eo pertinentibus, antiquæ, mediæ, & recentioris ætatis. PARS II.

Noribergæ 1756. Alphab. 4. plagg. 20. fol.

 Quum

Quum faciles emtores habuerit, ſuo merito, Pars I. huius Operis, in lucem iam prodit eius P. II. Imperatores perinde ac Status Imperii ſemper ſtuduerunt conſervationi monetæ aſperæ ac probæ. Periclitari iis aliter videbatur ſalus publica, dignitas ſua, & reditus: & certe auctoritas Principis ex tribus capitibus dignoſcitur, ſi 1) vias publicas a latronibus purget; 2) ſi ſtet promiſſis ſuis; & 3) ſi proba ſit moneta ipſius. Iam olim Conſiliarius Imperialis, Geizkoflerus, conſilium ſuum fundamentale his verbis finivit:

Cura monetarum vos & defenſio ſumma
Imperii Proceres ſit penes atque Status.

Iactura bonæ monetæ plerumque indicium infallibile fuit mox inſecuti interitus terrarum & imperiorum, ut Hiſtoria docet, & inſpectio Numiſmatum Romanorum, quæ ſemper viliora facta ſunt, quo magis fini ſuo Imperium appropinquaret. Pendet enim ſalus rerum publicarum a flore commerciorum; commercia autem ſine moneta idonea geri non poſſunt. Eam in rem iam d. d. 15. Dec. 1576. conſilium publice editum fuit, ut erigeretur tribus monetariorum, conſtans magiſtris & ſodalibus, qui Articulis inſtructi ſint, quos qui migrarint, infames fierent, nec amplius tolerarentur in civitatibus monetalibus. Non enim eum in finem moneta comparatur, ut ſit materia negotiationis, ſed ut ſit medium & menſura commerciorum omnium. Intereſt quoque, valorem priſtinæ monetæ noviſſe intuitu priſtini pretii, in emtione venditione. Urbaria & alii reditus Principum quoque paſſim ad hunc valorem ſolvuntur. Ad hunc uſum inſeritur Tabula, in qua ſolidi, Pfenningi, & Helleri, ad normam Lipſienſem, nunc Viennenſem, reſolvuntur. In Saxonia quoque, tam in civitatibus quam pagis, Steuræ ad valorem priſtinum Pfenningorum ſolvuntur: proinde nec hic utilitate caruerit hæc tabula. Minima pars Edictorum & reliquorum documentorum unquam lucem vidit; & patuit Ill. Editori Archivum Bipontinum. Primum Segmentum continet Receſſum Probationis Monetæ Circuli Franconici, editum Norimbergæ 1561. Ultimum complectitur Epiſtolam Circulorum correſpondentium ad Impera-

pera-

peratorem, datam 1590. Numerus Ordinationum eſt cxxxv. Sunt inter eas & Privilegia, Decreta Commiſſionum, item uniones monetales Electorum & Principum cum civitatibus Imperialibus.

DE MENTE HUMANA OMNIS COMPOSItionis experte, Meditationes. Auctore IOHANNE IACOBO HENTSCHIO, A. M.

More Mathematicorum, problemata ab aliis iam ſoluta denuo adgredi, eaque nova methodo expoſita luci dare, etiam in Philoſophia ſpeculativa locum habere, eo minus dubito, quo plures in ſpirituum ſcientia quæſtiones dantur, de quarum genuina ſolutione adhuc quæritur. Huc refero quæſtionem: *num mens humana ſimplex ſit, an compoſita?* cuius ſolutiones pleraſque partim lubrico fundamento niti, partim incompletas deprehendi. Operæ igitur pretium eſt, hoc argumentum, quod naturam mentis humanæ attingit, de novo adgredi, idque eo maiore ſtudio diſcutere, quo maiorem in totam vitam noſtram habet influxum. Nec invenio circa quæſtionis huius ſolutionem difficultates, quæ ſuperari nequeant. Inveſtigata enim primum materiæ & mentis humanæ natura, iudicium facile ferre poterimus, utraque inter ſe collata, num mens humana compoſitionis expers ſit, an minus.

Vox *materiae*, ſeu *corporis*, notat compoſitum, quod partes habet extra partes. Sunt autem partes extra partes, quarum unaquæque ſuum peculiare ubi occupat, ita, ut contradictorium ſit, duas vel plures materiæ partes in eodem loco ſimul adeſſe. Sit e. c. cubus ligneus ex mille cubis minoribus compoſitus; unusquisque cubus minor ligneus extra alterum erit, ita, ut quilibet peculiare ſuum ubi occupet. Particulæ ſeu guttulæ aquarum, quot numero & quantæ etiam fuerint, eundem in modum extra ſe ponentur, ita, ut cuilibet aſſignari debeant peculiaria ſpatiola, in quibus locentur. Et ſic in aliis omnibus. Ex hac communi corporum ſolidorum & fluido-

fluidorum affectione, ſequentia enunciata per ſe fluunt: 1) Materiam eſſe extenſam & diviſibilem. Extenſio enim & diviſibilitas fundantur in compoſitione. 2) Materiam eſſe impenetrabilem. Si enim dantur partes extra partes, unaquæque peculiare ſuum ubi occupat, id quod nomine *impenetrabilitatis* notant Phyſici. 3) Materiam a ſpatio per impenetrabilitatem diſcerni. Spatii enim partes ſunt penetrabiles, corporis partes impenetrabiles; etſi utrumque compoſitum, extenſum, & diviſibile concipiatur. Hæc fuſius explicui in *Philoſophia mea Mathematica ex Euclide reſtituta*, Conam. IV. Sect. I. quæ Lipſiæ ao. 1756. prodiit. 4) Materiam habere vim reſiſtendi, cum impenetrabilitate tam arcte copulatam, ut illa ſublata, hæc tollatur. Si enim a materia auferas reſiſtendi vim, non ſolum impenetrabilitas, ſed etiam omnis in mundo peribit ictus, quippe qui reſiſtentiam involvit.

His generalibus materiæ affectionibus annumero *vim inertiae*, qua materia in ſuo ſtatu vel quietis vel motus perſeverat, niſi quatenus a viribus impreſſis cogitur ſtatum ſuum mutare. Unde conſequitur: 1) Vim inertiæ cum vi reſiſtendi eſſe coniunctam. Nam ſi corpus omni mutationi a viribus impreſſis factæ libere cederet; *corpus in ſtatu ſuo perſeverare* dici non poſſet. 2) Corpus quodcunque, *vi eadem*, in ſtatu ſuo perſeverare & reſiſtere. 3) Omnem mutationem corpori inductam, a cauſa externa procedere. Materia enim vi inertiæ prædita, nullam ſibi ipſi mutationem inducere valet.

Quoniam autem corpora naturalia, ex diverſis, quæ in ſimpliciores reſolvi poſſunt, partibus conſtant; quæritur merito, *quaenam ſint materiae primae, ex quarum compoſitione tot corporum diverſiſſimae ſpecies originem ſuam duxere?* Vocantur eiusmodi materiæ primæ, eæque homogeneæ, vulgo *Elementa*, ſeu *Principia corporum naturalium*, de quorum exiſtentia & indole hoc in loco nobis agendum eſt. Definire quidem non audeo, quænam, & quotnam corporum naturalium dentur elementa; ideo, quod ad ultimas eiusmodi materias, reſolutione reali facta, pertingere nobis non licet: ſuſpicor tamen, legibus artis combinatoriæ adductus, paucas a Deo creatas

tas

Digitized by Google

tas eſſe materias primas, in nullas alias heterogeneas reſolubiles, ex quarum diverſa compoſitione tot infinitæ fere corporum ſpecies productæ ſunt. Si paucis literis, tot mille voces, & tot diverſæ linguæ originem ſuam debent, & ex 7. ſic dictis clavibus tot concentus muſici producuntur; quid mirum, paucas ad compoſitionem corporum perficiendam ſuffeciſſe materias primas.

Licet autem qualitatem & numerum elementorum accurate determinare nequeamus; nihilominus certi eſſe poſſumus, materias eiusmodi primas, qualescunque cæterum fuerint, eiusdem eſſe naturæ cum corporibus naturalibus, tanquam rebus effectis. Nam ſecundum communes hominum conceptus, compoſitio omnis fit ex homogeneis, h. e. talibus, quæ eiusdem naturæ ſint cum rebus inde genitis. Hinc fluunt ſequentia enunciata: 1) Materias primas, tanquam corporum naturalium elementa, compoſitas, extenſas, diviſibiles, & impenetrabiles eſſe. 2) Gaudere vi inertiæ, & vi reſiſtendi. 3) Materias primas quantitate differre poſſe, ita, ut elementum reſpectu alterius maius dicatur vel minus.

Hæc elementorum theoria toto coelo differt a *Monadum* ſyſtemate. Qui corpora naturalia compacta eſſe volunt ex monadibus, materialia componunt ex non-materialibus, & extenſa ex non-extenſis; id quod cum magnitudinum analogia aperte pugnat. Nam ſecundum communes hominum conceptus, materialia ex materialibus, uti ſpatia corporea ex ſpatiis corporeis generantur; non autem materiæ ex ſpatiis corporeis, vel ſpatia corporea ex materiis; id quod a communi ſenſu abhorret.

Nec iſta corporum naturalium elementa cum *infinite parvis* Mathematicorum coincidunt, quoniam illa diviſione reali, quæ fit per motum, hæc diviſione mentali, nituntur. Quamquam enim Geometræ, theoriæ cauſa, materiam & ſpatium in partes numero infinitas dividant, ita, ut nullum detur abſolute minimum: eiusmodi tamen elementa, quæ iterum in infinitum diviſibilia ſunt, nullibi extra nos dantur; etſi facile conceſſerim, ea poſſibilia eſſe ideo, quod, dari eius-

Digitized by Google

modi quantitates omni data & aſſignabili minores, demonſtrari poteſt.

Multo minus hæc elementorum theoria cum Atomiſtarum commento coincidit, qui continuum componunt ex indiviſibilibus. Diviſio enim intellectualis, cui atomorum exiſtentia ſuperſtruitur, non efficit, ut dentur eiusmodi atomi, quales nobis imaginamur.

Hactenus materiæ compoſitæ & ſimplicis naturam in univerſum expoſui. Quæſtio enim propoſita, num mens humana compoſita ſit, an minus? involvit accuratam corporis & materiæ ideam, ſine qua fruſtraneum eſſe videtur, eam ſolutam dare. Iam mentis humanæ operationes ſimili modo in univerſum percurram, easque cum materiæ affectionibus conferam; quibus peractis innoteſcet, num mens humana pro principio materiali vel immateriali ſit habenda.

Suppono, tanquam rem notiſſimam, mentem humanam æque definiri poſſe ac materiam. Eſt enim mens humana ſubſtantia, quæ res extra ſe poſitas, mediantibus ſenſibus externis; operationes autem ſuas internas, mediante ſenſu interno, percipit. Hæc definitio, quæ formam rei explicat, præſenti inſtituto conveniens eſt; ſufficit enim hoc in loco ſcire, quænam menti humanæ inſint, quibus ab aliis rebus diſcernatur.

Infinitas quidem mens humana ſubit variationes, quas communi nomine *Cogitationum* complectimur; ſed intereſt, omnes ſpecies, quæ in noſtra mente quaſi depinguntur, ad certas claſſes reducere. Sunt autem omnes, de quocunque rerum genere formentur, cogitationes humanæ, vel ideæ, vel iudicia, vel ratiocinia; præter quas ſpecies nullas alias fingere licet. Peculiaria eiusmodi cogitationes ſortiuntur nomina. Prouti enim obiecta, quæ ſiſtunt, vel præſentia vel abſentia ſunt, nunc *ſenſationes*, nunc *imaginationes* dicuntur, cum quibus *recordationes* coniunctæ ſunt. Prouti eiusmodi cogitationes porro vel voluptatem, vel tædium, tanquam comitem habent, nunc *appetitus*, nunc *averſationes* audiunt; quibus nomen generale *Paſſionum* ſeu *Affectuum* tribuimus, ſi voluptas vel tædium accreſcat. Hinc

Digitized by Google

Hinc patent ſequentes, quæ naturam mentis humanæ ſiſtunt, concluſiones: 1) Mentem humanam vi unica cogitandi eſſe præditam. 2) Hanc cogitandi vim varios ſuſcipere modos. 3) Varios cogitandi modos non conſtituere partes extra partes. Reſolvuntur enim in unicam cogitandi vim. 4) Mentem humanam non eſſe materiale principium. Nam omnis materia, ſive ſit compoſita, ſive ſimpliciſſima, partes habet extra partes, uti ſupra oſtenſum eſt.

Præter hoc principium, a vi unica cogitandi deſumtum, alia adhuc dantur, ex quibus mentis humanæ immaterialitas legitimo concludendi modo poteſt evinci. Huc potiſſimum refero *libertatem*, ſeu facultatem mentis humanæ, qua per antecedentes cogitationes ſeſe ſponte determinat ad aliquid faciendum vel omittendum. Oſtendi pluribus in Tractatu de mente humana, qui Germanico idiomate, ſub titulo: *Verſuch über die Folge der Veränderungen in der menſchlichen Seele* ao. 1756. Lipſiæ prodiit, mentem humanam omnes actiones ſuas, ſive ad intellectum, ſive ad voluntatem pertineant, habere in poteſtate; ex quo libro enunciata breviter huc transferam, quod cum re propoſita indivulſum habent nexum. Sunt autem ſequentia: 1) *Senſationes*, tanquam ideas omnimodis differentiis diſtinctas, & intuitu exiſtentiæ neceſſarias, habemus in poteſtate; prouti eas impedire, vel ad minimum debiliores reddere, per abſtractionem reſolvere, & per reflexionem mutare poſſumus. 2) *Imaginationes*, tanquam ideas omnimodis differentiis diſtinctas, habemus in noſtra poteſtate, prouti eæ vel deprimuntur, per abſtractionem reſolvuntur, pro lubitu augentur, minuuntur, vel per reflexionem mutantur. Item *Recordationes*, cum ſenſationibus vel imaginationibus coniunctas; prouti eæ, ſi e re viſum fuerit, deprimuntur. 3) *Reſolutiones idearum* habemus in noſtra poteſtate, prouti has vel illas ideas eligimus, & ab iis hoc vel illud abſtrahimus; æque ac *Compoſitiones idearum*, prouti hoc vel illud genus aſſumere, & has vel illas determinationes generi addere poſſumus. 4) *Propoſitiones*, in relatione ad leges methodi neceſſarias, habemus in noſtra poteſtate; prouti has vel illas ideas inter ſe comparamus, &

Digitized by Google

hanc vel illam propoſitionis hypotheſin formamus. 5) Ratiocinia, in relatione ad leges methodi neceſſaria, prouti has vel illas præmiſſas aſſumimus, & hoc vel illo modo concluſiones elicimus. 6) Tandem appetitus & averſationes, quinimo omnes paſſiones noſtro arbitrio ſunt relictæ; prouti eas mutare vel deprimere poſſumus.

Ex his patent ſequentes concluſiones: 1) Mentem humanam eſſe ſubſtantiam, libere ſeſe determinantem. 2) Intellectum pariter ac voluntatem libertate gaudere. 3) Mentem humanam, ob libertatem ipſi inhærentem, non eſſe machinam. 4) Libertatem involvere ſtatus mutationem. Si enim mens humana per antecedentes cogitationes ſeſe libere determinat ad aliquid faciendum vel omittendum, ut mutatio ſtatus conſequatur neceſſe eſt. 5) Mentem humanam non eſſe materiale principium. Nam omnis materia, ſive ſit craſſa ſive ſubtilis, in ſtatu ſuo quietis vel motus perſeverare dicitur.

Nec ſolum libertas, qua mens humana, nulla interveniente cauſa externa, ſeſe ſponte ad hoc vel illud agendum determinare poteſt, cum materia pugnat; ſed ipſas cogitationes in materiam nullam cadere poſſe facile videre eſt. Si enim materia fluida & ſubtiliſſima, qualis nervorum eſt, vel alia quæcunque cogitare ſupponatur; tunc, quoniam materia partes habet extra partes, cogitatio omnis produceretur a partibus componentibus, unde duæ vel plures cogitationum ſpecies extra ſe poſitæ erunt, id quod naturæ cogitationum adverſatur. Prorſus non capio, quomodo materia ſentiat, & ſingularia in minima temporis parte in univerſalia reſolvat? quomodo materia ſibi imaginetur res, quæ extra eam non ſunt, & rerum abſentium imagines in infinitum multiplicet vel imminuat? id quod contingere in mente noſtra, ſenſus internus docet.

Si poſſibile etiam foret materiam cogitare; nullo tamen modo mens humana formam materiæ induet. Conatur enim, vi libertatis ipſi inhærentis, ſtatum ſuum mutare, ſi vel maxime nulla cauſa externa accedat; materia vero, vi inertiæ prædita, in ſtatu ſuo vel quietis vel motus perſeverat, niſi quatenus a viribus impreſſis cogitur ſtatum illum mutare. *De*

Digitized by Google

DE CAPELLA REGIS UTRIUSQUE SICILIÆ & aliorum Principum LIBER UNUS, Auctore IOSEPHO CARAFFA, C. R.

Romæ 1749. ex typographia Antonii de Rubeis, in via Seminarii Romani. Alph. 2. pl. 19. in 4.

Poſtquam regnum Neapolitanum, amplitudine, ubertate, opibus, incolisque nobiliſſimum, antea per aliquam temporum ſeriem Principum præſentia deſtitutum, atque in provinciæ formam redactum, regem ſuum, *Carolum Borbonium* accepit, & aulæ Neapolitanæ priſtinus ſplendor reſtitutus eſt, non incongruum videbatur Auctori clariſſimo, præſentem rerum tractationem inſtituere, quæ Principum huius regni in ſacris domeſticis ordinem, & iura a Romanis pontificibus conceſſa, complecteretur, atque eam eccleſiaſticorum rituum partem illuſtraret, quam nulla hucusque auctorum diligentia ex inſtituto occupavit. Ita tamen hanc in ſe operam ſuſcipit Auctor, ut non in ſola Principum ſuorum aula hæreat, ſed aliorum etiam attingat ſtatum, ut inde conſtet, quibus in rebus inter ſe conſentiant, quibus differant. Breviſſime tamen omnia ita expedit, ut non mediocrem Lectorum gratiam exinde iniviſſe ipſe ſibi videatur. Integrum Opus *duodecim* abſolvitur capitibus, quorum *primum* de *Capella Palatina* inſcribitur. Præliminaris eſt quæſtio, ab initio inde tractata, ubi inquirit Noſter, an Principes Ethnici, Iudæique, domeſtica habuerint Oratoria; cum, ex mente eius, Chriſtianorum plurima inſtituta, cum Iudæis Ethnicisque, communia fuerint. Affirmare eam quæſtionem unumquemque poſſe, ex eo Auctor iudicat, quoniam in harum rerum numero domeſtica Oratoria recenſenda veniunt, ab Ethnicis Lararia atque Sacraria dicta, quæ in privatorum non ſolum domibus, ſed in Imperatoriis etiam Ædibus extiterint. Apud Iudæos etiam, loco Oratoriorum, fuiſſe Proſeuchas atque Synagogas, ubi extra templum convenire ſolebant Iudæi, non improbabile videtur. Apud Chriſtianos nonnulli, & inter eos inprimis *Gatticus*, originem domeſtici oratorii adeo anti-

quam faciunt, ut ad Apoſtolorum referre ætatem non dubitent, quum domi ſæpe peracta ſint myſteria. Vix tamen tunc temporis Chriſtiani fixa impetrare poterant Oratoria, ne ſe, & ſacra ſua gentilibus facile proderent. Cum tamen adhuc diu poſt pacatam eccleſiam perduraverit uſus celebrandæ domi Euchariſtiæ, hinc domeſtica oratoria invaluerunt, & longe lateque in uſu recepta fuere. Hinc Sæculo ſexto legimus, Iuſtinianum Imperatorem, *Novella* quinquageſima octava, in domeſticis Oratoriis, ſacra myſteria celebrare vetuiſſe, ipſorum tamen uſum non penitus interdixiſſe. Varia poſt hæc etiam domeſticorum illorum oratoriorum fuiſſe fata, ex Auctoribus utplurimum conſtat Eccleſiaſticis. Sed hic, Auctori noſtro, ſtatus cauſæ ad oratorii Palatini potius initia atque incrementa pertinet. Hæc a Conſtantini Magni, piiſſimi Imperatoris, ut verbis Auctoris noſtri utamur, ætate ſunt repetenda. De eo clare refert *Euſebius*, eum in Palatio habuiſſe eccleſiam, ubi ſcripturas ſanctiores perlegerit, & preces ad Deum fuderit. Hæc ad orientem itaque pertinent. In Occidente omnium antiquiſſima Capella eſt Palatina, quæ in aula regum Francorum occurrit, de qua alii coniecturas, alii certiora rerum argumenta, proferre ſolent. Interim a veritate non abſonum videtur, oratoria *Capelles* eſſe dicta, a Capa illa *S. Martini* Turonenſis, quam in Oratorio Palatino aſſervatam, & in caſtra inde delatam eſſe, conſtat. Ex hac ratione deinde dicta eſt Capella regum Galliæ, capella regum Hiſpaniæ, capella regum Angliæ, regum Luſitaniæ: porro, Ducum Sabaudiæ: Palatina, ſub Normannis, Suevis, Arragonicis, & Auſtriacis Siciliæ Regibus: Neapolitana, ſub Andegavenſibus, Arragonicis, & Auſtriacis Neapolis regibus. Hic eſt finis prioris Capitis. Iam in *ſecundo* de *clero Palatino* agitur. In genere hic recte monendum eſt, clericos, in Oratoriis Palatinis Principum ſacris rebus vacantes, *Capellanos* fuiſſe dictos, eo quod, uti dictum eſt, Capam S. Martini in Palatio cuſtodirent, & in caſtra deferrent. Hanc huius vocabuli originem tradunt *Valafridus Strabo, Honorius, & Durandus*, quibuscum recentiores conſentiunt Auctores. Fit tamen

Digitized by Google

tamen etiam non raro, ut Capellani illi quoque *Cuſtodes* nominentur, a cura illa, quæ illis, reliquias ſacras cuſtodiendi, incumbebat. In nonnullis etiam Anaſtaſii editionibus, illi appellantur *Cubicularii*. Verum idem fuiſſe munus Cubiculariorum & Cuſtodum, oſtendit in Gloſſario doctiſſimus *Cangius*, quod etiam ex aliis confirmatur argumentis. Erat vero Capellanus in aula Conſtantini, & imperatorum in Oriente, Cuſtos palatinæ Capellæ, & ſacrarum reliquiarum, ibi aſſervatarum. Neque tamen hoc unum erat Capellanorum officium; nam & divina perſolvebant Officia, in Oratorio Palatino, & in Aula, & in caſtris, divinum miniſterium peragebant; quin hoc etiam relatum legimus, Capellanos multa temporalia ſeu politica negotia in Aula adminiſtraſſe. Nam agebant ſæpiſſime Principum Cancellarios, Notarios, Conſiliarios, Legatos, ſupremos quoque regni moderatores. Quid quod olim Cancellarii dicebantur Capellani, quod plerumque Capellanis id muneris committeretur. Ita ſe res habuit in Aula Conſtantini Magni, cui plures adhæſiſſe Epiſcopos, Presbyteros, Diaconos, ad ſacra obeunda, ex *Euſebii, Sozomeni*, & *Socratis* conſtat teſtimoniis. Id ſucceſſu temporis apud alios etiam factum eſt Principes. Præter Francos & Hiſpanos, Germani etiam Imperatores multos Clericos alebant Capellanorum titulo inſignitos, genere & virtute ornatiſſimos, & ſacerdotiis ampliſſimis dignos iudicatos. Tales fuere S. Otto, Capellanus apud Henricum IV; S. Anno, Archiepiſcopus Colonienſis, ex Capellano Henrici V, homo turbulentus; Willigiſius, e Capellano & Conſiliario Ottonis II. Archiepiſcopus Moguntinus, aliique plures. Augebatur tunc temporis Capellanorum dignitas, quod plerumque Imperatorum Cancellarii eſſent, ita ut Archicapellanus eſſet ſimul Archicancellarius, inferioresque Capellani eſſent Cancellarii. In Aula Neapolitanorum regum Andegavenſium, ut & reliquorum, clericorum horum munus pertinebat ad aulæ regnique munia gerenda, ad legationes obeundas, ad regum filios erudiendos, ad ſacra facienda, & ſic porro. Ex his omnibus, etſi diverſum diſtinctumque agebant miniſterium, clerus palatinus coaluit, eo præſertim,

quia

quia ſæpiſſime iidem erant a ſacris & a temporalibus negotiis adminiſtrandis. Ita etiam regum Confeſſionarius, & regalis Capellæ Magiſter, in Conſilium Principis adſciti erant: hinc quoque ſedebant in conſilio regum capellani quamplures. Ad has dignitates, Confeſſionarii regii, eiusdem Eleemoſynarii, & concionatoris Aulici dignitas accedit. Caput *tertium* ad magnum *Capellanum* nos ducit, qui ceteris omnibus clericis aulicis præfuit, & ſacrum miniſterium in aula dirigebat. In Aula Imperatorum Orientis præerat Clero Imperatorio Protopapas Palatii, ſeu primus Palatii Presbyter, cuius Scriptores Conſtantinopolitani mentionem faciunt. De eo id inprimis notandum eſt, quod, præter ſacrum miniſterium, non aliud quidpiam erat muneris, cui in aula, vel regni officio, Protopapas addictus fuerit. Non ita tamen in aula Imperatorum Occidentis, e Caroli M. ſtirpe, res ſe habuit, ubi diu viguit Archicapellani munus; & is idem erat Archicancellarius imperii, ideoque vetera omnia Imperatorum diplomata ab Archicapellano ſubſcripta leguntur. Translato deinde a Francis ad Germanos imperio, perduravit adhuc Archicapellani Imperii dignitas, qua tandem Abbates Fuldenſes fuerunt ornati. Occaſionem hic commodam nactus Auctor cl. de Abbate Oratorii Palatini regum Francorum primæ ſtirpis: De Archicapellano regum ſecundæ ſtirpis: De magno Eleemoſynario Franciæ: De magno Capellano regum Luſitaniæ: De magno Eleemoſynario regum Sardiniæ: De magno Capellano ſub Normannis, Suevis, Arragoniis, & Auſtriacis Siciliæ regibus: De magno Capellano, ſub Andegavenſibus, Arragoniis, & Auſtriacis Neapolis regibus, ſermonem inſtituit ampliſſimum. Finis huius capitis de variis magni Capellani titulis agit, cuius generis fuerunt: Abbates Palatini Oratorii, quia inſtar Abbatum eccleſiæ Palatinæ præerant, eiusque Clericis; tum ſub ſecunda ſtirpe Archicapellani, quin & ſummi & magni Capellani nuncupati fuere, & quæ ſunt his ſimilia. Pergit in *Capite quarto* Auctor ad *privilegia* capellæ regiæ, cleri Palatini, & magni Capellani, quæ, ſecundum temporum & locorum variationes, varia etiam fuerunt,

Digitized by Google

runt, quod ex antiquis temporibus, & recentioribus factis, apparet. *Caput quintum*, ſecundum eundem ordinem, de *Liturgia* Palatina dicere inſtituit. Capellæ Palatinæ ſummorum Principum publicis eccleſiis æquiparantur, ubi divina officia omnia ſolemni ritu peraguntur a Clericis pluribus, illarum obſequio addictis, quibus ſæpe reges adeſſe ſolent, non privatim tantummodo, ſed regia plane pompa, tuncque ſacrum ipſum miniſterium, vulgo, dicit ſolet *Capella Réale*. Id quidem iam diu in more fuit apud Imperatores Orientis, utpote qui inſigniores anni feſtivitates, Paſcha, Magnam Hebdomadam, Nativitatem Domini, Feſtum Spiritus Sancti, Exaltationem ſanctæ Crucis, in Oratorio Palatino, ſolemni pompa, ac ſplendido apparatu, celebrarunt. De ritibus vero illis, quibus Liturgia Palatina olim apud Francorum reges fuit celebrata, non ſatis tuto quidpiam conſtat: neque enim aliud e veterum monumentis colligitur, niſi quod diebus feſtis Principes regalia induerint ornamenta, ſplendidis epulis Aulicos exceperint, donis ac beneficiis quosdam cumularint, Comitia, ſive Placita generalia habuerint, quod etiam Angliæ regibus uſitatum fuit. Alia tamen fuit ratio in Capella regum Hiſpaniæ, Luſitaniæ, & reliquorum, de quibus ex induſtria diſputat Noſter, & denique liturgiam Aulæ Siculæ & Neapolitanæ perſequitur. Peculiare eſt id, quod de regia menſa hic ad officium aulici Capellani refertur, cui regiæ menſæ benedictio incumbebat, cuiusque rei rationem, & ritus, hic Lectores enarratos deprehendent. Reliqua huius libri *capita*, de Coronatione regum, de baptiſmo, de nuptiis, de ritu conferendi ordines equeſtres, & præſtandi ſacramenta, agunt. Nec omittit Noſter enarrationem inſtituere de coniugio *Caroli Borbonii*, & *Mariae Amaliae*, regum utriusque Siciliæ, & de iis, quæ circa ritus Palatinos hic memoratu digna fuerunt. Poſt hæc in *Capite undecimo*, de ſacris quibusdam aliis cæremoniis Palatinis agitur, v. g. de roſa aurea benedicta, de enſe, de pileo, regibus a Romano Pontifice dono miſſis, de ordine, quo Cardinales recens promoti, inſignibus ſuæ dignitatis in Aula Regum Galliæ, Hiſpaniæ, Luſitaniæ, & Siciliæ, donantur.

tur. De regum funere *duodecimum*, idemque ultimum *Caput* tractat, in quo præter reliqua, regum funera, ordoque funeris in Aula Neapolitana, regnante Sereniſſimo Rege Carolo Borbonio uſitatus, recenſetur. In *Appendice* de Capella, Liturgia, aliisque ſacris cæremoniis Aulæ Luſitanæ quædam in medium proferuntur. Omnis operis facies ita eſt comparata, ut, ex intuitu illius, ad diligentiam & elegantem doctrinam Auctoris, recte concludi poſſe arbitremur.

GERMANA QUAEDAM ANTIQUITATIS eruditæ monumenta, quibus Romanorum veterum ritus varii, tam ſacri quam profani, tum Græcorum atque Ægyptiorum nonnulli, illuſtrantur: Romæ olim maxima ex parte collecta, ac diſſertationibus iam ſingulis inſtructa, a CONYERS MIDDLETON, S. T. P. Academiæ Cantabrigienſis Protobibliothecario. His appendicis loco adiuncta eſt Mumiæ Cantabrigienſis deſcriptio.

Londini 1745. apud R. Manby & H. S. Cox, in vico vulgo dicto Ludgate-hill, Alphab. 1. plag. 11. c. fig. æn. tab. 23. in 4.

Cum vir Cel. olim, valetudinis relaxandique animi cauſa, in Italiam proficiſci decreviſſet, id ſibi credidit negotium dari, ut non modo venerandæ antiquitatis monumenta, quibus abundant feliciſſimæ illius regiones, contemplaretur ſubtiliter, ſed plurima quoque vel coemeret, vel ſecum auferret in Britanniam. Prioris eius ſtudii non exiguos olim fructus orbis literarius cepit, cum miram nos doceret convenientiam rituum ethnicorum cum his, qui in ſacris pontificiorum vulgo obtinent. Quanquam enim id argumentum a pluribus aliis doctrinæ puriori addictis hominibus erat tractatum, nihilominus tamen, cum iterum iterumque, ne octies vel decies dicamus, inculcaretur, inprimis vero a Middletono, viro diſerto, novis rationibus ita deſcriptum confirmatumque eſſet,

eſſet: accidit, ut epiſtola eius Angloſaxonice ſcripta, hocque titulo inſignita, *A Letter from Rome by Conyers Middleton DD. Principal Librariam of the Univerſity of Cambridge*, *London* 1729. 4. avidiſſime ab omnibus legeretur, & in alias occidentis dialectos, certe Theotiſcam, transferretur. Altera eiusdem cura adeo feliciter ei ſucceſſit, ut non proletaria omnis generis monumenta, adiutore *Ficoronio*, celeberrimo Romanorum Antiquario, conquireret, ſecumque in Angliam adveheret; quibus apte diſpoſitis, per multos annos vehementer delectatus eſt, eorumque viſendorum copiam fecit iis, qui talismodi λειψάνοις in Anglia tenebantur. Ne igitur præclara huius Sylloges utilitas priva eſſet, aut exiguis limitibus urbis Cantabrigienſis contineretur, ſed ut latius pateret, & ad plures homines, inprimis exteros, perveniret, probum hoc & laudabile conſilium cepit, ut in tabulis publicis deſcribendum curaret quicquid ſplendidorum eius generis cimeliorum domi cuſtodiret; in quibus, facile nobis perſuadet vir doctus, nonnulla ineſſe, quæ ab aliis vel plane non memorari, vel parum accurate expoſita eſſe, meminimus. Hunc apparatum vero pluribus aliorum Muſeorum monumentis augere & locupletare potuiſſet, inprimis iis, quæ nobiliſſ. *Horatius Walpolius* ingenti ſumtu, nec minori induſtria, coacervaverat, niſi illa ſalubri paucitate ſua picturarum antiquarum, ſignorum, vaſorum, imaginum, lampadum, paterarum, numorum, & gemmarum, contentus eſſe maluerit, quam pretium libri, qui per ſe iam carus ſit neceſſe eſt, propter chartæ & typorum egregium ſplendorem, præter rem augendo, alienis, ut eſt in fabula, plumis ſuperbire. Interim cum eo optamus, ut aliquis idoneus interpres, præclaram iſtam *Muſei Walpoliani*, addamus etiam *Meadiani*, ſupellectilem explicandam aliquando edendamque ſuſcipiat. Miramur autem, Virum Cel. tralatitia quadam defenſione adverſus contemtores harum artium uſum eſſe. Melius feciſſet, eorum omnium hominum voces ſilentio premere, ne bonarum literarum & antiquitatis ſtudia illi videantur cum ratione calumniati eſſe. Suus cuique ſtupor & imperitia, cum beati ſibi & pulchri videantur, relinquenda eſt. Eorum enim

Digitized by Google

convicia, tanquam minorum catulorum latratus, quis curet? Ut autem qualia ſint ea monumenta Lectores cognoſcant accuratius, operæ pretium eſſe ducimus, non modo indicem illarum rerum, quæ in ipſis tabulis eleganter deſcriptæ extant, verum etiam interpretationum eius ſummulas, levi penicillo adumbrare. De omnibus enim latius diſputare, non ſpatium, non inſtituti ratio, patitur. Quod ad ipſa monumenta ſpectat, non negamus, pleraque alicuius momenti, atque eapropter enarratione digniſſima fuiſſe: verum haud ſcimus, an in concinnando illorum Commentario doctiſſ. Auctor exempla eorum usquequaque ſecutus ſit, qui neglectis hiſtoriæ fabularis diſputationibus, ad nauſeam centies dictis, id egerunt tantum, ut vel locus ei rei proprius, ex annalibus ſcriptorum, aut poeta aliquo, approbandæ interpretationis & ſuavitatis cauſa, repeteretur, vel ſigna certiſſima artis antiquariæ, unde veritas dictorum illico appareret, breviter traderentur. In nonnullis enim, etſi nobis utcunque ſatisfecerit, in non paucis tamen aut multus, aut arreptam e medio quamcunque opinionem ſecutus, fuit. Videamus de ſingulis. In tabula prima offert nobis picturæ fragmentum nobiliſſimum, ex ſepulcri veteris pariete Romæ exciſum, ubi primum de argumento ibi expreſſo, de perſonarum veſtibus, variæ non contemnendæ eius coniecturæ haud diſplicuerunt; ſed de picturis iſtiusmodi, in parietum tectorio repertis, earumque origine & præſtantia, quæ generatim diſſeruit, pleraque vel nota ſunt omnibus, vel in aliis iam libris, ut *Iunii, & Bellorii*, abunde expoſita. Interim tanto magis hæc antiquitatis fruſta in deliciis habere nos oportet, quo pauciores ſunt picturæ, quas temporum longinquitas & iniuria nobis ſervavit. Tradit autem huius monumenti duplicem explicationem. Prima hæc eſt. Quoniam ex altera eius parte deum quendam fluviatilem, ex altera viros duos diſcinctos ſub arbore ſedentes cernit, iuxta quos adſtat mulier geſtu vultuque hilari coronam quandam floream capiti ſuo imponens, haud incongrue dei fluviatilis imagine Deum Tiberinum
Pag. 7. deſignari coniicit, hominesque reliquos, qui coronati & potantes pinguntur, diem aliquem feſtum celebrare, quem reperiit

Annæ

Digitized by Google

Annæ Perennæ idibus Martiis dicatum fuiſſe. Huic alteram
adiungere ei libuit, ſed, ſi quid videmus, parum felicem, diſſi-
millimamque priori explicationem. Scilicet, defunctorum in Pag. 10.
campis Elyſiis vitam beatam atque hilarem his figuris adum-
brari exiſtimat. Verum quomodo hic imago fluvii locum
habere poſſit, e Virgilio nondum intelligimus. Subſequitur
Tabula altera, in qua mulier porcellum dextra, atque infantu-
lum ſiniſtra geſtans cernitur, cuius generis monumentum non-
dum in lucem, quantum ſcimus, prodiit, quare figuræ illius
ſive novitas, ſive nobilitas, ad ſe iure oculos noſtros rapit. Dig-
nam quoque non monumento ſolum, ſed ingenio quoque ſuo,
Auctor noſter excogitavit ἐξήγησιν. Sacrum videlicet aliquod
ſolemne, quod luſtratio dicebatur, hoc ipſo ſigno declarari
putat; ex quo ſimul coniicere licet, ad quem potiſſimum deo-
rum hic infantulus a nutrice deferatur. In numis enim anti- 21.
quis, ſuem vel porcum Cereris ſimulacris appictum videmus:
hinc iure ſuo oſtendit, infantulum illum Cereri dicatum eſſe.
Coniecturam hanc veriſimiliorem reddit etiam hoc, quod hæc 22.
imaguncula in agro Neapolitano reperta eſt, ubi ipſa Cereris
religio antiquitus culta, Romamque ſuccedente tempore tradu-
cta eſt, Cereſque ipſa κουροτρόφος apud priſcos audiit. In Ta-
bula tertia tres imagines conſpicimus: una eſt bullæ aureæ; al-
tera vitrum pictum exhibet, in quo mulier & infantulus, cui
bulla ex collo dependet, adumbratur; tertia eſt anuli amule-
tici, ex lapide Chalcedonico confecti, cui literæ quædam bar-
baræ inſcriptæ leguntur. Bullam auream, inquit, *Franciſcus* 30.
*Ficoronius, ſollertiſſimus ille harum rerum inveſtigator, ab opera-
riis coemit, eamque ex eius inde manibus, at pretio tamen haud
parum amplificato, redemi, atque in Angliam mecum avexi.*
Quanquam vero eandem in Ficoroniano libro de Bulla au-
rea offendent Lectores; nec levem inde aliquis poſſet conie-
cturam facere, hoc fortaſſis loco nihil ſuper eo monumento
dictum eſſe, quod non dictum ſit prius: nihilominus tamen,
ſive originem & uſum eius monumenti ſpectes, ſive qualium
hominum inſigne illa fuerit perveſtiges, utrobique acumen
& induſtriam Auctoris noſtri haud invitus laudabis. Con-

ſtans fuit omnium virorum doctorum opinio, primo bullam cordiformem fuiſſe, deinde nobilibus tantum liberis a collo pependiſſe. Utramque hanc ſententiam ſub examen revocat Cel. Auctor, non iniuria contendens, figuram illam, qualem *Macrobius* deſcripſit, *ingenuis pueris* attributam *eſſe,* inquiens, *ut cordis figuram in bulla ante pectus annecterent, quam inſpicientes ita demum ſe homines cogitarent, ſi corde praeſtarent,* quo-
Pag. 35. niam vehementer a prototypis abludit, tantum de illorum temporum, quibus vixit Macrobius, bullis intelligendam eſſe; eamque cordiformem notionem e Chriſtianorum uſu originem traxiſſe, quibus cordis figura, ut *Aringhus* docet, tanquam amoris, innocentiæ, atque integritatis ſymbolum, magno in honore fuit. Alteram opinionem, cum exiſtimant inſigne tantum nobilium puerorum fuiſſe, non minus falſam eſſe pu-
36. tat. Primis quidem temporibus, teſte *Plinio Hiſt. nat.* 33, 1. proprium id fuit & peculiare eorum filiis, qui equo meruerant; ſed poſteris temporibus, & florente republica ſub Cicerone, omnibus omnium ordinum civibus, quorum cenſus reſpondere videbatur iſtis ſumtibus, tributam fuiſſe, e *Cicer.* Verr. I. c. 58. patet. Quod ad originem attinet, parum Auctori noſtro, haud ſcimus an tamen iure, credibile videtur, ornamenta tam pretioſa, in iſta Romuli faece, urbisque paupertate, excogitata fuiſſe. Habet enim ſibi adverſantem *Plutarchum* & *Plinium,* quorum alter memoriæ prodidit, Romulum, Sabinas a ſuis raptas, eo modo ab ira ad lenitatem revocaſſe, ut *bullam ac praetextam* liberis earum concederet; alter vero diſertis verbis, *a Tarquinio Priſco, omnium primo filium, cum in praetextae annis occidiſſet hoſtem, bulla aurea donatum,* ſcribit: quorum locorum veritatem quibus poſſit rationibus infringere, nondum videmus. Interim ingenioſam eius coniecturam, de inſcriptionibus bullarum aurearum, probamus. *Cauſeus* ſcilicet, in Muſeo Romano, aliam eius generis bullam in lucem edidit, CATVLI nomine inſignitam, unde *Bodelotius* & *Montefalconius,* hac inſcriptione inducti, eam *Q. Lutatio Catulo,* C. Marii in triumpho collegæ, tribuerunt, & a triumphantibus geſtatam fuiſſe eiusmodi bullam exiſtimarunt; quos duumviros

Digitized by Google

ros cæco impetu omnes ſecuti ſunt. Verum Auctor noſter, ex aliis ſignis, anaglyphisque operibus, quorum multa adhuc Romæ ſuperſunt, recte demonſtravit, in nulla usquam triumphantium icone bullam conſpici. Quare referendam ad alium quemcunque *Catulum* eſſe, cenſet. Cur vero tantum non Pag. 58.
omnes nomen aliquod inſcriptum referant, ſi quis quærat, non ineleganter ita reſpondet, iſtam inſcriptionem non antea fieri ſolitam eſſe, quam puer toga iam virili ſumta bullam depoſuiſſet, Laribusque dicaſſet; ſuam vero propterea nomine carere ſcribit, quod puer, qui eam geſtaſſet, antequam illam ætatem attigiſſet, morte præventus eſſet. Non minus ele- 54.
gantiam ingenii redolent, quæ de vitri origine, ad alteram huius Tabulæ imaginem, literis prodidit. Præter bullam auream, bonæ ſcævæ cauſa, rem turpiculam, teſte *Varrone*, in collo puerorum, ne quid obeſſet, ſuſpenderunt Romani. Hinc ar- 65.
repta occaſione, de faſcinis, quorum figuras aliquot delineatas dedit, eorumque cultu, diſputat, item aliquot genera amuletorum, inprimis quæ ex *Baſilidis*, illius Ægyptii ineptiſſimi novæ artis ſymbolicæ conditoris, diſciplina prodiiſſe dicuntur, enumeravit. Nihil hic occurrit, quod novitatis ſpecie ſe com- 72.
mendet; omne enim a *Chifletio* & aliis ſcriptoribus occupatum eſſe meminimus. Quare, miſſis eius dictis, ad Tabulam quartam progrediemur. Offert ea vaſculum aliquod vitreum, 83.
forma eleganti, in urna marmorea incluſum. E titulis lapidum vetuſtorum notum eſt, duplex genus fuiſſe ollarum; quasdam oſſuarias, alias cinerarias fuiſſe. Pars earum maxima fictilis, permultæ e marmoribus pretioſis, & nonnullæ ex alabaſtro effictæ fuerunt; de vitreis vero nulla apud ſcriptores mentio: quare non tantum ob pretium, ſed fragilitatem quoque, id monumentum magni faciendum eſſe confitemur. In ambitu ollæ figuræ eiusmodi pictæ reperiuntur, quæ ad ſepulchrorum ritus pertinere videntur. Quoniam vero in una tabula ſigillatim deſcribi non poterant, omnes, quotquot ornarent hanc ollam, imagines, variis coloribus encauſtico opere deſcriptas, in tabula V. viſendas præbuit. Nollemus tamen in 85.
univerſum monere neglexiſſet Cel. Auctor, triplex eſſe genus

encau-

encauſticæ picturæ apud veteres, aliud ceſtro, aliud cera, tertium penicillo factum, ad quod noviſſimum referendam eſſe hanc picturam cenſemus. Tabula ſexta, ſeptima, & octava, nihil memoratu dignum continet, quod oculos noſtros & ani-
Pag.94-98. mum magnopere feriat. in priori & altera quippe vaſcula quatuor lacrymatoria, duo vitrea, & totidem fictilia reperiuntur, excipiendis Præficarum, ut vulgo putant, lacrymis
101. apta. Tertia lucernas quasdam ſepulcrales, tres ſcilicet fictiles, unam æneam exhibet, poſt tot virorum operas in iis excutiendis poſitas, inprimis *Paſſerii* induſtriam & ſyllogen, non valde deſiderabiles. Nona ſane omnium optima præſtantiſſimaque nobis viſa eſt. Scilicet, præter pugillaris opercula duo, quæ raro occurrunt, imagunculamque pocillatoris ad men-
118. ſam miniſtrantis, figuram ex aere conflatam, tibicinisque quandam ſpeciem ſingularem & unicam plane referentem, exhibet. Vultus illius hominis perſona ſcenica tectus, veſtitusque mimicus, non obſcure ludionem ſignificat. Sed quo nomine appellandus ſit, nos non ſinit ignorare *Suetonius*, cuius hic locus appoſite decerptus eſt e *Nerone* c. 54. ubi dicitur, Neronem *ſub exitu vitae palam* voviſſe, *ſe ludis publicis proditurum etiam utricularium*. Eius autem generis tibicinem hoc loco tradi, *tibia utricularis* arguit, cuius imagunculam in nullis rerum antiquarum Collectionibus, aut in aliis libris deſcriptam, unquam animadvertimus. Quare operæ pretium foret, ſi quis latius, quam ab Auctore factum eſt, e lapidibus priſcis aliisque monumentis *utricularios tibicines* illuſtraret. Per utricularios enim adhuc nemo aliud genus hominum intellexit, quam Nautarum, Piſcatorum, qui utribus in mari ac fluviis, natandi transfretandique cauſa, uſi ſunt. Horum *utriculariorum* frequentiſſima eſt in lapidibus priſcis memoria ap. *Gruterum*, *Fabrettum*, & *Muratorium*, illorumque munera & picturas omnium optime excuſſit Cel. *Schwartzius*, in libello Academico de
129. *Collegiis utriculariorum*. Novam porro tabula decima figuram *Ibis* tradit, aſt diſputandi de re vulgari occaſionem non ſatis commodam præbuit. Nam etſi pulcra ſunt, quæ de figura avis illius excelſæ ſubtilius conſtituenda monet Auctor, nihilominus

minus tamen, cuius interſit hiſtoriam illius cultus pluribus re-cognoſcere, non videmus. Eodem modo quid opus erat, ad Tabulam XI, ubi egregiæ *Æſculapii* & *Teleſphori* imagines ſibi invicem iunctæ apparent, omnes illius fabulæ λεπ7ολο-γίας e vulgaribus ſcriptorum locis coacervare. Similiter ab hac literarum abundantia nulli dubitamus quin abſtinuiſſet ad Tab. XII, ſi vel *Lipſii*, vel *Fulvii Urſini*, vel alius Antiquarii hodie in Italia florentis, brevitatem & modum ſequi voluiſſet. Tralatitiæ videlicet ſunt *Antinoi* antiquitates, in omnibus maximis & minimis libris usquequaque obviæ. Neque parum ſibi ab illorum erroribus caviſſe videtur Cel. *Middletonus*, qui cum formoſam hominis faciem, & habitum corporis Apollineo ſimilem deprehendunt, illico Antinoi ſignum eſſe clamitant, parum reputantes animo, multo melius eſſe, ubi certa ſymbola deſint, profiteri ignorantiam, quam, nomen dei alicuius aut herois comminiſcendo, alios ſimul in errorem inducere. Sit itaque Antinous, qui forte meliori iure *Genius*, aut alius ex eorum numero Deus dici poſſet, quos Græci ἐπιςάτȣς, Romani præſtites vocant: unde, quæſumus, probabitur, templa quoque & ſtatuas Catamito illi in Italia erectas fuiſſe? De Ægypti, Aſiæ, & Græciæ urbibus, quam ægre tulerint Antinoi caſum, ut Hadriano aſſentarentur, quantisque eum honoribus poſt mortem coluerint, compertum habemus: ſed Italiam, pro illa ſimulacrorum multitudine, qualem quotidie nobis obtrudunt Antiquarii non pauci, adeo obnoxiam voluntati Hadriani Imperatoris fuiſſe, ut infames eius amores, in honorem & memoriam Antinoi collocatis ſtatuis, probaverit, vix inducimur ut credamus; præſertim cum in nullo veterum ſcriptorum libro cultus eius in Italia celebretur. Habeant igitur ſuas tanto numero Antinoi ſtatuas, quibus volupe eſt, ex capite crinito & intonſo, formoſoque corpore, Antinoum illico agnoſcere. Fatemur, tam ſubtiliter in omnibus eius generis ſimulacris, & acute, nos non cernere poſſe, nobisque verecundiam illam *Gorianam* magis placere, quam ullam ullius interpretis magniloquentiam. In nominandis enim eiusmodi dubiæ ſignificationis ſtatuis, quam caute ſit verſandum, omnium optime doce-

bit exemplum ſimilis ſtatuæ apud *Olivierium* in *Marmoribus*
Pag. 149. *Piſaurenſibus* p. 4. Pergimus ad Tab. XIII. ubi numero 1. Bacchi ſimulacrum aliquod æneum conſpicitur, ſecundo loco icuncula, hermarum forma ex aere ficta, tertio arula quædam Larum ſeu deorum cubicularium perpulchra ex aere, oſtenditur. Eorum omnium monumentorum haudquaquam difficilis eſt explicatus; atque in iis exponendis, ſi alterius interpretationem exceperis, ſatis feliciter verſatus eſt Cel. Auctor.

Sed decepit Virum doctum neſcimus quis calathus in capite Hermæ collocatus, ut *Serapidem* nobis quendam Ægyptiorum Deum comminiſceretur, qui nullus eſt, multumque de diis Ægyptiorum Romam traductis, publiceque non minus quam privatim in Larariis cultis, diſſereret. Nos contra quovis pignore contendere auſimus, neque Apollinis, neque Bacchi, neque Serapidis imaginem hic repræſentari, ſed *Fauni* potius, quem ſatis arguit aurium acumen. Ad tabulam XIV, in qua extant quatuor imagines, una Bacchæ, altera gladiatoris, tertia
160. ſeq. herois Etruſci, quarta *Germanici* forte aut Druſi effigies, rurſus quædam de bacchicis furoribus, hederæque uſu & phyſicis rationibus, quas edebat ſuperſtitioſa veterum credulitas, ita fecit verba, ut poſt tot aliorum dicta actum agere videatur. Paulo maiori cum delectu ſententiarum loquitur de pateris,
169 - 177. earumque uſu in conviviis & ſacrificiis, ad Tab. XV. XVI, in quibus duo germana eiuſcemodi vaſcula concava & rotunda oculis noſtris ſubiiciuntur, quæ *Begerus* maluit *Apophoretas* vocare, quam cum *Cauſeo pateras*. Noſtræ tanto maioris pretii haberi iure debent, quod anſatæ, & manubrio quodam inſtru-
178. ctæ ſunt. In Tab. XVII. haſtæ antiquæ ſpiculum æneum deſcriptum cernimus, una cum inſtrumentis duobus fabrilibus, ex aere pariter conflatis: quo in loco Cel. Auctor non iniuria coniicit, enſes ferreos in locum æneorum ſucceſſiſſe, atque hæc inſtrumenta eorum forte temporum reliquias videri, quibus ferrum vel nondum cognitum, vel non niſi raro uſur-
185. patum fuerit. Tabula XVIII. & XIX. vetuſtiſſimos Romanorum numos complectitur, in quibus enarrandis ita ſe inſtituit
195. Auctor, ut ad priorem genuinas & priſcas aſſis libralis partes egre-

Digitized by Google

egregie nos doceret, ad alteram vero aſſis imminuti rationes,
propoſitis numorum typis, particulatim interpretaretur. Quo
in argumento perquam lubrico, & difficili, operæ videtur pre-
tium feciſſe. A numis ad pondera delabitur, quorum menſu- Pag. 212.
ram ad numorum æneorum rationes nemo ante eum diligenter
excuſſerat. Cel. Auctor pondus antiquum librale, item qua-
tuor uncias æneas, earumque partes nonnullas, in medium af-
ferens, non protrita quædam de ponderibus publica auctorita-
te conſtitutis, & ſignis in eis inſculptis, cuiusque ſignificatio-
nis & momenti ſint, eleganter demonſtravit. In eadem ta- 216.
bula varia admiſcuit alia priſcorum temporum monumenta,
uti aquilæ imagunculam baſi impoſitam, quam rei divinæ, olim
vel domi, vel militiæ faciundæ, deſtinatam fuiſſe arbitratur.
Porro ibidem viſendum præbet doctiſſ. Auctor Guttum anti- 219.
quum ex aere, ubi vaſculi iſtius uſus, ad olea ſcilicet atque un-
guenta pretioſa, cum in balneis, tum in ſacris, guttatim funden-
da, demonſtratur: adhæc pedem votivum, qui e donariorum in 220.
templis repoſitorum, ex voto ſuſcepto, eſſe genere videtur; item
Tigridis imaginem quandam æneam, opere antiquo, adiungere 223.
ei libuit, de cuius tamen uſu nihil certi ſtatuit. Tabula XXI.
gemmarum pretioſiſſimarum figuris ſcalpturisque ſplendet, in
quibus quid primum, quid poſtremum laudare debeamus,
utrum raras earundem imagines, an doctrinam Cel. Auctoris, 225.
qua tanquam lumine colluſtratas videmus, nondum liquet.
Sunt autem numero quatuordecim, exhibentque vultus *Byzan-* 227.
tis Herois, urbis Byzantii conditoris: *Hermaphroditi* ad ar-
borem alligati, cuius ad caput Faunus, ad pedes Satyrus aſſidet;
quam tamen eandem imaginem, ni memoria nos fallit, vide-
mur reperiſſe in *Borioni Collect. Antiqu. Rom:* tum regis cu-
iusdam Parthorum: poſtea *Pruſiae* Regis Bithyniæ: *Sexti* 231-233.
Chæronenſis, Plutarchi nepotis: *Omphales* Herculis inſignibus 235. 236.
inſtructæ frequentem alioquin imaginem, & apud *Roſſium, Sto-* 237.
ſchium, & alios obviam; præterea Matidiæ Auguſtæ: Fauſtinæ
ſenioris: *Mercurii*, ſymbolis ſuis omnibus inſtructi: item ima- 239. 240.
gines varias, ſymbolico quodam ſignificatu inter ſe commixtas, 243.
videlicet *Socratis*, *Pavonis*, *Elephantis*, & *Sceptri*; qualem ty-

Digitized by Google

Pag. 246. pum meminimus quoque nos videre apud *Auguſtinum*, *Stephanonium*, & *Gorlaeum:* tum vultus galli gallinacei, & cornu-
247. copiæ, quod e globulo quaſi exſurgere videtur: mulieris ſ.
248. Deæ cuiusdam Ægyptiæ: Avis Ægyptiæ ſ. Ibidis: & tandem ſpeciem lapidis Chalcedoni rotundum, & globi dimidiati ad exemplum, ex altera parte planum, ex altera convexum, cui literis quadratis inſcribitur: TRIVMPHVS QVADORVM. Hos omnes lapides, non modo elegantia ſcalpturæ, ſed rerum quoque imaginibus, quas continent, commendabiles, ordine ſigillatim expoſuit, & tenebras, quæ videbantur in iis ſupereſſe, vel noſtro iudicio optime & pulcherrime diſpulit. Sub
251 - 263. finem huius operis, in Tab. XXII. & XXIII. Mumiam Ægyptiacam delineandam curavit, quæ ab homine nobili, Georgio Townshend, navis bellicæ in claſſe regia præfecto, in Angliam diu deportata, atque Academiæ Cantabrigienſi donata eſt. Ubi primum de loculis vel thecis ligneis, in quibus cadavera, Ægyptiorum more condita, repoſita erant, tum de forma earum, & pingendi modo, diſſeruit; inquirens ſimul in hanc cadaverum condituram, an tanto aromatum apparatu, tantoque ſumtu, quanto fieri ſolere traditur, revera effectam fuiſſe appareat: quod inprimis negat, & ex reliquiis illius Mumiæ opinionem ſuam novis rationibus confirmat. Optandum omnino eſſet, ut Cel. Auctor, in excutiendis eiusmodi antiquitatum monumentis pergeret. Moleſte enim ferimus, quod ipſe de ſe in præfatione ſcribit, *aetas*, inquiens, *mea iam ingraveſcens, ad graviora & perſonae accommodatiora me progredi monet.* Nos vero, quid gravius, quid antiquius ſit hac literarum tractatione, non videmus. Quare nollemus publice his literis valedixiſſet cel. Auctor, qui uſu illarum rerum ſubactus, plures omnino fructus afferre fundo huic literario potuiſſet, quam multi tirones, quos aptiores eſſe ad huiusmodi ſtudia perſequenda haud ſcimus an vere ſibi perſuadeat. Semper enim ita exiſtimavimus, multa legiſſe vidiſſeque, iudicioque ſubacto uti oportere eum, qui velit, quod ætatem ferat, nec lectu indignum ſit, in hoc genere ſtudiorum humanitatis procudere.

Le

Digitized by Google

LE MECHANISTE PHILOSOPHE &c.

i. e.

MECHANICUS ARTIFEX PHILOSOPHUS, Scriptum plura continens pertinentia ad vitam & opera Dom. IOANNIS PIGEON, Mathematici, Membri Societatis artium, auctoris primorum automatorum, mundi Syſtema exhibentium, quæ in Gallia, hypotheſi Copernicanæ aptata, effecta ſunt. Elaboravit filia, Dom. de PREMONTVAL.

Hagæ Com. 1750. ap. Petr. van Clef, plag. 16. Tab. æn. 6. in 8.

Non pietatis ſolum ſpecimen edidit cultiſſima femina, ſed doctrinæ etiam & facundiæ, haud mediocris; dum patris, laboribus mechanicis celebrati, memoriam ita ſervat, ut & ipſa intelligere ſe hos labores oſtendat, & filiæ adfectum terſo comtoque ſermone exponat. Nos, ſepoſitis ornamentis, palmaria vitæ capita excerpemus. Natus eſt *Ioannes Pigeon* 1654. in parvo Nivernenſis tractus (*du Nivernois*) oppido *Donzi*, patri ferri carbonumque mercaturam exercenti inter complures liberos ultimus, ſed eodem & matre, cum unico fratre ſuperſtite, in prima infantia orbatus, litterarum & computi prima elementa ab homine eccleſiaſtico didicit, pulſus eius domo quamprimum ſalarium ſolvere amplius non poterat. Tornandi artifex, ſed qui ultra conditionem ſuam ſapiebat, locum illi apud ſe conceſſit, & cum arte ſua praxin ſciateriorum delineandorum docuit, & ad horologiorum automatorum alium artificem deduxit. Sed & alios complures doctores habuit Pigeon, omnes multum infra perfectionem poſitos, ut hinc cito illos relinqueret. Ultimo pictura illum occupavit, & longo tempore; deinde militiæ per aliquod tempus nomen dare coactus, & poſt 10. vel 11. annorum ſtipendia, ætatis 32, miſſionem impetravit. Miles adhuc ad libros legendos delatus, nihil enim adhuc præter ea, quæ puerum didiciſſe monuimus, noverat, fabulas romanenſes, quas vocant, & hiſtorias, primo quidem ob

imperitiam confudit, poſt ſapientior factus, ob philoſophiæ, quam fatetur filia eum iuſto plus extendiſſe, incertitudinem ſcilicet, contradictionesque hiſtoriæ, & factorum ſterilitatem, hiſtoricos non alio ſcopo legendos cenſuit, quam fabularum ſcriptores, ut hominum ingenia noſcamus. Mathematicos vero libros avidius legit, imo, cum non ſufficerent emendis omnibus facultates, exſcripſit. Fuerunt hi libri, ut quam profunde verſatus in his ſit iudicari queat, Euclides, & ſimiles. Germanicos etiam & Anglicos, etſi linguarum imperitus, ex calculis & figuris divinando intelligere ſtuduit. Cuius rei fama ut inter commilitones percrebuit, magnam, cum ſcientia eius, tum artes variæ, excitarunt admirationem. Militia miſſa, totum ſe artibus dedidit, neglectis aliis diteſcendi emergendique mediis, nihil aliud optans, quam quietum vitæ genus, quo unice vacare poſſet artibus, in iisque excellere, non lucri aut gloriæ cauſſa, ſed voluptatis, quæ, cum perfectum aliquid elaboravimus, natura ſua in nobis naſcitur. Deinde operibus pluribus regiis adhibitus, opera ſua etiam adfuit dominis *Bion*, *Samſon*, *de l'Isle*, mathematicorum organorum & geographiæ cognitione inclytis. Nulli eo tempore globi in Gallia perficiebantur, omnes Italia aut Hollandia mittebat. Primus illos, & per 30. annos fere ſolus, Pigeon in Gallia conſtruxit: duos etiam pendulos, Syſtemati Copernicano aptatos, perfecit. Deinde Archimedis, ut filia loquitur, æmulus, automaton, planetarum motus omnes cum coelo conſpirantes exhibiturum, concepit animo, Patrique Sebaſtiano, Carmelitæ, Academico Pariſino, præſtantiſſimo ſæculi ſui artifici, cum quo ſtudiorum ſimilitudo illum iunxerat, quid mente volveret detexit, qui fruſtra diſſuaſit opus, tantam exactitudinem non obtineri poſſe ratus. Erat vero in eo Pigeon, ut Ptolemaicum Syſtema exhiberet, illudque fere abſolverat, cum de falſitate hypotheſeos, præſtantiaque Copernicanæ convictus, reiecit omnia, & vero Syſtemati ſe applicavit; cuius ordinem, & excellentiam, tum patris verbis, (nam machinas libro peculiari deſcripſit,) tum aliorum, fuſe hic filia exponit; & quia globus tellurem in automato repræſentans, pollicis diametrum habuit, ut variis uſibus applicari potuerit,

Digitized by Google

fuerit, ſollicite demonſtrat, hac terræ magnitudine ſtatuta, in reliquis proportiones veras ſervari non potuiſſe; quod dilucidius exponere *geometrarum* etiam in gratiam neceſſarium iudicat, iniuriarum procul dubio actione hanc ob cauſſam a geometris convenienda, niſi feminæ, quia principia ſcientiarum memoriæ mandavit, ſatis eruditæ, condonare aliquid velint. Automati ipſius, phænomenis coeleſtibus, qualia Pariſiis obſervantur, exhibendis, præcipue aptati, amplam deſcriptionem dare hic ſuperſedemus, cum effectus ſaltim externaque ſpecies deſcribantur, neque poſt Hugenii hac de re librum, tales machinæ adeo ignotæ ſint. In hac ergo machina perficienda, ſumtuum & lucri ſocium adſumſit aliquem nomine *De Lure*, ſicque primam huius generis machinam, ante 40. annos cum filia hæc ſcriberet, protulit; quam Ludovicus XIV. Nov. 12. anno 1706. contemplari, auctoremque omnia explicantem audire, dignatus eſt: qua occaſione Rex ipſe recordatus, in ſua cohorte olim Pigeon ſtipendia meruiſſe, virumque certa quadam occaſione ſe exhibuiſſe, *non exſpectaſſe ſe*, verba ſunt regia, *in milite ſuo forti Archimedem ſe reperturum*. Machinam emit rex, regio pretio, & academiæ ſcientiarum donavit, ubi adhuc ſpectatur. Aliam poſt abſolvit, quæ mediante Cardinali de Fleuri, Ludovici XV in infantia adhuc conſtituti conſpectu honorata eſt; deinde etiam Petrum Magnum ut auctorem viſeret movit, qui emiſſet machinam, niſi verendum fuiſſet, ne in itinere periclitaretur. Eadem tamen a Domino *Dupuis*, tunc Canadæ præfecto (*Intendant*), poſt in Americam translata eſt, iam Quebeci reperiunda. Dupuiſii elogium, ipſumque epitaphium, hac occaſione filia inſerit, & de hydraulica machina ab eo reperta fuſe agit. Tria alia automata Pigeon poſt hæc confecit, & planiſphærium, quæ in libro edito deſcripſit. Seni oculorum uſum cataracta abſtulit: qua occaſione, quomodo ſolatus fuerit coecum Cardinalis de Polignac, (nam automata celebrem reddiderant, & ſummorum virorum amorem conciliaverant,) filia recenſet. Ipſa a ſeptimo ætatis anno lumine orbato adfuit, doloremque, ducendo eum, & libros prælegendo, lenivit per octennium, quo plerumque firma valetudine uſus

eſt,

Digitized by Google

eſt, præterquam ultimis vitæ temporibus, ubi morbis & remediis conſumtus, vitam 18. Decembr. 1739. anno 85. proximus, finiit. Matrimonium bis iniit, utrumque felix, ſed primum ſterile, alterum cum iuvencula 18. annorum, ipſe 67. unde nati ſunt 11. liberi. Viduam, filios quatuor, filias tres, ſuperſtites reliquit. Quæ hæc ſcripſit, liberos reliquos ætate præcedit.

Hæc, tribus libelli partibus exponuntur. Quarta cogitata quædam artificis, ex ſchedis eius deſumta, continet, ſed quæ filia magis extendit. Primum de virium menſura agit. Cum fluidorum actiones in plana ſint in duplicata velocitatis, convenire hoc putat cum menſura Carteſiana, quia tum maſſæ dato tempore adlabentes, tum vis maſſæ Carteſiano more æſtimata, ſint ut velocitas, quæ coniuncta duplicatam rationem præbeant. Leibnitiana æſtimatio triplicatam ipſi præbitura videtur. Sed nunquam negarunt Leibnitiani, impetum inſtantaneum eſſe ut velocitas. Deinde *harmoniae praeſtabilitae* varia obiicit: poſt de lege Kepleriana motuum planetariorum agit. Hæc omnia edentem filiæ pietatem non reprehendimus, huc tamen transferenda non cenſemus, cum oſtendant ſaltim, ſciviſſe virum multa, & ſatis quidem profunde, quæ alii ſciverunt. Additur ſermo, a femina docta habitus, cum automaton patris Pariſiis publice explicaret.

Digitized by Google

NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipſiæ

Calendis Septembris Anno MDCCLVII.

Pars I.

ΘΩΜΑ ΤΟΥ ΜΑΓΙΣΤΡΟΥ ΚΑΤ' ἈΛΦΑΒΗΤΟΝ ΟΝΟμάτων Ἀττικῶν Ἐκλογαί. *Ex diſpoſitione NICOL. BLANCARDI, cum vetuſtis LAMBERTI BOS, & novis defunctorum virorum, D. HEINSII, FR. IUNII, LAUR. NORMANNI, ERICI BENZELII, I. CHRISTOPH. WOLFII, ARNOLDI DRAKENBORCHII, ABRAHAMI TORRENII, & quum maxime vivorum, CL. SALLIERII, IO. IAC. WITTERI, DAN. WILH. TRILLERI, ELIÆ STOEBERI, TIBERII HEMSTERHUSII, FRANCISCI OUDENDORPII, FRED. LUDOV. ABRESCHII, animadverſionibus. Collegit partim digeſſitque IO. STEPHANUS BERNARD, qui & ſuas notas adiecit.*

Lugduni Batavorum 1757. apud Petrum van der Eyk & Cornelium de Pecker, 2 Alph. 17 plag. octavo mai.

Ornandæ huic novæ *Thomae Magiſtri* editioni, neque librarii excuſores, neque collectores, *Bernardus & Oudendorpius,* Viri Clariſſimi, defuere. Nam præter illas, quas de ſuo contulerunt, egregias ſymbolas, quantas potuere maximas conſcripſerunt copias, & quidquid doctiſſimi homines, hoc & ſuperiore ſæculo, ad Grammaticum græcum

Digitized by Google

commentati fuere, & ſedulo id conquiſiverunt, & hoc volumine comprehenſum exhibuerunt. Non exiguam profecto huius editionis ſpem movent, neque parum eam commendant illuſtria nomina, modo a nobis e titulo recitata. Quinque fere aut ſex anni abierunt, ex quo novæ huic editioni primam admovit manum Bernardus, Medicus, græcarum literarum & veterum græcorum medicorum ſtudioſus, quod editis nonnullis haud contemnendis documentis teſtatum fecit. Verum, ſive vitæ periodeuticæ tumultus, ſive locorum diſtantia, moram editioni iniecerit, cum librariorum rationibus parum convenientem: ipſe enim artem medicam Amſtelodami exercet, & liber ex officinis Leidenſibus prodiit: translata, ſeu conſentiente Bernardo, ſeu librariorum ex voluntate, cura continuandæ & accelerandæ editionis fuit in Hemſterhuſium, & Oudendorpium, ſed hunc præcipue, Duumviros humaniorum literarum laude ſumma inſignes, quibus vix reperiri poterat, qui magis idoneus huic operi perficiendo fuiſſet. Ex quo factum, ut præfandi neceſſitas Oudendorpio, quamvis detrectanti, nolebat enim is videri, qui in alienam provinciam invaderet, ſubeunda tamen eſſet.

Primo itaque loco antiquiores ſua editiones recenſet Oudendorpius, Romanam, Venetam, Pariſinam, & Franekeranam, præter Venetam, reliquas omnes & ſibi viſas atque in uſum vocatas, & forma minore proditas. Nam Veneta forma folii expanſi, in ædibus Aldi & Andreæ Aſulani, cum præfatione Franciſci Aſulani A. 1524. excuſa fuit; Romana omnium prima ſeptennio ante. Pariſinam dedit officina Michaelis Vaſcoſani A. 1532. Franekeranam inſtituit circa annum 1690. Nicolaus Blancardus. Sed octennio poſt, peculiaribus in ſchedis, adiecit ei Lambertus Bos ſuas ad Thomam bonæ notæ obſervationes. Quo factum, ut multis eæ deſint Thomæ Franeckerani codicibus, illis nempe, qui ante A. 1698. inter librariorum, inſtitorum, & compactorum manus diſtracti fuere. De Blancardi, glorioſi magis militis, ut videtur, quam viri docti, ratione, qua uſus ille in edendo Thoma fuit, vehementer queritur Oudendorpius. Illum, absque codicum manuſcri-

nuſcriptorum ope multa tacite immutaſſe, & tamen codices, neque eos numero paucos, a ſe collatos iactaſſe: veterum auctorum locos, a Thoma excitatos, ex editionibus ipſius ætate vulgaribus, contra Thomæ codicum, cum excuſorum typis, tum calamo exaratorum, fidem exhibuiſſe; quo ſæpe factum, ut argumentis Thomæ nervi inciderentur: ordinem, quo ſuperiores editiones vocabula exhibuiſſent, peſſimo exemplo inſuper habuiſſe, articulosque libelli multis locis modisque diſtraxiſſe, præpoſuiſſe, reieciſſe, quadrata rotundis mutaſſe, & ipſo ſtudio libellum ad literarum alphabeti ſeriem arctius adſtringendi, in eam incidiſſe moleſtiam, ut non pauca omitteret, quæ a Thoma profecta, & a ſuperioribus editionibus tradita fuiſſent. Nollet itaque factum, ut hæc editio, ad infidæ, & non uno vitio laborantis Blancardinæ exemplum, fuiſſet expreſſa. Verum, quum illa ab huius editore primo fuiſſet operis ad imitandum in manus data, ſibi religioni duxiſſe ait Oudendorpius, ab inſtituto deceſſoris deſciſcere. Occurrit quoque huic malo cum ipſius Oudendorpii, tum aliorum doctorum hominum cura, qui, quæ Blancardinæ deſunt, ea ſedulo annotarunt, &, cum variantibus lectionibus, ordinem quoque articulorum, in vetuſtis codicibus ſervatum, indicarunt. Doctorum virorum annotationes ad Thomam, hoc loco congeſtas, uno omnes eodemque loco haberi nollet ipſe: nam ineſſe acervo quarundam coniecturas, temere in marginem codicum, quibus ipſi, dum eſſent, uſi fuiſſent, effuſos; quod genus illo utique deterius eſſe inter omnes conſtat, quod diligenter in uſus publicos elaboratur. Ad hanc ſubitariarum animadverſionum claſſem illa refert, quæ Drakenborchii nomen præferunt. Videntur eodem quoque Heinſiana, & Iuniana, pertinere. Sibi tamen tantum non audet ſumere Oudendorpius, ut cuiusque de Thoma merita æſtimet. Id potius ſe daturum ait operam, ut conſtet, quid ad ornandum Thomam, & ipſe, & alii contulerint, & quæ huic rei bene gerendæ ſubſidia ad manum cuique fuerint.

Indagandi igitur ante omnia fuere fontes locorum a Thoma laudatorum, tum explorandum ipſum Thomæ de probitate

Digitized by Google

cuiusque vocabuli, ab ipſo damnati, iudicium. Unde paſſim nata Thomæ ex auctoribus vulgo proſtantibus emendandi copia; ſed & rurſus hos e Thoma corrigendi. Miſere Thomas iudicando peccat, & pravi iudicii poenas dat vapulando miſerrime: qua in re Trillero nemo in eum acerbius ſæviit. Eſt tamen etiam, ubi aut abſolutus, ut inſons, aut leniter increpitus, abit. Ad textum, quod appellant, rite conſtituendum, præter veteres duas, Italicam & Gallicam, editiones, profuerunt variæ lectiones codicum manu exaratorum, & doctorum ſociorum auxilia. Quorum quid editorum quisque conduxerit, diſtinctius tradendum exiſtimamus. Accipite igitur, primum quas Bernardus copias, tum, quas Oudendorpius, conſcripſerit.

Elias Stoeberus, Vir doctus, Gymnaſii Argentoratenſis Rector, ceperat aliquando conſilium, de græcis grammaticis, & in his Thoma, uno corpore exhibendis. Cui egregio conſilio cum proſper eventus haud reſponderet, mittebat ea, quæ ad Thomam in ſchedis depoſita habebat, ea lege, ad Bernardum, quem ad edendum Thomam animum adieciſſe audiverat, ut in editione ipſius locum invenirent. Erant autem, quæ Stoeberus comparaverat, hæc. Ipſe quum Pariſiis ageret, duo Thomæ codices manu exaratos, in bibliotheca regia, indulgente & copiam faciente Claudio Salliero, cum editis commiſerat. Horum itaque codicum diſcrepantes ab editis lectiones, unaque ſuas & Sallieri, denique & Witteri, in Academia Argentoratenſe nuper clari Profeſſoris, animadverſiones ad Thomam Bernardo miſit. Eo facto initio, mox creverunt illi opes. Nam e media Germania literatiſſimus Medicus, Trillerus, Bernardo ſtudiorum ſimilitudine & literarum commercio coniunctus, e copiis Græcarum literarum, quibus inſtructus eſt ſplendidiſſimis, auxilia amico ſubmiſit, neque numero, neque virtute, facile cuiusquam inferiora. Submiſit quoque Abreſchius non contemnenda. Denique Wolfii ad Thomam paucas annotationes, ex Obſervationum Miſcellanearum Amſtelodamenſium Vol. V. tom. III. p. 29. ſeq. repetiit Bernardus, ubi, ſub Lexiphili adſcito nomine,

Digitized by Google

mine, latebat olim egregii viri opuſculum. Tandem Drakenborchiana quoque, & ſuas, non valde multas, neque ſpiſſas annotationes, adiecit Bernardus. Sed his quidem ſuum nomen adſcribi, ut cæterarum quæque ſuos auctores profitentur, vetuit. Quæ a Bernardo profecta ſunt, viſa ea nobis ſunt, aut a properante effuſa, aut ab invito & aliud agente, velut per iram & contemtum, excuſſa fuiſſe. Et copiam lectionis, & delectum in iis deſideres, ordinemque & perſpicuitatem; quod, (nam vel pauca ſufficiet exempla proferre,) e notatis p. 313. ad v. ἔνστασις, & e diſputatis p. 404. ſuper Zacoris, intelligitur. Ad ſummam Collectoris magis, quam Interpretis partes ſibi ſumſiſſe, & felicius geſſiſſe, videtur. Hæc igitur ille.

Iſta Oudendorpius. Primum Danielis Heinſii, Franciſci Iunii, Laur. Normanni, Erici Benzelii, Abrahami Torrenii, & Ioannis Ienſii notulas, ex impreſſis codicibus Thomæ, quibus illi olim utebantur, excerptas, in lucem protulit; tum varias lectiones adſcripſit, quas Ericus Benzelius, e codice chartaceo mſto Collegii Novi Oxonienſis anno 1700. excerpſerat, & Wolfius, cum ſuis & aliorum coniectaneis, Oudendorpio donaverat. Ipſe V. C. Thomæ textum ad duo codices mſtos bibliothecæ Leidenſis, quondam Voſſianos, exegit, qui tamen codices magis e Thoma excerpta, quam ipſum, dant. Uſus denique fuit codice, partim in membranis, partim in charta bombycina exarato, qui paucis abhinc annis bibliothecam clari nuper apud nos Theologi, Boerneri, ornabat, nunc in Petri Burmanni, Amſtelodamenſis Profeſſoris clariſſimi, ius & titulum conceſſit. Hoc tamen codice ſtatim a principio uti non licuit Oudendorpio: nam citius in Belgium perlatus non fuit, quam operæ ad p. 609. perveniſſent. Ab eo inde loco, ſuis quibusque locis, codicem, a novo domino Burmannianum ipſi dictum, laudat; reliqua, ad ſuperiora quæ pertinent, neceſſe fuit in addenda referre. Hemſterhuſium, Virum incomparabilem, credibile eſt cum Oudendorpio purgandorum a ſphalmatibus typographicis foliorum a prælo recentium curam partitum fuiſſe. Quod interea dum ageret, faciebat id,

 quo

quo aliud nihil ipſi factu erat facilius. Quid enim facilius, quam de divite penu promere? Animadverſiones Thomæ adſpergebat, aliud quidem agens, ſed ipſo dignas. Ecquis tandem, qui quidem Hemſterhuſium, & incredibilem, qua ille excellit, interiorum græcarum literarum peritiam norit, ab eo vel per otium ludente non exſpectet niſi ſumma & perfecta?

Sunt hæc ferme, quæ ex Oudendorpii præfatione repetenda duximus. Id unum adhuc ſupereſt, univerſo de opere quod moneamus, illi præfationi ambas illas Franekeranæ editionis ſubiectas eſſe, quarum una typographi verbis, altera Lamberti Boſii, & hæc quidem longe breviſſimis, lectorem alloquitur. Opus claudunt tres indices, unus auctorum qui a Thoma citantur, explicantur, notantur; alter vocabulorum, quæ Thomas paſſim, ſed extra ordinem literarum, & caecis notis, interpretatur; poſtremus, a Bernardo confectus, auctorum, quorum loci hoc in opere a viris doctis emendantur. In addendis haberi lectiones codicis Burmanniani, quæ ſuis locis afferri nequiere, paulo ante iam dictum eſt. Sed habentur ibi quoque tres Hemſterhuſii obſervationes. Una de dictione αἱ ἐξ ἀνθρώπων πληγαὶ, quam ille iubet *in humana verbera* reddere, damnans illam rationem, quæ interpretatur *quae poſſunt ab hominibus infligi*. Improbat pari modo interpretationem Caſſianæ dictionis, πάντα τὰ ἐξ ἀνθρώπων κακὰ, qua uſus fuit Caſſii Dionis noviſſimus editor, *improbitatem omnium hominum*, & *mala ac flagitia quae in homines cadere poſſunt*. Nobis ſatis ſit hanc litem attigiſſe. Altera obſervatio eſt ea, quæ ad p. 535. & verbum κλαδᾷν pertinet. Negaverat Thomas, recte κλαδεύειν τὰς ἀμπέλους dici; nam verbum ei rei proprium eſſe κλαδᾷν. At contra negat Hemſterhuſius, κλαδᾷν græcum eſſe: nuſquam locorum id verbum occurrere. aut deceptum fuiſſe Thomam pravis codicibus Phrynichi, ſui auctoris; aut librarios Thomam corrupiſſe. Phavorinum quidem, ſive Phrynicho ſua, ſive Thomæ debeat, κλᾷν τὰς ἀμπέλους, οὐχὶ κλαδεύειν, recte dediſſe. In eo quidem illum falſum, quod probum verbum κλαδεύειν damnaverit;

Digitized by Google

verit; àt recte tamen id tradere, quod κλᾷν de vitibus dicatur, quæ racemantur. Diſputata hæc aliquot exemplis verborum κλᾷν & κλαδεύειν firmat. Poſtrema earum Hemſterhuſii obſervationum, quæ addenda illuminant, verſatur circa vocabulum τερετίσματα. Eſt illud in hiſtoria philoſophiæ percelebre, & Ariſtotelis mentem declarat, qua Platonis ideas τερετίσματα per opprobrium & ſannas appellitare ſolebat. Scilicet ſunt τερετίσματα, προδιαψάλματα, præludia in citharis, explorandi fidium ſoni ergo facta; item cantiunculæ canoræ quidem, ſed inanes, quales nos *Geträllere* appellamus; denique generalius, inanes ſoni, rerum mentisque vacui, qui nihil aliud quam tinnulam aliquam modulationem & inconditam habent.

Hæc ex Addendis. At quid nos tandem in putaminibus obhæreſcimus, patente nucleo? Ipſum agedum delibemus opus, & ſpecimina quædam ex obſervatis virorum doctorum ad Thomam afferamus. Noſtrum quidem non eſt, neque nobis tantum arrogamus, ut palmas diſtribuamus. Diffidimus tamen, facile quemquam hac ætate noſtra fore, qui ea in græcarum literarum parte, quæ in originibus & vi uſuque vocabulorum continetur, cum Hemſterhuſio in certamen congredi audeat. Quod Trillerus noſter in Novo Teſtamento illuſtrando poſuit multorum annorum ſtudium, eius fructum aliquem percipere, & ſpecimen aliquod videre in eius ad Thomam annotationibus viſi nobis fuimus. Id enim præcipue agit V. C. ut craſſam Thomæ inſcitiam, malitia formidandam, & impudentia atque temeritate gravem, arguat, qua Novi præcipue Teſtamenti dictionem clam arrodere, & pro ſordida lutulentaque traducere ſtuduerit. quod Chriſtianum hominem, eumque monachum, ſuſtinuiſſe & machinatum fuiſſe, miraculo propius eſt; ſed magis adhuc, omnibus ad hoc diei id latuiſſe. Ad ſummam eo tendunt doctorum hominum, quotquot Thomæ hanc editionem ornant, annotationes, ut eum parum ieiuneque Græce calluiſſe, & multis modis ſe turpiter dediſſe, & quocunque tandem ſeu errore, ſeu fine cauſſaque, optimis dictionibus controverſiam moviſſe; damnaſſe

velut

Digitized by Google

velut uſurpata & e libris proſcripſiſſe ea, quorum in libris nulla veſtigia conſpiciantur; compilaſſe veteres, ſed ita, ut fures in tenebris ſolent, male intellecta peius retuliſſe; cætera, hoc de genere, idoneis exemplis demonſtrent. Unum pro omnibus audiamus Trillerum ſtomachantem. Sane, quisquis humaniſſimi viri comitatem incredibilem, & mores leniſſimos, uſu didicerit, aut mirabitur ille Viri natura ſua placidiſſimi impetum, aut intelliget, cauſſam fuiſſe graviſſimam, quare fuſtem in noxium caput tantis animis intorqueret. P. 735. ita Thomam Trillerus increpat. „Heu, pudeat te tuæ nefandæ dementiæ, miſelle Græcule. P. 741. „In Sacro N. T. codice hanc ipſam vocem elegantiſſimam aliquoties occurrere, doctis ſatis notum eſt. Id ipſum autem grammatico noſtro moroſo, pæne adieciſſem & impio, anſam dediſſe videtur, ut iſtam damnaret, ac ſuperbo dente arroderet, quod ſemper maligne facere conſuevit. P. 723. „Eat nunc grammaticus noſter infelici prorſus ſidere natus, & impune aſſerat, ſolum Ariſtotelem vocem πλευμονος in ſcriptis ſuis quondam adhibuiſſe: quin potius pudeat ipſum pigeatque vehementiſſime, hæc omnia proterve atque inepte a ſe fuiſſe, infeliciſſima quidem hora, ita effuſa atque evulgata. P. 515. Pari quidem tetro in N. T. livore, & foedo carpendi ſtudio, maiore tamen adhuc imprudentia & impudentia, damnat hic Thomas vocem probatiſſimam, elegantiſſimam, optimisque auctoribus græcis familiariſſimam, κατόρθωμα." Ut paucis abſolvamus, ubique fere V. C. aut malignum Thomæ erga ſacros auctores animum, aut inſcitiam ſermonis, aut meram inanem λεπτολογίαν, omni ratione ac fundamento prorſus deſtitutam, (ut p. 718.) exprobrat. Adderemus quoque graviſſimum locum e p. 375. niſi allati ſufficerent, & chartæ parcendum duceremus eſſe. Sed hæc quidem hactenus.

Iam dapum Hemſterhuſianarum dabimus guſtum aliquem. P. 5. de verbo ἀγάλλειν eſt præclara obſervatio, & p. 24. de terminatis in πλὴξ, multis ibi collatis exemplis, demonſtratur, ſic deſinentium vocabulorum quædam gaudere poteſtate activa, ut βαθύπληξ σκορπιος, *profundum vulnus infligens ſcorpio;*

Digitized by Google

pio; & ὀρθοπλὴξ, equus *ſternax*: longe maximam tamen partem paſſivam induere, ut ἀκανθοπλὴξ *ictus a ſpina*, ἁλιπλὴξ *verberatus a mari*, φρενοπλὴξ *mente perculſus*. Proxime ab illa obſervatione abeſt altera p. 25. de vocabulis ἠπητὴς, ἠπᾶσθαι, ἀκεῖσθαι, ἰᾶσθαι, quarum illa a veſtibus reſartis ad alias res pari modo priſtinæ integritati reſtituendas, hæc a corpore ſanato ad veſtes reficiendas, transferuntur. P. 101. Hemſterhuſius & Sallierius oſtendunt, ἀποσκοπεῖν non rarioris uſus eſſe, quam ἀποσκοπεῖσθαι, & falli Thomam in eo, quod illud damnarit, hoc prætulerit. Significare autem ἀποσκοπεῖν & ἀποθεωρεῖν e ſublimi & eminus proſpicere, item diligenter & intentis oculis inſpicere atque conſiderare, tandem etiam ita intueri, ut vultu contemtum teſtere. Quæ iidem Duumviri p. 123. de v. αὐθέκαστος obſervant, egregia ſunt. P. 127. egit Hemſterhuſius de formatione nominum ſubſtantivorum Attica in η exeunte, pro ησις, ut αὔξη pro αὔξησις, & ἄνθη pro ἄνθησις. P. 179. longæ diſputationi de voc. γαργαλισμὸς & γαργαλίζειν, præmiſit ſcitam obſervationem hanc: ſæpe priſcos grammaticos eximie Attica dixiſſe, & pro vocibus optimæ notæ duxiſſe ea, quæ a veteris comoediæ poetis vel ſola, vel plurimum uſurpata cognoſſent; non tamen ideo minus reprehenſionem eos mereri, qui omnia carpant & repudient, quæ e vetuſta comoedia exſulent, aut ab eius ſermone abhorreant. Γάργαλον & γαργάλην utique uſurpatum comicis fuiſſe; γαργαλισμὸν tamen ideo pro notæ peſſimæ vocabulo haberi non oportere, neque eius uſu ſcriptori terſo interdici, quum id legitime formatum, & in Attica ditione minime peregrinum, fuerit. P. 188. ad illam Thomæ enarrationem, γεννᾷ ὁ Πλάτων τὸν οὐρανὸν, illuſtrat V. C. hunc breviter loquendi modum ſimilibus exemplis, ut: πάντα ἐξ ἑνὸς γεννᾷν, *omnia aſſeverare ex uno nata*; κοσμοποιεῖν κατὰ συναθροισμὸν λεπτομερεστάτων σωμάτων. *mundum e concurſu & congmentatione partium ſubtiliſſimarum coaluiſſe, aſſeverare.* Tale eſt illud Arnobii. *Homerus Venerem ſauciat*, pro, *fingit eam ſauciari*. Simul indicat V. C. plures,

Digitized by Google

qui genus hoc aliis exemplis adſtruxerint & expoſuerint. Non contemnenda porro de v. *διαγράφειν, expungere*, p. 211. exſtat obſervatio; & p. 213. de *διάγειν, oblectare*, & *διαγωγή, oblectamentum, tempori fallendo & iucunde tranſigendo*. P. 263. demonſtrat, vocabulum ἔγχουσα nihilo deterius eſſe vocabulo ἄγχουσα: utrumque *purpuriſſam* ſignificare, radicem, cuius ſucco mulieres faciem ſibi pingebant. P. 313. diſſerit de illa v. ἔνστασις ſignificatione, quæ inſtitutum ſeu rationem quandam agendi, vivendi, & ſentiendi indicat. Præclara eſt emendatio loci apud Zoſimum p. 444. propoſita. Legitur in Zoſimi L. V. c. 27. Κουαδράτῳ γὰρ οἱ μεθετέον: iam deinceps e facili, ſed certa, emendatione Hemſterhuſii legetur, Κουαδράτῳ γὰρ, οἶμαι, θετέον. *Quadrato, ut opinor, aſſentiendum eſt.* Minus placebit coniectura de loco Thucydidæ, (is II, 15. p. 108. de fonte Enneacruno eſt,) e Thoma emendando p. 568. propoſita. Quid opus erat verbis ſaniſſimis, a grammatico toties erroris & inſcitiæ convicto, quem memoria, quem pravi codices fallere poterant, medicinam quærere? Sed ſolet hoc magnis ingeniis accidere, ut, dum nova, a vulgo remota, & ſublimia conſectantur, in nimis ſubtilia & nimium acuta incidant. Non poenitebit p. 636. de v. ναδὸς notata legiſſe; neque p. 862. illa de permutatione literarum α & ε in vocabulis ὕαλος & ὕελος, χλιαρὸς & χλιερὸς, ſimilibusque, uſu recepta; item p. 852. de permutatione futuri medii cum paſſivo.

Pauca hæc ſufficiunto ex Hemſterhuſianis ſpecjmina. Pari brevitate, e cæterorum quoque doctorum virorum obſervatis nonnulla ſpeciminis ergo afferemus. Placuerunt, quæ *Trillerus* p. 219. de διάπειρα, p. 373. & 374. de ἐσχάτως ἔχειν, p. 430. de θῶκος, p. 515. de κατέρθωμα, p. 526. & 528. de κεφαλὴ & κράνιον, p. 697. de πεζικὸς, p. 772. de κουφίζεσθαι τῆς νόσου, tradidit. In *Sallierii* annotatis elegans, non luxurians, nitet eruditio. Speciminis loco ſit illa diſputatio de πλαστογράφος, falſario, alienas manus imitante. E *Stoe-*

Digitized by Google

Stoeberi obſervationibus illam ſolam allegabimus, quæ p. 45. legitur, & geminos dativos, conſequentiæ a grammaticis dictos, non minus quam genitivos, in uſu græcorum fuiſſe demonſtrat. *Bernardus* p. 47. exempla illius uſus verbi *ἀναγινώσκειν* affert, quo *ἀναπείθειν* notat. Elegantem & certam Theophraſti emendationem p. 117. Idem proponit. P. 166. edit. noviſſimæ, Pauwianæ puta, ſeu cap. 19. Character. leguntur hæc: *εὐχομένων καὶ σπενδόντων ἐμβαλεῖν τὸ ποτήριον, καὶ γελάσαι, ὡς τερπνόν τι πεποιηκώς*. Dubium nullum eſt, in extremis verbis cum Bernardo *ὥσπερ ἀστεῖόν τι πεπ.* legi oportere. Idem p. 313. de v. *ἔνστασις* diſputat, ita tamen, ut vellemus eum id paullo dilucidius feciſſe. P. 654. exempla vocabulorum congeſſit, quorum partem terminatio *ωνης emtor* efficit. Mittimus reliqua, cum bona pace cæterorum doctorum hominum, qui ad Thomam ſuas ſymbolas contulerunt. Quis enim in his ſpatii anguſtiis tantas exhauriat literarias opes, quantis illi nos bearunt?

Iniquum tamen foret, neque facile veniam inveniret, ſi doctiſſimum *Oudendorpium*, cuius nomen omnes per paginas radiat, & cuius tanta per totum opus emicat induſtria, ut ſi cui alii multum, ei certe plurimum hæc editio debeat; ſi eum igitur laudum meritarum parte non modica privaremus. quod neceſſe eſſet fieri, ſi, quod aliis præſtitimus hactenus officium, id ei negaremus, neque ſcite docteque ab eo ad Thomam obſervatorum quidquam ſpeciminis ergo in medium afferremus. Neque propterea in ieiunis habendæ ſunt eius annotationes, quod in conferendis Thomæ cum Phrynichi verbis, e cuius fonte Thomas præcipue ſuos hortos rigavit, & cum aliorum, ut Ammonii, Etymologi, & ſi qui alii ſunt eius ordinis grammatici, traditionibus, & porro in enotandis Thomæ codicum diſcrepantibus lectionibus, proferendisque ſupplementis, quæ codices calamo exarati ſuppeditabant, denique & in locis auctorum, quorum Thomas ad fidem provocavit, indagandis & indicandis, potiſſimum occupentur.

 Nam

Nam ſumta ſæpius occaſione, aut aliis auctoribus integritatem reddit affectis Oudendorpius; quo beneficio nullus eſt veterum quem crebrius ſibi obſtrinxit, quam Ælianus, animalium dotes & ingenia enarrans, quem auctorem neceſſe eſt ut ſingulari cum cura ſtudioque præ aliis adamatum tractarit, nam ubique hunc citat, de hoc quavis oblata occaſione bene mereri ſtudet: aut obſcuris dictionibus græcis lucem accendit, dubiisve decus & fidem auctoritatemque adſtruit: aut promiſcue per errorem uſurpatas diſcernit. Exempli cauſſa locos non multos citabimus. Sic p. 84. diſcrimen demonſtrat, quod verba ἐπαρκεῖν & ἀπαρκεῖν intercedit; & p. 105. quid inter ἀποφέρειν, *praeſtare, ſolvere debitum*, & ἀποφέρεσθαι, *ferre, accipere*, interſit. P. 232. exempla indicavit locorum, ubi ἔφθορε ſenſu activo, pro *corrupit* uſurpatum fuit: p. 262. vindicat verbo ἐπικαλεῖν ſignificationem *incuſandi, exprobrandi*: p. 355. Thomæ fidem aſſerit afferendis exemplis verbi ἐπιστρέφειν, *aliorum oculos in ſe* vel *aliquam ad rem convertere*, & ἐπιστρέφεσθαι, *ad contuendum aliquid aciem oculorum intendere & vultum convertere.* Quamvis probare nequeamus, quæ p. 359. ad dictionem ταῖς ἐξ ἀνθρώπων ξαίνειν attulit, ipſi auctori poſtmodum improbata & retractata in addendis: non poſſumus tamen ea ſilentio præterire. Sibi videri igitur ait legendum eſſe, ταῖς ἐξ ἀντακαίων *flagris caedere*, quæ facta fuerint e piſcibus Antacæis, quibus nempe ſit membrana aut pellicula tenuis, lenta, & teres, e qua ad ſolem ſiccata lorum vel ſcutica confieri queat. Revocata, ut diximus, & damnata hac coniectura, vetat ταῖς ἐξ ἀνθρώπων mutare, ſed idem ſancit ſic verti oportere: *plagis crudelibus & verberibus inhumanis;* adiecto, elegantiſſimæ dictionis vim eruditorum neminem ad id diei recte percepiſſe, idque ſe ab Hemſterhuſio didiciſſe. Nos ipſi profecto non meminimus, eam, quam Oudendorpius, auctore, ut videtur, Hemſterhuſio, novam propoſuit, huius dictionis interpretationem uſpiam reperiſſe: habemus tamen viris doctiſſimis obſervationis novæ gratiam, habituri utique maiorem, ſi rationem ſimul edere

ſuæ

Digitized by Google

ſuæ ſententiæ ipſis placuiſſet, quam nos non diffitebimur per nebulam ſolummodo perſpicere, & coniectura ex ipſa interpretatione colligere. Forſitan aut conſtabat illis, aut perſuaſerant ſibi, ἐξ ἀνθρώπων idem ſignificaſſe quondam, aut ſignificare potuiſſe; quod in medio poſitum relinquemus diligentiori examini. Non contemnenda porro eſt Oudendorpii obſervatio p. 425. propoſita, Homerum ἥρω pro ἥρωϊ exaraſſe. P. 562. diſputat de v. ὕμνος, eiusque uſum ampliſſimum in rebus cum divinis tum humanis, cum lætis & ſecundis, tum triſtibus & adverſis, in laude pariter atque vituperio fuiſſe oſtendit. P. 632. diſcernit καθ' ἡμέραν a μεθ' ἡμέραν: illud eſt *quotidie*, hoc *de die*, vel *interdiu*. P. 746. annotat quædam de προσπαίζειν, & *alludere*, pro leniter iterum atque iterum allabi. Videmur iam nobis ſpeciminum induſtriæ & doctrinæ Oudendorpianæ, quod ſatis eſſe queat, protuliſſe.

His in opibus, ſi non primum ex utilitate locum, ex novitate certe non poſtremum habebunt, fragmenta ab ipſis e libris græcis nondum in lucem editis prolata. Hemſterhuſius Etymologicum Leidenſe laudavit p. 564. & ὀνομάτων Ἀττικῶν ἐκλογήν, a Thoma ſæpe expreſſam, ex eadem bibliotheca, p. 857. Etymologicum Ultraiectenſe citavit Abreſch p. 185. & Scholiaſtam in Ariſtidam p. 114. & 639. Photii Lexicon advocant Sallier & Oudendorp, paſſim locorum. Scholiaſtam Luciani, & Phrynichi Proparaſceuen, Stoeber paſſim, ut p. 28. 132. 139. 157. 301. Bernardus denique Diomedis ſcholia in Dionyſii artem, p. 47. gloſſas Cyrilli p. 56. rhetorem manuſcriptum, qui forſitan Himerius eſt, p. 77. & Theodoſii grammaticam p. 302.

D. IOANNIS ERNESTI HEBENSTREIT, in Academia Lipſienſi Therapiæ Profeſſoris publici, & Facultatis Medicæ Decani, rel. Tentamen philologicum medicum ſuper AETII AMIDENI Synopſis Medico-

rum veterum Libris octo, poſt illos octo, quos Aldus Manutius Venetiis MDXXXIV. evulgavit. Qui ſuperſunt nondum editis ex manuſcripto GUNZII ſiſtens Libri ſeu Sermonis noni aliquot capita græce & latine.

Lipſiæ 1757. ex officina Breitkopfia, pl. 4. in 4.

Iam dudum eſt, quod in votis fuit *Aetii Amideni a*) medici clariſſimi, inter græcos noviſſimi, Libros octo nondum editos, *b*) poſt illos octo priores, quos *Aldus Manutius Vene-*

---

a) Ab Amida, urbe Meſopotamiæ, ad Tigrim fluvium, & κόμης ὀψικίου, ſive comes obſequii, dictus, qui in aula imperatoria Conſtantinopolitana appellabatur is, qui *obſequio*, id eſt anteambulonibus, qui honoris cauſa imperatorem antecedebant, præerat, habebatque idem ſub ſe, in Aſia, integrum aliquod thema, ſive peculiarem quandam provinciam, dictam τὸ ὀψίκιον ſive *Obſequium*. Aetium Oribaſio aliquanto iuniorem eſſe, inde apparet, quod eum exſcripſit. Errant igitur, qui eundem ad tempora IMP. CONSTANTINI referunt, & cum *Aetio Antiocbeno*, Hæreſiarcha, confundunt. *Conf. Petrum* LAMBECIVM *Bibliothecæ Vindobonenſis Libr. VI. p.* 102. *Vindob.* 1674. *f. Io. Alb.* FABRICIVM *Bibliothecæ græcæ, Hamb.* 1715. 4. *Vol. VIII. Libr. V. c.* 23. *p.* 318. *Io.* FREIND. *Hiſtoria medicinæ. extat cum eius operibus. Par.* 1735. 4. in vita Aetii.

b) Græce tantum priores octo libri prodierunt hactenus, ex Aſulani & Aldi officina, Ven. 1534. f. Cæteri octo poſteriores MSti fuere in bibliotheca *Renati* MOREAV, teſte Labbæo p. 212. Bibliothecæ novæ MStorum, atque in variis bibliothecis ſuperſunt, & in Cæſarea, teſte Lambecio Libr. VI. p. 102. Omnes, una editi, nunc non niſi latine extant. *Ianus* CORNARIVS primum edidit libros ſex, ab octavo usque ad decimum tertium, ſolorum illorum codicem græcum MStum nactus; hinc *Io. Baptiſta* MONTANVS, *medicus Veronenſis*, primos ſeptem, nec minus tres poſteriores, ex ſua verſione addidit

Digitized by Google

Venetiis Anno MDXXXIV. ex codicibus antiquiſſimis evulgavit, nativo ſermone legere poſſe. Etiamſi enim illorum copiam fecerunt *Ianus Cornarius* & *Baptiſta Montanus*, eosque latinitate donatos ab interitu vindicaverunt: parum tamen eſt de quo lætari poſſint, qui græcas amant litteras, cum chartas inſpiciunt, de quibus ambigitur, habeantne id, quod in fontibus ipſis clarius rectiusque perſpicitur. Fecit igitur periculum Auctor huius ſcriptionis, & ſpecimen edidit ex aliquibus membranis, non quidem admodum vetuſtis, attamen clare & evidenter ſcriptis, an illæ cum ceteris codicibus, paſſim, maximeque in *Bibliotheca Auguſta Vindobonenſi* extantibus, concordes ſint, experturus. Iſtas membranas ab aliquo Bibliothecæ regiæ Pariſienſis codice *c*) exſcriptas eſſe, ſigna docent varia, quæ paſſim extant, ut propterea illis non deſit auctoritas, etiamſi ſcribentis manus paſſim erraverit. Si quæ enim intercurrunt mendæ, triviales ſunt, quas facile percipere posſint etiam illi, qui græci ſermonis ſcientia tincti ſunt leviter, ut proinde iſtis minutiis, ex analogia ſermonis græci facile corrigendis, deterreri ſe ab inſtituto ſuo paſſus haud fuerit commentator; nec habet ille quod metuat, ne pro mutilo habeatur liber, ſi forte defuerint nonnulla, quæ in aliis codicibus extent. Quando enim octo priores libri vel ſermones *d*), quos *Aldus* ex vetu-

---

dit, atque ita univerſos XVI. iunctim evulgavit *Baſ.* 1535. *f. apud Frobenium.* Aſt Ianus Cornarius totum opus de integro vertit, Francofurti, ubi tunc Medicum agebat, Ao. 1541. atque ex ſua verſione, ad duo exemplaria exacta, & ad GALENI ac PAVLI *Aeginetæ* lectionem collata, edidit *Baſ.* 1542. *Fol.* Recuſa Cornarii verſio eſt *Baſ.* 1549. atque inter Medicos principes *Henr Stephani* Genev. 1567. extat.

c) Græce integrum Aetii opus hactenus quidem non prodiit, expectabatur tamen Pariſiis, cura viri longe doctiſſimi, Ren. Moreau, Pariſienſis, regii medicinæ Profeſſoris. *Herm.* CONRINGIVS, *in introductione in univerſam artem medicam ed. Schelhammeriana Helm.* 1687. 4. *c.* 3. §. 19.

d) Operis, & ſectionum eius, tituli variant. Apud *Photium* eſt βιβλίον

vetuſtisſimis codicibus evulgavit, ſuis laborare non deſinunt eclipſibus *e*), & ſi viri doctisſimi, *Ianus Cornarius* & *Baptiſta Montanus*, quorum uterque ex fidelibus manuſcriptis librum hunc in latinum ſermonem transtulit, cenſuram Oroſcii *f*) effugere non potuerunt, qui, illos plenis & abſolutis-

βιβλίον ἰατρικὸν ἐν λόγοις ιϛ'. *Opus medicum Libris XVI.* pro quo *Cornarius* inſcripſit, *medicinam e veteribus contractam. Fabricius l. c.* Sedecim librorum Aetii in quatuor τετραβιβλους diviſionem, non ab ipſo auctore factam *Fabricius* animadvertit; ab aliquo recentiorum excogitatam ſcribit FREINDIVS *l. c.* p. 157. Manuſcriptum exemplar ſuum, τετραβίβλα inſcriptionem, ante ſermones partiales habuiſſe, notat *Cornarius* in præfatione. In noſtro hoc manuſcripto ſimiliter ὁ λόγος, ſermo, ut diviſio operis, aliquoties occurrit. *Petrus* LAMBECIVS in Manuſcripto Bibliothecæ Auguſtæ, ita legit: *Aetii Amideni, medici celeberrimi, & comitis opſicii,* τετράβιβλος, *ſeu ſyntagma medicinæ e veteribus contractæ, diviſum in quatuor primarias partes ſeu ſectiones, quarum quælibet quatuor Sermones complectitur, ita, ut totum ſyntagma, in univerſum conſtet libris ſedecim. Argumentum totius operis inſcribitur ac incipit his verbis:* Δήλωσις τῶν ἐμπεριεχομένων ἐν τοῖς ιϛ' βιβλίοις τῦ ἀετίȣ. *Expoſitio eorum, quæ habentur in XVI. Libris Aetii.*

e) Poteſt editio græca Aldina, beneficio *codicis MSti* CAESAREI, non ſolum plurimis locis emendari & illuſtrari, verum etiam integris octo poſterioribus libris ſuppleri. *Lambec.* ibid.

f) Annotationes in interpretes *Aetii*, *medici præclarisſimi, D. Chriſtophoro* OROSCIO *Authore:* una cum latinarum & græcarum dictionum ac rerum, quæ in iis annotationibus continentur, locupletiſſimo indice. *Baſ.* 1538. 4. In quo libello habentur varia, quæ in manuſcriptis Aetii per Hiſpanias extantibus inventa, & a Cornario omiſſa dicuntur eſſe, quorum aliqua ad poſteriores hos libros attinent. *Oroſcium autem illum, altas de montibus umbras iactantem,* caſtigat *Cornarius*, in præfatione ad alteram verſionem ſuam, priore locupletiorem, quæ extat cum Principibus Medicis Stephanianis. *Oroſcius* autem codice Aetii græco Pinciano, ut ſcribit *Fabricius l. c. p.* 322. uſus fuit.

Digitized by Google

lutiſsimis codicibus uſos non fuiſſe, obiicit; facile quoque apparet, nullum exemplar fore, cui non deſit aliquid illorum, quæ ſunt in aliis, *g*) maxime quod ad medicamentorum formulas attinet, quas ex veteribus *Aetius* collegerat, & quas variorum manuſcriptorum poſſeſſores græci novis collectionibus auxiſſe potuerunt, ſuntque etiam in hoc codice, medicamentorum compoſitiones multæ, quas nec *Cornarius*, nec *Montanus* legerunt. Contulit editor græcos *Aetii* ſermones cum latinis *interpretum laudatorum* verſionibus, atque eos, ſi a formulis medicamentorum recedas, in ceteris conſentire animadvertit. Ceterum eſt, quo ſperari poſſit, exemplar iſtud non eſſe ex infimis, ſiquidem illud magnorum, atque vel in arte medica, vel in græcarum litterarum ſtudio verſatiſſimorum virorum limam paſſum iam eſt. Namque ex Boerhavii Bibliotheca liber hic ſcriptus, ad eruditi viri, D. *Iuſti Gothofredi* GÜNZII, *Archiatri & Conſiliarii Regiae Poloniarum Maieſtatis, Electoris Saxoniae, Anatomiae & Chirurgiae Profeſſoris in Univerſitate Lipſienſi, amici Editoris etiam poſt fata cari, Medici rerum ad* an-

---

g) „Scriptor hic ubique mendoſus deprehenditur, ait *Ioan.* „*Baptiſta* MONTANUS, & cum quamplura exemplaria „omnia corrupta haberem, oportuit me iudicio, ac diligentia „ſeligere quod magis conſonum veritati videretur; ad quam „rem illud mihi maximo adiumento fuit, quod raro admodum „eveniret, ut omnes codices ſimul in eodem loco mendoſi le„gerentur, ita, ut tandem ex græcis malis latina fecerim me„liora; nam non tantum perverſa verba emendavi, imo & to„tas ſententias, ſæpe & capita integra, quæ deerant, ex multo„rum collatione reſtitui. Neque ideo tamen ſordem adhuc „omnem, tanquam ab Augiæ ſtabulo, expurgaſſe me profi„teor. Cum enim in diverſis codicibus ſummam varietatem „perſpexerim, fieri poſſe arbitror, ut alius, meliorem codi„cem nactus, quem ego non viderim, multa immutet & ſup„pleat, quod ut fiat ſummopere exopto." *Ioh. Baptiſta* MONTANUS in præfatione ſua ad *Aetii Libros XVI*, quos, ſua & *Iani* CORNARII interpretatione verſos, edidit Baſil. 1535. Fol.

Digitized by Google

antiquitatem artis medicae ſpectantium ſtudioſiſſimi, paucis abhinc annis erudito orbi citius erepti, manus pervenit, & ſummi ab omnibus, qui eum inſpexerant, pretii iudicatus eſt. Accedit illi haud leve momentum, poſtquam *illuſtris* GERARDVS *van* SWIETEN paſſus eſt, eundem ab eruditiſſimo & græcarum litterarum peritiſſimo viro, *Adamo Franciſco Kollár, Bibliothecae Auguſtae Vindobonenſis cuſtode*, inſpici, & cum exemplari, quod in illo cimelio eſt, conferri, qui etiam, ſe cetera, quæ fortaſſe deeſſent, pro ſua humanitate, libenter additurum eſſe, liberaliter eſt pollicitus. Iam videant eruditi, an poſſit aliqua, *in libris Aetii, qui ſuperſunt reliquis nunc edendis*, eſſe fiducia, a quorum iudicio celeberrimi commentatoris, cui & hæc Acta noſtra plurimum debent, pendebit conſilium. Dolendum ſane foret, in tenebris porro occultari labores medici & chirurgi *h*), pro illorum temporum rationibus ingenioſisſimi, cuius particulam, exempli loco, nunc ſiſtimus.

---

h) Fallitur *Herm.* CONRINGIVS quando in *introductione c. III.* §. 19. dicit: „Aetius vero curationem morborum prolixius „tradit, ideoque opus eius ad medendi rationem ſatis præcla„rum eſt, reliquas tamen artis partes non attigit.“ Aliter ſentit FREINDIVS, qui ampla narratione, Aetii in artem chirurgicam merita recenſet; & noviſſime *Ioh. Zach.* PLATTNERVS, medicus excellens, & antiquitatis medicæ peritiſſimus, magnifecit Aetium, *Inſtitut. Chirurg. rationalis Lipſiæ* 1746. 8. §. 320. „Crede mihi, *inquit Cornarius l. c.* quisquis es, rerum „medicarum ſtudioſe, ſi totum Galenum contractum, ſi totum „Oribaſium explicatum, ſi Paulum Aeginetam ampliatum, ſi „omnes veterum ſpeciales, tum per pharmaca, tum per chirur„giam, aggreſſiones, ad omnes affectiones, in ſumma habere „voles, Aetium habes, unde totum hoc petere ac diſcere potes: in præfatione ad noviſſimam ſuam translationem, quæ extat cum *Stephani* medicæ artis principibus poſt Hippocratem & Galenum, Genevæ 1567. Fol.

APXH

Digitized by Google

ΑΡΧΗ ΤΟΥ Θ ΤΟΥ ΑΕΤΙΟΥ ΠΕΡΙ ΤΩΝ ΚΑΤΑ τὸ ςόμα τῆς κοιλίας πάθων, καὶ αὐτῆς τῆς κοιλίας, καὶ ἐντέρων.

CAP. I.

Περὶ Καρδιακῶν.

Ὅπως ἂν χρὴ θεραπεύειν τοὺς καρδιακοὺς λεγομένους, ἢ ἄλλως ἐπὶ τῷ τοῦ ςομάχου πάθει συγκοπτομένους, ἤδη τελειότατα προείρηται ἐν τῷ έ τῆς δὲ τῆς πραγματείας, τῇ περὶ τῶν πυρετῶν θεραπείᾳ ταῦτα συνάψαντες. Νυνὶ δὲ, ἐν καιρῷ, τῶν ἄλλων περὶ ςόμαχον καὶ κοιλίαν γιγνομένων παθῶν τὴν θεραπείαν γράφοντες, ᾠήθη μὲν ἀναγκαῖον, διὰ βραχέων κἀνταῦθα αὐτῶν ἐπιμνησθῆναι. Σημειωσόμεθα τοίνυν τοὺς καρδιακοὺς λεγομένους, ὅταν ἐν ὀξεῖ πυρετῷ, καὶ μάλιςα καυσώδει τύχωσιν ὄντες, τὸν δὲ τὸν τρόπον· Σφυγμὸν ἐὰν εὕρω πυκνὸν καὶ ἀμυδρὸν, καὶ τῶν ἄκρων κατάψυξιν, ἱδρῶτας, περὶ τὸ πρόσωπον, καὶ μέχρι ςήθους, κολλώδεις, καὶ τὴν ἀποφορὰν τοῦ χρώματος γεώδη προσβάλλουσαν, καὶ τοὺς περὶ τὴν καρδίαν σφυγμοὺς σφοδροτάτους, καὶ μέγεθος, καὶ πρὸς τούτοις ἀπορίαν καὶ ἀλυσμὸν, καὶ ῥιπτασμοὺς, τὸν τοιοῦτον,

De Cardiacis.

Quomodo eos, qui cardiaci appellantur, curare oportet, aut eos etiam, qui aliter, ob ſtomachi compunctionem, animo linquuntur, iam abſolutisſime prædictum eſt in quinto huius tractationis ſermone, ubi ad febrium curam hæc annexuimus. Nunc vero, ex ordine, quum affectionum ſtomachi ac alvi remedia deſcribimus, neceſſarium viſum eſt & hic, paucis, eorum mentionem facere. Cognoſcemus igitur eos, qui cardiaci dicuntur, quum acuta febri, & maxime æſtuoſa, affliguntur, hoc modo: Pulſum ſi invenero denſum & obſcurum, & extremarum partium frigiditatem, ſudores circa faciem & ad pectus usque glutinoſos, & nitorem cutis ablatum, & terreſtrem redditum, & pulſus circa ipſum cor vehementiores & magnos, & ad hæc accedant deſperatio, angor animi, & corporis iactatio; hoc modo affectum, cardiaeum eſſe

dico. Os vero ventris primum eſt, quod in ipſis afficitur, per conſenſum vehementer oblædens cor ipſum, propter vicinitatem. Porro veteres os ventris, cordis appellatione, cardian vocarunt, ab acceſſionibus nimirum quæ ex eo accidunt & inferuntur. Aeris itaque frigidi admiſſione, & ventilatione, eis auxiliari oportet. Spongia igitur ex poſca frigida imbuta facies permadeſcat, & aqua lactis paulatim abſorbenda præbeatur. Odoramenta autem varia offerantur, malum cotoneum, pulegium, cucumer, & ſimilia. Stragula eis incumbentia tollantur: operimenta vero, quibus conteguntur, mollia ſint, & uſu priore detrita: pavimentum irroretur, ac foliis conſternatur myrti, platani, ac quercus, maxime vero vitis, atque ipſis etiam roſis. Solem autem domus non admittat, ſitque minime alta, ſed depreſſior, & non valde lucida. Exudantibus vero partibus myrtus ſicca trita inſpergatur, aut cimolia, aut oenanthe, aut ordeum: imprimis vero collo & thoraci, & locis ſub alis ac inguinibus ea ſunt adhibenda. Eodem modo auxiliatur mali

Os ventris cardia, id eſt cor, apud veteres.

Sudores coërcentia.

καρδιακὸν εἶναι, λέγω· Τὸ ϛόμα δὲ τῆς γαϛρός ἐϛι τὸ πρωτοπαθοῦν ἐπ᾽ αὐτοὺς, εἰς συμπάθειαν μεγίϛην ἄγον τὴν καρδίαν τῇ γειτνιάσει. Οἱ δὲ ἀρχαῖοι καρδίαν ἐκάλουν τὸ ϛόμα τῆς γαϛρὸς, ἀφ᾽ ὧν ἐπιφέρει συμπτωμάτων· Ἀέρος οὖν ψυχροῦ ἐπεισόδῳ, καὶ ῥιπισμοῖς βοηθητέον· Ἀποσπογγιϛέον τε τὸ πρόσωπον ὀξυκράτῳ ψυχρῷ καὶ δοτέον καταῤῥοφεῖν ὕδωρ γαλακτῶδες κατὰ βραχύ. Ὀσφραντὰ δὲ ποικίλα προσφερέσθω, κυδώνιον, γλήχων, σικὺς, καὶ τὰ παραπλήσια· Ἐπιβλήματα ἀφαιρείσθω· Τὸ ἐπιβεβλημένον δὲ ἔσω κοῦφον καὶ τριβακόν· Καταῤῥαίνειν δὲ τὰ ἐδάφη καὶ φύλλοις καταϛρωννύναι μυρτίνοις, καὶ πλατάνου, καὶ δρυὸς, μάλιϛα, καὶ ἀμπέλου, καὶ αὐτοῖς τοῖς ῥόδοις· ἥλιον τε ὁ οἶκος μὴ δεχέσθω, ἔσω δὲ μὴ ὑπερῷος, ἀλλὰ κατώτερος καὶ μὴ σφοδρα φωτεινός· Τοῖς δὲ ἐξιδροῦσι μέρεσιν ἐμπλαϛέον μυρσίνην ξηρὰν λείαν, ἢ κιμωλίαν, ἢ οἰνάνθην, ἢ κριθήν· μάλιϛα δὲ ταῦτα προσάγειν τῷ τραχήλῳ, καὶ θώρακι, καὶ μασχάλαις, καὶ βουβῶσιν· Ὁμοίως δὲ βοηθεῖ ἐπιπλασσόμενα σίδια, μετὰ

τὰ μάννης, ἢ κικίς, καθ' ἑαυτήν τε, καὶ σὺν ἀσβέστῳ, ἢ σαμία, γῆ μετὰ κόμμεως. Ἀλειφόμενα δὲ ἵστησιν ἱδρῶτας, μάννα, καὶ ἄμυλον σὺν ᾠοῦ τῷ λευκῷ, ἢ βολβὸς λευκὸς, καὶ πέπερ, καὶ κνίδης σπέρμα, καὶ κόμμι, κηρωτῇ μυρσίνῃ ὀλίγῃ ἀναληφθέντα; ἢ ᾠοῦ τῷ λευκῷ φυραθέντα, ἐπιχριέσθω τε παχύτερα· Περιπήγνυται γὰρ καὶ ξηραίνεται, καὶ πρώτη ἐλπὶς τοῦ ἀναζωπυρηθήσεσθαι τὸ θερμόν· Μὴ λελιπασμένως δὲ τῷ χρωτὶ προσακτέον τὸ κατάχριστον, ἀλλ' ὀθονίῳ ἀπομακτέον τὰ μέλη, καὶ οὕτως ἐπιχριστέον; οὐκ ἀφαιρετέον δὲ αὐτὰ, ἀρχομένης τῆς θερμασίας φαίνεσθαι, ἀλλ', ὅταν ἱκανῶς καταθερμάνηται τὰ ἄκρα, εἶτ' εὐθέως ἀφαιρετέον, καὶ σκεπαστέον τὸν θώρακα, καὶ, εἴ που ἰονθῶδες ἐπιεῖ τι ἐκ τοῦ ἐπιχρίσματος, ἢ ἑλκῶδες ἐπίκαυμα περὶ τὸν θώρακα φανείη, εὐμενῶς δέξασθαι, καί τινι τῶν πρὸς τὰ πυρίκαυστα φαρμάκων θεραπεύειν τὸν τόπον, μάλιστα τῇ διὰ κριθῶν· Τὰ δὲ ἄκρα, ἤτοι μέχρι γονάτων, καὶ ἀγκώνων, ἤτοι μέχρι μασχαλῶν καὶ βουβώνων περιεψυγμένα, καταπλαστέον τρυ-

corium cum manna inſperſum, aut galla per ſe, & cum ſulphure vivo, aut ſamia terra admixtum habens gummi. *Illinuntur etiam, ad coercendos ſudores, oleum myrteum, oenanthinum, roſaceum, melinum, & lentiſcinum.*

Deeſt hoc in græco; quod eſt in Cornarii verſione.

Circumlita autem ſudores cohibent, manna & amylum, candido ovi excepta, aut bulbus albus, & piper, ac urticæ ſemen, & gummi, modico cerato myrteo excepta, aut ovi candido ſubacta, quæ ſane craſſius inungere convenit: adglutinantur enim & exareſcunt, & potiſſima in eis ſpes conſiſtit naturalis caloris reexſuſcitandi. Neque vero pinguefactæ cuti huiusmodi inunctiones ſunt adhibendæ: verum linteolo probe prius extergantur membra, & ſic ungantur. Neque mox, & ſicubi calor apparere incipit, auferantur, ſed poſtquam ſufficienter extremæ corporis partes fuerint concalefactæ, quod ubi contigerit, ſtatim tollantur, & thorax cooperiatur, atque, ſicubi varoſum quippiam exeat ex inunctione, aut ulceroſa aduſtio circa thoracem appareat, blande tractetur, ac aliquo ex his, quæ, ad ambuſta ab igne, deſcripta

ſunt, pharmacis, locus curetur. Maxime vero conveniet id, quod ex ordeo conſtat. Extremæ vero corporis partes, ſive ad genua usque & cubitos, ſive usque ad locum ſub alis & inguina, ſint refrigeratæ, fece uſta & ſulphure vivo conſpergendæ, aut pyretro, aut pipere, aut bulbis tritis cum pipere inunge a brachiis usque ad digitos, & a femore usque ad extremos pedes, gracilibus linteolis ſimul circumpoſitis. Idem præſtat ſinapi & pyretrum, ac adarce. Porro mollibus corporibus ſufficit aliquando oleum ſicyonium aut gleucinum illitum, cum multa frictione ac concalefactione partium extremarum. Aliquando tamen, alicui ex his, admixta proficiunt piperis ac ceræ modicum, quo ſpisſiora fiant & melius adhæreſcant. Faſciculus quoque ex lana pura, in oleo calido madefactus incumbat ſemper circa veſicæ regionem. Capitis fomenta frigida ſint, qualia ad phreneticos ſunt deſcripta: frons ſpongia ne madefiat, ſed ex acacia, galla, terra ſamia, ac ſylveſtris punici flore, illinatur. Optime facit etiam omphacium, cum gummi: verum

γὶ κεκαυμένη, καὶ ἀσβέστῳ, ἢ πυρέτρῳ, ἢ πέπερι, ἢ βολβοῖς λείοις μετὰ πεπέρεος κατάχριε ἀπὸ βραχιόνων μέχρι τῶν δακτύλων, καὶ ἀπὸ μηρῶν μέχρι ἄκρων ποδῶν, περιτιθεμένων αὐτοῖς ἰσχνῶν ὀθονίων· Τὸ αὐτὸ δὲ ποιεῖ, καὶ νάπυ, καὶ πύρετρον, καὶ ἀδάρκη. Ἐπὶ δὲ τῶν μαλακῶν σωμάτων αρκεῖ ἐνίοτε ἔλαιον σικυώνιον, ἢ γλεύκιον ἀλειφόμενον, μετὰ ἀνατρίψεως πολλῆς καὶ θερμασίας τῶν ἄκρων. Ἔστι δὲ ὅτε, τινὶ τούτων, προσπλεκόμενα ποιεῖ πέπερ, καὶ κηρὸ βραχὺ, ἵνα πάχος σχῇ καὶ διαμένῃ. Πίλημα δὲ ἐξ ἐρίου καθαροῦ, ἐλαίῳ θερμανθέντι διάβροχον ἐπικείσθω ἀεὶ ἐπὶ τὸν τῆς κύστεος τόπον· τῆς δὲ κεφαλῆς ἐπιβροχαὶ ψυχραὶ ἔστωσαν, ὅσαι ἐπὶ φρενιτικῶν λελεγμέναι εἰσί. Τὸ δὲ μέτωπον μὴ περισπογγίζειν, ἀλλὰ ἐπιχρίειν ἀκακίᾳ, κικίδι, γῇ σαμίᾳ, βαλαυστίοις· Μάλιστα δὲ ποιεῖ ὀμφάκιον μετὰ κόμμεος· Ἕκαστον δὲ λειέσθω ἀφεψήματι ῥόδων, ἢ τῷ χυλῷ, ἢ τινι παραπλησίῳ, καὶ οὕτως ἐπιχριέσθω· εἰ δὲ ἐμπεπλησμένος τις, κατὰ τὸν τῆς ὑγείας καιρὸν, τύχοι,

καὶ

καὶ σκύβαλα παλαιὰ πρὸς τὸ ἀπευθυσμένον ἔντερον εἴη ἐγκείμενα, τότε δεῖ κενοῦν κλυστῆρι ἁπλουστέρῳ ἀπὸ χυλοῦ πτισσάνης, καὶ ὀλίγου μέλιτος, καὶ ἁλῶν ἐλαχίστων, καὶ ἐλαίου βραχέος. Διαχρίειν δὲ καὶ τὴν ἕδραν, καθ᾽ ἑκάστην, διὰ τὰς ἐμπνευματώσεις, κυμίνῳ, καὶ πηγάνῳ, καὶ νίτρῳ, καὶ μέλιτος ὀλίγῳ. Σκυβάλων δὲ μὴ ὑποκειμένων ἐν τῷ ἀπευθυσμένῳ, μηδὲ περιττωμάτων πλήθους ὄντος ἐν ἐντέροις, ἀτροφούντων δὲ τῶν καμνόντων, ἐνιένα χρὴ πτισσάνης χυλὸν, ἢ ἄλικος, χλιαρώτερον, συνανακόψαντες αὐτῷ ὠὸν ὠμόν· Σὺν γὰρ τῷ προσκαλεῖσθαι τὰ περὶ τὸν κάτω στόμαχον ἐνοχλοῦντα, καὶ τροφὴν χρηστὴν δίδωσι τῷ σώματι ἤδη ταλαιπωροῦντι ἐκ τῆς ἀτροφίας· Καταπλαττόμενα δὲ κατὰ τοῦ στομάχου, καὶ τοῦ ἀριστεροῦ μαζοῦ ὠφελεῖ τοὺς καρδιακοὺς βάτου φύλλον μετὰ ἄρτου, ἢ μυρσίνης φύλλα, ἢ μύρτα, ἢ ἕλικες ἀμπέλου, ἢ ἀρνόγλωσσον σὺν τῷ ἄρτῳ, ἢ μῆλα κυδώνια, φοίνικες, σέρις, μετὰ κηρωτῆς. Τοῖς δὲ ἀσθενεστέροις, καὶ ἀλφίτους σὺν φοίνιξι καταπλάττειν, ἢ φοίνικας οἴνῳ βρέχων λεαίνειν, ὅσον

unumquodque eorum ex roſarum decocto aut ſucco, aut aliquo conſimili, diluatur prius, & deinde illinatur. Quodſi quis, ſanitatis tempore, nimium repletus exiſtat, & ſtercora antiqua recto inteſtino inſideant, tunc ſane clyſtere ſimpliciore evacuare oportet, ex ſucco ptiſanæ, & modico melle, pauciſſimoque ſale, & oleo quoque modico. Illinenda eſt etiam, ſingulis diebus, ob inflationem, ſedes ipſa, ex cumino, ruta, & nitro, cum modico melle. Si vero nulla ſtercora in inteſtino recto ſubſideant, neque alias etiam excrementorum multitudo inſit inteſtinis, ægri autem tabeſcant, ptiſanæ ſuccum aut halicæ per clyſterem infundere oportet tepefactum, conquaſſato cum eo ovo crudo. Ultra hoc enim, quod ea, quæ ſtomachum inferne moleſtia afficiunt, evocat & educit, etiam alimentum optimum corpori ſuggerit, iam languenti, ob alimenti inopiam. Auxiliantur idem cardiaeis, cataplaſmatis modo, ſtomacho ac ſiniſtræ mammæ impoſita, folia rubi cum pane, aut myrti folia, ipſæque myrti baccæ, aut pampini vitis, aut plantago cum pane, aut mala coto-

Illitio ſedis.

Tabidos ex clyſtere con nutriri.

cotonea, palmulæ, intubus, cerato excepta. Imbecillioribus polentam cum palmulis imponere ſufficiet, aut, palmulas vino madefaciens, contere, unciæ unius menſura, deinde, adiectis aloes drachmis IV, maſtiches drac. IV, ſimul tere, & affuſo eliquatæ ceræ ſextante, & olei unciis quatuor, ſiquidem hyems ſit, neque multus caloris ſenſus ægrum contingat, nardini, in æſtate vero, roſacei, aut melini, &, ubi ceram ſolutis his remiſcueris, utere eodem modo. Quod ſi ex viſceribus quoddam inflammatum ſit, panem cum modico vino & melle decoctum impone, admixtis, in his, qui imbecilliores ſunt, malis repurgatis aut oenanthe. Reprimit autem ſudores, ſtomachumque & cor ipſum, firmitatis autorem, placat ac cohibet, cataplaſma ex palmis, & oenanthe, & acacia, roſis, alumine, hypocyſtide & rhoe rubro, ita impoſitum, ut ſiniſtram mammam atque ipſum ventrem complectatur. Sit autem tactu molle & leve, ac aſſidue permutetur. Revocato autem ex acceſſione ægro, ſi loci quidam circa præcordia ſint inflammati, providere oportet, ut per commu-

Cor, autor firmitatis.

Cataplaſma ſudorem cohibens.

γὸ α΄. εἶτα ἐπιβαλὼν ἀλόης Lδ΄. μάστιχος Lδ΄. συλλειώσας κηροῦ γὸ β΄, μετ' ἐλαίου γὸ δ΄, εἰ μὲν χειμὼν εἴη, καὶ μὴ πολλὴ αἴσθησις θερμασίας, ναρδίνου, ἐν δὲ τῷ θέρει, ῥοδίνου, ἢ μηλίνου, καὶ ἐπιχέας τὴν κηρωτὴν τοῖς λειωθεῖσιν, ἀναμίξας, χρῶ ὁμοίως· Εἰ δὲ φλεγμαίνοι τι τῶν σπλάγχνων, ἄρτον ἑψήσας μετὰ οἴνου ὀλίγου καὶ μέλιτος, κατάπλασσε, προσπλέκων αὐτῷ, ἐπὶ τῶν ἀτονωτέρων, μήλων κεκαθαρμένων, ἢ οἰνάνθης· Καταστέλλει δὲ τοὺς ἱδρῶτας, καὶ ἐπιστέλλει τόν τε στόμαχον, καὶ τὴν τοῦ τόνου κατάρχουσαν καρδίαν, τὸ ἐκ φοινίκων, ἢ οἰνάνθης, καὶ ἀκακίας, καὶ ῥόδων, στυπτηρίας τε, καὶ ὑποκυστίδος, καὶ ῥοὸς ἐρυθροῦ κατάπλασμα, τὸν εὐώνυμον μαστὸν καταλαμβάνον καὶ αὐτὴν τὴν γαστέρα· Ἔστω δὲ εὐαφὲς σφόδρα καὶ κοῦφον, καὶ συνεχῶς ἀλλασσέσθω. Ἀνακληθέντος δὲ ἐκ τοῦ συμπτώματος ἀῤῥώστου, εἴ τινες τόποι φλεγμαίνοιεν περὶ τὰ ὑποχόνδρια, προνοεῖν χρὴ, ὅπως ἀφλεγμαντότεροι γένοιντο διὰ τῶν κοινῶν καταπλασμάτων· Τροφὰς δὲ δοτέον, ἄρτον ἐξ ὕδατος ψυχροῦ, ἢ οἴνου τῶν λευκῶν,

καὶ

λεπτῶν, ψυχρῷ κεκραμμένων, πόδας ὑείους, ἀγκύλας, καὶ ῥύγχη, καὶ τῶν πτηνῶν τὰ ἀπίμελα καὶ ἄβρομα, τετηκότα ἐν τῇ ἑψήσει σὺν πτισάνης, ἢ καθ' ἑαυτά· ψυχρὰ δὲ καὶ ταῦτα προσφερέσθω, εἰ θερμασίας αἴσθησις περὶ τὸν στόμαχον εἴη, καὶ μὴ φλεγμαίνοι· Ἐπὶ δὲ τῶν ἄλλων θερμὰ, καὶ τὸ ποτὸν θερμὸν δοτέον, οἶνον λεπτὸν καὶ λευκὸν κεκραμμένον· Τὸ δὲ ἄμετρον πλῆθος τοῦ διδομένου οἴνου οἱ σφυγμοὶ τοῦ κάμνοντος δηλώσουσι· Μέχρι γὰρ τοσοῦτον δοτέον μόνον, ἄχρις ἂν ὁ σφυγμὸς καταπαύσῃ τὸ ὑποτρέμον, καὶ ῥωμαλεώτερος γένοιτο.

nia cataplaſmata ab inflammatione liberentur. Cibi offerendi, panis ex aqua frigida, aut ex vino albo & tenui frigidoque ac diluto, pedes ſuilli, talique, & roſtra, ex volucribus macræ & paludem haud olentes, in ptiſana, ſub decoctione eliquatæ, aut etiam per ſe. Frigida autem hæc exhibeantur, ſi caloris ſenſus circa ſtomachum ſit, & æger inflammatione non vexetur. Reliquis calida exhibenda, & potus calidus dandus, vinum tenue album dilutum. Immodicam autem vini exhibiti multitudinem pulſus ægroti oſtendet. Eo usque enim exhibendum eſt vinum, donec pulſus ſubtremulus eſſe deſinat, & robuſtior fiat.

Vinum pulſum permutat.

CAPUT II.

Περὶ τῶν ὑπὸ μελαίνης χολῆς ὀχλουμένων τὸν στόμαχον.

De his, quibus atra bile ſtomachus infeſtatur.

ἩΡΟΔΟΤΟΥ.

Οἱ ὑπὸ μελαίνης χολῆς ἐν πυρετοῖς ὀχλούμενοι τὸν στόμαχον, παραπλήσια συμπτώματα τοῖς καρδιακοῖς πάσχουσι. Παρέπεται δὲ τούτοις δηγμὸς ἰσχυρὸς τοῦ στομάχου μετ' ἐκλύσεως καὶ ἰλίγγων, τῆς κεφαλῆς ἱδρώ-

Ex HERODOTO.

Quibus ſtomachus ab atra bile in febribus vexatur, hi ſimiles acceſſiones, cardiacis, patiuntur. Accedunt autem ad hæc, fortis ſtomachi morſus, cum exſolutione, & vertiginibus, ac capitis frigido ſudore, parvusque & obſcurus

adeſt pulſus; progreſſu vero temporis augetur morſus, atque hinc in dolorem, qui difficulter leniri poteſt, tranſit. Cæterum manifeſte apparens flavæ bilis vomitus has acceſſiones leviores reddit, atram autem bilem ſolvit. Vomunt autem fere in totum, hoc modo affecti, pituitam acidam in ventre coacervatam ex aſſidua cruditate, propter ventris ipſius debilitatem. Qui vero citra febrem ab atra bile ſtomacho infeſtantur, his accedit, ipſo, quo humor natus eſt, tempore, triſtitia, & ſomnus cum acceſſione imaginationum alienarum, contractioque & dolor poplitum ac ſurarum, & acutius, quam ante conſueverunt, cernunt, & deiectum habent appetitum: ructus autem & exſcreationes habent piſcem olentes ac foetidas. Coacervata vero bile, cum multa deſperatione intolerabiliter igneſcunt, ut omnia eis membra ardere videantur: in primis autem ſtomachus, velut a palis igne candefactis punctus, afficitur. Sudores, animi deliquium inducentes, per omne corpus deſtillant: & fere ſemper ſputi ad os confluentis reiectione vexantur,

Atra bilis viſum acuit.

των ψυχρῶν, καὶ μικρότατός τε, καὶ ἀμυδρότατος τῶν σφυγμῶν· Προϊόντων δὲ τῶν χρόνων ἐπιτείνεται ὁ δηγμὸς, κἀντεῦθεν εἰς ἄλγημα μεταβαίνει δυσπαρηγόρητον· Ἐπιφανεὶς δὲ ξανθῆς χολῆς ἔμετος κουφίζει τὸ σύμπτωμα, μελαίνην δὲ λύει· Ἐμοῦσι δὲ, ὡς ἐπίπαν, οἱ τοιοῦτοι φλέγμα ὀξῶδες, ἀθροϊζόμενον ἐν τῇ γαστρὶ, ἐκ τῶν συνεχῶν ἀπεψιῶν, διὰ τὴν τῆς γαστρὸς ἀτονίαν· Τοῖς δὲ χωρὶς πυρετῶν ὑπὸ μελαίνης χολῆς ἐνοχλουμένοις τὸν στόμαχον, παρέπεται, κατὰ μὲν τὰς τῆς γενέσεως τοῦ χυμοῦ ὑποστάσεις, δυσθυμία, καὶ ὕπνος μετὰ φαντασιῶν ἀλλοκότων καὶ συνολκὴ καὶ ὀδύνη ἰγνύων, καὶ γαστροκνημιῶν, καὶ ὀξυδερκέστεροι ἑαυτῶν γίγνονται, ἀνορεκτότεροι δέ εἰσι, καὶ τὰς ἐρυγὰς δὲ καὶ τὰς ἀναχρέμψεις ἰχθυώδεις καὶ βρομώδεις ἔχουσι. Συναθροισθείσης δὲ τῆς χολῆς μετὰ πολλῆς ἀπορίας; δυσκαρτερήτως πυροῦνται, ὥστε πᾶν αὐτοῖς μέρος καίεσθαι δοκεῖν. μάλιστα δὲ ὁ στόμαχος, ὡς ὑπὸ σκολόπων πεπυρωμένων νυττόμενος· Ἱδρῶτες δὲ συγκοπτικοὶ καταῤῥέουσιν ἅπαν τὸ σῶμα· ὡς ἐπίπαν σιελίζουσιν

Digitized by Google

ζεσιν ἐν τῷ δάκνεσθαι, καὶ πολλὴ αὐτοῖς ἡ πρὸς ἔμετον προθυμία· Καί ποτε μὲν μάτην σπαράσσονται, ἔστι δὲ, ὅταν ἐμέσαντες ὀλίγα τῶν συῤῥεόντων εἰς τὴν γαστέρα χολωδῶν, ἢ φλέγμα ὀξῶδες, καὶ πρὸ βραχὺ κουφισθέντες, πάλιν τὸ αὐτὸ πάσχουσιν, οἱ δὲ σφυγμοὶ ὁτὲ μὲν ἐπὶ τὸ πυκνότερον, ὁτὲ δὲ ἐπὶ τὸ ἀραιότερον καὶ πυκνότερον μεταβαίνουσιν, ἀγρυπνότεροί τε γίγνονται, καὶ, εἰ κοιμηθεῖεν, μετὰ ταραχῆς πυρωδέστεροι ἐξανίστανται, ὑποζέσαντος, ὡς εἰκὸς, τοῦ συνδοθέντος εἰς τὴν γαστέρα ὑγροῦ· Πολλάκις δὲ καὶ τὴν ληφθεῖσαν τροφὴν μετὰ μελαγχολικοῦ χυμοῦ ἀνεμοῦσιν; ὡς ἐπίπαν γὰρ, μετὰ δύο ὥρας τῆς τροφῆς, τῷ συμπτώματι ἁλίσκονται, καὶ μάλιστα, ὅταν τινὰ τῶν δριμέων, καὶ ἁλυκῶν ἐδεσμάτων ἢ πομάτων προσενέγκονται. Αἱ δὲ τῆς κοιλίας διαχωρήσεις ἐπέχονται, ἢ ἀποκρίνονται, παρὰ φύσιν, ἄπεπτοι· φέρεται δὲ ποτὲ καὶ χολὴ διὰ τῆς κάτω κοιλίας, καὶ συνεργεῖ τῇ τοῦ πάθους παρακμῇ. Ἔνιοι δὲ, ἐπισχεθείσης τῆς χολῆς, καὶ τοῖς μελαγχολικοῖς ἁλίσκονται πάθεσι, καὶ πα-

quum morſum ſentiunt, multamque habent vomendi cupiditatem. Et aliquando quidem fruſtra lancinantur, quandoque autem pauca quædam bilioſa aut acidam pituitam, quæ in ventrem defluxerunt evomunt, modicoque ante tempore a malo levati, rurſus idem patiuntur, [*atque in univerſum his, qui veratrum ſumpſerunt, ſimiles exiſtunt.* Pulſus autem aliquando denſiores, aliquando etiam rariores & minores fiunt. Plurimum autem vigiles permanent, & ſiquidem dormierint, cum perturbatione, æſtuoſiores, exurgunt, ebulliente, ut veriſimile eſt, delato in ventrem humore. Sæpe etiam acceptum cibum, una cum atræ bilis humore, evomunt, fere in totum enim, poſt duas ab accepto cibo horas, acceſſione apprehenduntur, maxime quum acrem aliquem aut ſalſum cibum aut potum ingeſſerunt. Excrementa autem alvi retinentur, aut præter naturam incocta excernuntur. Effertur autem aliquando & bilis inferne per alvum, atque adiuvat affectionis declinationem. Aliqui autem, ob retentam bilem, etiam atræ bilis affectionibus, & deliriis

Deeſt in græco.

liriis mentem alienantibus ſunt apprehenſi. Quod ſi hoc contingat, ſive febris adſit, ſive non, ſiquidem iuvenes ſint ſanguineque abundent, & reliqui numeri ad venæ inciſionem requiſiti adſint, vena ſecanda eſt, repetita ſanguinis detractione, alvo tamen per clyſterem prius evacuata, non quidem ad animi usque deliquium, propter ſtomachi imbecillitatem. Colligandæ autem fortiter extremæ corporis partes, & ad paucum cibum ægri cogendi, ſtomachus vero lanis ſuccidis fovendus eſt ex aceto plurimo, modicoque roſaceo, aut melino, aut iuncino. Quod ſi amplius permaneat *ſtomachi imbecillitas*, ex roſarum ſucco foveantur, ſive intubi aut portulacæ cum roſaceo: adſtringentia etiam & lenientia cataplaſmata imponantur. Qui vero, una cum morſu circa ventrem ac inteſtina, inflantur, iis convenientiſſimum eſt acre acetum, in quo pulegium eſt decoctum, & cuminum calidum forinſecus ventri per ſpongiam impoſitum. Dolore vero perſeverante, alumen liquidum cum atramento ſutorio trito, & aloe, melle excipiens, imponito, & alumine in

Stomachi imbecillitas quo corrigatur.

ῥανοίαις ἀλλοκότοις. Τούτων οὕτως ἐπιφανέντων, εἴτε πυρέττοιεν, εἴτε καὶ μὴ, εἰ μὲν νέοι εἶεν, καὶ πολύαιμοι, καὶ πάντας τοὺς περὶ φλεβοτομίας ἀριθμοὺς ἔχοιεν, φλεβοτομητέον; μετὰ ἐπαφαιρέσεως, προκεκενουμένους διὰ κλυστῆρος, μὴ μέντοι μέχρι λειποθυμίας, διὰ τὴν τοῦ στομάχου ἀσθένειαν· Διαδετέον δὲ εὐτόνως τὰ ἄκρα, καὶ εἰς ὀλιγοσιτίαν ἀναγκαστέον, τόν τε στόμαχον ἐμβρεκτέον διὰ οἰσύπου ἐρίων, μετ' ὄξους πλείστου, καὶ ῥοδίνου ὀλίγου, ἢ μηλίνου, ἢ σχοινίνου· Εἰ δὲ ἐπιμένοι, ἐμβρεχέσθωσαν ῥόδων χυλῷ, ἢ σέρεως, ἢ ἀνδράχνης μετὰ ῥοδίνου, καὶ τοῖς στύφουσι καὶ παρηγοροῦσι καταπλαττέσθωσαν· Τοῖς δὲ σὺν τῇ δήξει ἐμφυσωμένοις τὴν γαστέρα καὶ τὰ ἔντερα, ἐπιτηδειότατόν ἐστιν ὄξος δριμὺ ἐν ᾧ ἕψηται γλήχων, καὶ κύμινον θερμὸν διὰ σπόγγου ἔξωθεν τῇ γαστρὶ προσαγόμενον· Εἰ δὲ ἐπιμένοι ἡ ὀδύνη, στυπτηρίαν ὑγρὰν, μετὰ χαλκάνθου λείου, καὶ ἀλόης, μέλιτι ἀναλαβὼν, ἐπιτίθει, καὶ τῷ ὄξει τὴν στυπτηρίαν ἐμβάλλων, καὶ θερμαίνων, πυριᾶν τὸν στόμαχον διὰ τῶν σπόγγων, ἢ ἀλόην μίξας τῇ

στυπ-

Digitized by Google

στυπτηρία, μυρσίνης κηρωτῇ ἀναλαβὼν, ἐπιτίθει τῷ στόματι τῆς γαστρὸς, ἢ κισσοῦ φύλλοις ἑφθοῖς ἐν οἴνῳ κατάπλασσε τὴν γαστέρα, ἢ ἀρνογλώσσῳ μεθ' ἁλῶν τριβέντι, ἢ πρασίῳ μετὰ ἄρτου καὶ ῥοδίνου φυραθέντι, ἢ βολβοῖς πυῤῥοῖς καὶ στυπτηρίας ἴσῳ κατάπλασσε· Κάλλιστον γὰρ τῶν χρονιζόντων βοήθημα, καὶ μετὰ νίτρου δὲ οἱ βολβοὶ λειωθέντες καὶ καταπλασσόμενοι ταχεῖαν τὴν ἴασιν παρέχουσιν· Ἐπιτηδειότατον δὲ αὐτοῖς, καὶ ἀγελαίας βοὸς βόλβητον ξηρὸν ἑψήμενον οἴνῳ, καὶ καταπλασσόμενον· Ἐπίθεμα δὲ τὸ διὰ σπερμάτων, ἢ τοὺς βολβοὺς τοῖς βολβίτοις καὶ τῷ νίτρῳ προσπλέκων, κατάπλασσε.

acetum coniecto & calefacto, ſtomachum per ſpongias foveto, aut aluminis ac aloes æquales partes, cerato myrteo exceptas, ad os ventris apponito, aut hederæ foliis in vino decoctis ventrem integito, aut plantagine cum ſale trita, aut marrubio cum pane & roſaceo ſubacto, aut bulbis rufis cum pari pondere aluminis, cooperito. Optimum enim hoc eſt inveteratorum malorum remedium: quin & bulbi ipſi, cum nitro triti & impoſiti celerem curationem præſtant. Optime etiam conducit eis gregariæ bovis ſtercus aridum, vino decoctum, & impoſitum. Epithema quoque ex ſeminibus adhibendum: item bulbos cum ſtercore bovis ac nitro permixtos impone.

ΔΙΟΣΚΟΡΙΔΟΥ.

Ἐπιτηδειότατόν ἐστι τοῖς χολὴν μέλαιναν γεννῶσι, καὶ ἐμπνευματουμένοις, καὶ δακνομένοις, γλήχωνος ἀφέψημα πινόμενον, ἢ ὕδωρ ἐν ᾧ σίδηρος ἐναπεσβέσθη, καὶ σέρεως χυλὸς πινόμενος· ὑδροποτείτωσαν δὲ καὶ τὸν τόπον θερμαινέσθωσαν· Εἰ δὲ θερμασίας πλείστης αἰσθάνοιντο, ψυχρὸν δοτέον, κατ'

Ex DIOSCORIDE.

Convenientiſſimum omnium, his qui atram bilem generant, inflatisque, & morſum ſentientibus, pulegii decoctum exiſtit, potum, aut aqua in qua ferrum eſt extinctum, item intubi ſuccus potus: bibant autem aquam, & locum affectum calefaciant. Si vero *Frigidæ uſus.* plurimi caloris ſenſum percipiunt, frigida danda, ſed modi-

ca, & maxime tempore exacerbationum. Æſtuantibus enim & in lucta exiſtentibus, omnique miſeria afflictis, frigida ad abſorbendum concedenda, per intervalla tamen, & non ultra cyathi menſuram. Non enim humectatione opus habent, ſed refrigeratione, &, ut melior intrinſecus temperatura fiat, frigida permittitur. Utilis eſt ipſis & menthæ ſuccus, cum ſucco mali punici dulcis. Quod ſi autem aquam bibere non poſſint, parum vini aquoſi concedendum eſt, inter cibos, calida aqua probe diluti. Cibus maxima ex parte ſit frumentaceus & optimi ſucci, præcipue ſimplicior, & qui facilius in domeſticos corporis uſus poſſit verti, in febricitantibus. His vero, qui febre carent, adiici poſſunt, ex oleribus, lactucæ cauliculi ac malvæ, ex piſcibus, ad ſaxa degentes, & ex volucrum genere, non grave olentes, macræ, & montanæ: ex piſcibus qui teſta integuntur, herinacei recentes. A ſalſis vero & acribus in totum abſtineant. Moleſtas autem mordacitates & nauſeas, hauſta plurima tepida aqua, per vomitum ſolvant. Si vero id non bene tolerent,

ὀλίγον, καὶ μάλιστα ἐν τοῖς παροξυσμοῖς. Ἀσσωμένοις γὰρ αὐτοῖς καὶ ἀπορουμένοις, καὶ πᾶσαν ὑπομένουσι ταλαιπωρίαν, καταῤῥοφεῖν ἐκ διαστημάτων, ψυχρὸν, κατὰ κύαθον, ἐπιτρεπτέον. Ου γὰρ ὑγρασμοῦ δέονται, ἀλλ᾽ ἐμψύξεως καὶ τῆς ἔξωθεν ἐπικράσεως. Ὠφέλιμος αὐτοῖς καὶ χυλὸς ἡδυόσμου μετὰ χυλοῦ ῥοᾶς γλυκείας. Ει δὲ ὑδροποτεῖν αδυνατως ἔχοιεν, ὀλίγον ὄινου ὑδαρέως, ἐπὶ τοῖς σιτίοις δοτέον θερμῷ κεκραμένου. Ἡ δὲ τροφὴ μὲν πλέον ἔστω σιτώδης, καὶ ἐυχυμωτάτη, ἐπὶ πάντων, ἀπλουστέρα, καὶ ἐυδιοικοτοτέρα ἐπὶ τῶν πυρεττόντων. Ἐπὶ δὲ τῶν ἀπυρέτων, περιπλεκέσθωμεν, λαχάνων, θριδακίνης καυλοὶ, καὶ μαλάχης, ἰχθύων δὲ οἱ πετραῖοι καὶ τῶν ὀρνίθων τὰ ἄβρομα, καὶ ἀπίμελα, καὶ ὄρεινα. Ὀστρέων ὠφελιμώτατοι ἐχῖνοι πρόσφατοι. Ἀπεχέσθωσαν δὲ διὰ παντὸς δριμέος, καὶ ἁλυκοῦ, τὰς δὲ ἐπιπόνους δήξεις καὶ ναυτίας, χλιαρὸν πλεῖστον πίνοντες, διὰ τῶν ἐμέτων, λυέτωσαν Ἐι δὲ μὴ καλῶς ἔχοιεν, ἡσυχητέον καὶ θάλπειν πλατεῖ τῇ χειρὶ τὸν στόμαχον, ἵνα τὸ συνδοθὲν χολῶδες διὰ τῆς

κάτω

κάτω κοιλίας ἐκκριθῇ· Εἰ δὲ τὴν φλεβοτομίαν μὴ παραλαμβάνοιμεν, τῇ δευτέρᾳ, καὶ τρίτῃ, κενωτέον διὰ κλυστῆρος, καὶ ἐν ὀλιγοσίτῳ τηρητέον· Ἔπειτα ποτίζειν τὸ τῆς γλήχωνος ἀφέψημα, νήστεις, καὶ τὰ λοιπὰ τὰ προειρημένα, καὶ πυριᾷν τῷ ὄξει, καὶ καταπλάττειν τῷ βολβίτῳ μετὰ τῶν βολβῶν καὶ τοῦ νίτρου. Ἀπυρέτων δὲ γενομένων, ἢ καὶ μηδ᾽ ὅλως πυρεξάντων, χρονιωτέρας τῆς ὀχλήσεως γενομένης, καὶ τῶν παροξυσμῶν μακρὰ διαλείμματα λαμβανόντων, καθαρτέον τῇ ἱερᾷ Ἀρχιγένους, ἢ Ῥούφου· Τοῖς σιελίζουσι δὲ δοτέον κόνυζαν ξηρὰν τὴν λευκοτάτην μάλιστα διαμασσᾶσθαι, ἢ γλήχωνα, καὶ μαστίχην χίαν ποτίζειν μεθ᾽ ὕδατος· Ποτιστέον δὲ καὶ τούτοις τὸ γάλα, καθὼς ἐν τῷ κατ᾽ αὐτὸ κεφαλαίῳ ἐκ προθήκης εἴρηται· Τοῖς δὲ πάνυ ἔκλυτον ἔχουσι τὸν στόμαχον δοτέον ὀῤῥὸν γάλακτος δι᾽ ὀξυμέλιτος ἐσχισμένου, ἐπιπάσσοντα τῇ πρώτῃ πόσει τοῦ ὀῤῥοῦ ἐπιθύμου λεπτοτάτου σκρ θ΄. καὶ σκαμωνίας ὀβολὸν α΄, ἢ β΄, πρὸς δύναμιν, ἔπειτα τὸν ὀῤῥὸν, ἐκ διαστημάτων, κατὰ βραχὺ πινέτωσαν·

quieſcere iubeto, & extenſæ manus palma ſtomachum foveto, quo delata ad ipſum bilis inferne per alvum excernatur. Quod ſi venæ inciſionem non faciamus, ſecunda ac tertia die per clyſterem evacuandum eſt, & in modico cibo æger ſervandus: deinde in potu exhibendum pulegii decoctum, ieiunis, & reliqua, quæ ſupra dicta: fomentum etiam ex aceto adhibendum, & cataplaſma, ex ſtercore bubulo, admixtis bulbis & nitro. Porro, poſtquam febris ceſſaverit, aut ubi etiam in totum non febricitaverint, & tamen diutius malum moleſtia afflixerit, & irritationes per longa intervalla repetiverint, purgandum eſt corpus ex hiera Archigenis, aut Rufi. Qui vero ſputi multitudine vexantur, his conyza arida albisſima manducanda, aut pulegium, & maſtiche chia ex aqua potanda. Exhibendum eſt etiam lac in potu iisdem, quemadmodum, in proprio capite, de ipſis, ex profeſſo, eſt oſtenſum. His vero, qui ſtomachum valde exſolutum habent, ſerum lactis, per acetum mulſum fisſi, exhibeatur, inſpergendo, ad primum ſeri hauſtum, epithymi tenuiſſime

Sputi multitudo affligens.

Stomachus exolutus.

ſime triti ſcrupulos novem, & ſcammoniæ obolum unum aut duos, iuxta virium tolerantiam, deinde ſerum ipſum per intervalla paulatim bibant, ſitque eius potati menſura ad minimum quinque cyathorum. Bonum eſt & cucurbitulam ad dorſum affigere, aliquando etiam ad ſtomachi regionem, &, ſcarificatione facta, ſufficientem ſanguinem ex cutis vulnuſculis extrahere. Ad morbi autem præparationem, quotidie, horam unam ante ciborum ſumptionem, exerceantur, ac frigida laventur, maxime in mari, & arena, ſub caniculæ ardoribus, obruantur. Abſtineant autem ab omnibus atram bilem generantibus, maxime carnibus bubulis, vino nigro, braſſicaque & lente. Diligentiſſime autem de ipſorum diæta, in ſexto ſermone, ubi de atra bile egimus, eſt prædictum. Quod ſi inflatio eis augeſcat, rutam & cuminum in oleo decoquemus: indeque ventrem quam plurimum irrigabimus, ex eodemque oleo quincuncem per enema infundemus, ſi tamen clyſtere ſtercorum eductivo prius ipſos evacuaverimus, in quo decocta ſint ruta & cuminum.

Atram bilem quæ generent.

Εστω δὲ πλῆθος τοῦ πινομένου ὀῤῥοῦ κύ ε, τὸ ἐλάχιστον· Ἀγαθὸν δὲ μεταφέρειν καὶ σικύαν κοιλᾶν, ἐσθ᾽ ὅτε δὲ καὶ μετὰ τοῦ στομάχου, καὶ, ἀμύξαντα, αἷμα ἱκανὸν ἑλκῦσαι διὰ τῶν ἀμυχῶν· Εἰς δὲ ἀνασκευὴν τοῦ πάθους γυμναζέσθωσαν καθ᾽ ἑκάστην ὥραν πρὸ τῶν σιτίων, καὶ ψυχρολουτείτωσαν, καὶ μάλιστα ἐν θαλάσσῃ, καὶ ἄμμῳ, ἐν τοῖς ὑπὸ κύνα καύμασι καταχωννυέσθωσαν. Ἀπεχέσθωσαν δὲ πάντων τῶν μέλαιναν χολὴν γεννώντων, μάλιστα κρεῶν βοείων, καὶ ὄινου μέλανος, κράμβης τε καὶ φακοῦ. Προείρηται δὲ ἀκριβέστατα περὶ τῆς τούτων διαίτης, ἐν τῷ ϛ´ λόγῳ, περὶ μελαγχολίας· Εἰ δὲ ἐπιταθείη αὐτοῖς ἡ ἐμπνευμάτωσις, πήγανον, καὶ κύμινον ἑψήσαντες ἐν ἐλαίῳ, ἐμβρέξομεν τὴν γαστέρα ἐπὶ πολὺ, καὶ ἐκ τοῦ αὐτοῦ ἐλαίου, ἐνεματίσομεν γο ϛ´. προκενώσαντες αὐτοὺς ἐκκοπρωτικῷ κλυστῆρι, ἐν ᾧ ἀφέψηται πήγανον, καὶ κύμινον. Εἶτα ἐπιθετέον μέγα σπληνιόν τῇ κοιλίᾳ, καὶ τοῖς σπλάγχνοις, τοῦ διὰ σπερμάτων ἐπιθέματος· Τροφὴν δὲ διδόναι χυλὸν πτισσάνης προσλαβόντα

ἐν

ἐν τῇ ἀρτύσει ὄξος, μέλι, κύμινον, ἄνισον· εἶτα ὄρνιθα ὁμοίως ἠρτυμένην δοτέον· Τὸ δὲ ποτὸν, οἶνος κιῤῥὸς σύμμετρον τῷ πλήθει.

Deinde ſplenium magnum alvo ac viſceribus imponendum, ex epithemate, quod ex ſeminibus conſtat. Cibus vero, ſuccus ptiſanæ dandus eſt, recipiens in præparationem acetum, mel, cuminum, & aniſum; poſt etiam gallina, iisdem condimentis apparata, exhibeatur. Potus vero ſit vinum rufum, mediocri menſura.

IOH. GOTTLOB BOEHMII, IN ACAD. LIPS. P. P. E. Paſt. Arc. de origine vera Rutæ Saxonicæ Liber ſingularis.

Lipſiæ 1756. apud Ioh. Frid. Gleditſchium, plagg. 7. in 4.

Quamvis omnis hiſtoriæ cognitio maxime ad vitam utilis eſt, & neceſſaria; in nulla tamen eius parte magis elaborandum eſt, quam in ea, quæ patriam cuiusque attinet, ne in patria peregrini atque advenæ eſſe videantur. Ita vero, ſumma cum laude, in hiſtoria tum Imperii Romano Germanici, tum ſigillatim Saxoniæ, illuſtranda, huc usque verſatus eſt *Ioh. Gottlob Boehmius*, auctor libri ſingularis, *de origine vera Rutae Saxonicae*, doctiſſimus. Expoſuit autem de egregio hoc hiſtoriæ patriæ argumento, tribus capitibus, quorum primo generatim, de antiquis Saxonum inſignibus diſputat. Militaria Saxonum ſigna, *leonis atque draconis & deſuper aquilae volantis effigiem*, Witichindus commemorat. Recentiores, & præcipue Kranzius, aliud inſigne Saxonum, puta pullum equinum, effinxerunt: qui error vocabulo Oſtfalorum & Weſtfalorum originem debet, quod ex vernaculo Vahlen, i. e. pullus equinus, Kranzius ſumtum credidit. Sunt porro, qui equi inſigne etiam ad Guelphicam domum translatum exiſtiment, unde Brunſvici & Luneburgi Duces illud retinuerint. Monet autem doctiſſimus auctor, non ſolum nul-

 lum

Digitized by Google

lum eius rei indicium, ante tempora ſeculi decimi quarti, in ſcuto Luneburgico huc usque deprehenſum eſſe, ſed numos quoque Henrici Leonis huic opinioni adverſari. Nec deſunt, qui equum inde in Colonienſium inſignibus Præſulum, tamquam Ducatus Weſtfaliæ inſigne, deducant; quod ipſum quoque, quamvis propius ad fidem, in medio relinquitur. *Caput II.* diverſas, de Ruta Saxonica, doctorum virorum opiniones ſiſtit. Primum enim *Kranzius* rutaceum ſertum eſſe credidit, idque Bernhardo, Duci Saxoniæ, auguſtali munere collatum. Mox *Tenzelius*, exploſa opinione vulgari, hoc inſigne non rutam, ſed trabem, avito Aſcaniæ domus inſigni ſuperadditam, arbitratus eſt. Deinde inventus eſt *B. G. Struvius*, qui baltheum eſſe, a dextra ad ſiniſtram lineis transverſis Ballenſtedtenſibus ſuperinductum, putaret. Rurſus alia *Frid. Zollmanni* ſententia eſt, quippe qui inſigne Saxonicum frequentatas olim nobilibus feminis vittas crinales interpretatur, putans, Albertum II. Principem Electorem Saxoniæ, hoc amoribus dediſſe, in Agnetem, coniugem, Rudolphi I. Imp. filiam, ut primus id ornamenti avitis inſerret inſignibus. Denique *Chriſt. Gottl. Buderus* V. A. inſigne Saxoniæ, a beneficiaria Bernhardi Ducis inauguratione repetiit, in qua patrio de more pileum, aureo crinali aut ſerto condecoratum, adhibitum eſſe exiſtimat. Quæ coniectura licet doctiſſimo Boehmio veri ſimilis initio videretur, re tamen diligentius cogitata, inaugurationem Bernhardi Ducis, per pileum & ſertum, ab nemine ſcriptore antiquo traditam eſſe intellexit. Neque omnino videntur ſolemnia hæc convenire temporibus illis, quibus per vexilla Principibus conferri provincias moris erat, quod inaugurationis genus ſub Friderico I. maxime frequentatum eſſe conſtat, & exemplis Bogislai ac Caſimiri Ducum Pomeraniæ, nec non Philippi, Colonienſium Præſulis Ducisque Weſtfaliæ & Angariæ, illuſtratur. Quemadmodum igitur veri ſimile eſt, Bernhardum Aſcanium quoque, Ducem Saxoniæ, haud diſſimili cerimonia inauguratum eſſe: ita nullibi omnem Saxoniam, cum dignitate Ducali, per pileum & ſertum collatam, reperimus. Neque Saxones beneficiariam hanc inau-

inaugurationem velut in patrimonio habuiſſe credendum eſt, cum alii quoque traditionis ritus, e. g. cum terræ ceſpite, & viridi ramo arboris, apud illos inveniantur. *Cap. III.* denique doctiſſimus Auctor, quid ſibi hac de re videatur, exponit, Rutamque Saxonicam diadema aut ſertum ducale eſſe exiſtimat. Cognitum ſcilicet eſt, exploratumque, in præcipuis Ducum Principumque ornamentis coronam olim adhibitam fuiſſe, quam circulum aureum quoque, & ſertum, appellare moris erat. Ipſas etiam inaugurationes Ducum Regalibus aſſimilatas eſſe monſtratur, deque uſu pilei Ducalis & coronæ in Germania, de corona Ducum Bohemiæ, itemque Haſſiæ Principum, nec non pileo Ducali Auſtriaco, cum ſerto pinnito, latius diſſeritur. §. IV. Speciatim Saxoniæ Duces diademate uſos eſſe, docet doctiſſimus Boehmius, nummisque aliquot Alberti II. & Rudolphi, Principum Electorum Saxoniæ, principio libelli in conſpectu poſitis, illuſtrat. Neque mirum eſt, Aſcanios, Ducum in cenſu collocatos, diadema Ducale inſignibus addidiſſe, cum inſolitum non fuerit Principibus, incrementa potentiæ dignitatisque ſic oſtentare. Illud vero maxime dubium eſt, a quo primum hoc inſigne uſurpatum fuerit. Sunt, qui ad Guelphos; ſunt, qui ad Landgravios Thuringiæ, huius rei origines referant, quorum ſententia uti nullo nititur fundamento, ita rectius ſentire videntur, qui illud aut Bernhardo Aſcanio, aut Alberto I. Duci Saxoniæ, aſſignandum eſſe cenſent.

Dici non poteſt, quanto ingenio, verborumque ſelectu, hæc omnia propoſuerit doctiſſimus Auctor, adeo, ut mirandum haud ſit, ipſum Buderum, in indice litterarum inveſtituræ Domus Saxonicæ *), hanc ſententiam vero admodum

*) Kurze Anzeige der mehreſten Kayſ. Lehnbriefe, auch Anwartſchaften von Confirmationen derer Privilegien des Chur- und Fürſtl. Hauſes Sachſen, ingleichen, fernere muthmaßliche Gedanken über die Frage: Ob H. Bernhard zu S. vom Kayſer Friedrich dem Erſten mit einer Fahne, oder, more gentis Saxonicæ, mit einem Huthe u. Kranze beliehen worden. Jena, 1757. 4.

dum ſimilem dicere. Vindicatum quidem ille ſuam opinionem ivit, falſum eſſe dicens, quod adverſarios tamquam verum ponere ſibi perſuadet, ac ſi Duces in Germania ſemper vexillis inveſtiti fuerint. Tantum vero abeſt, ut hoc univerſim affirmaverit Cl. Boehmius, ut potius nominatim ad tempora Friderici I. reſtrinxerit. Non videtur itaque Buderus, omni ex parte, Boehmii noſtri cepiſſe ſententiam; alias forte ipſe illam non tantum ſimilem vero, ſed, qualis pleriſque videtur, ut veram laudaſſet. Maximam autem apud omnes, qui amant hæc ſtudia, gratiam inibit doctiſſimus Auctor, ſi plura hiſtoriæ capita, pari doctrinæ apparatu, dictionisque gravitate, ſibi excolenda ſumat, & porro, de patria præcipue hiſtoria, tam egregie mereri pergat.

Gründlicher Unterricht vom Bergbau ꝛc.

h. e.

INSTITUTIONES SOLIDÆ REI METALLIFOſſORIÆ, ad ductum Geometriæ ſubterraneæ, &c. Auctore AUGUSTO BEYERO, S. Reg. Mai. Pol. & El. Sax. Commiſſario rei metallicæ, Geometra ſubterraneo, nec non Senatus & Iudicii metallici Freibergenſis Aſſeſſore.

Schneebergæ 1749. ap. Car. Guil. Fulde, Bibliop. Alph. 3. Tabb. aeri & ligno inciſæ 14. in fol.

Venerandus ſenex, de re metallica optime meritus, & per longam annorum ſeriem tam in docenda, quam exercenda Geometria ſubterranea, omni cum laude verſatus, ea, quæ ad tradenda huius artis principia & regulas in diſcentium uſum optima credidit, præſenti Opere complecti inſtituit. Cumque in eo inprimis caſus omnes evolvere conatus ſit, quos in ipſa praxi actu occurrere, multiplici diuturnaque experientia edoctus eſt; id eo gratius fore artis huius cultoribus, credimus, quo magis hucusque boni eiusmodi libri defectu laboravimus, communi ſcientiarum

rum practicarum & artium fato. Commendat ſeſe præterea non ſolum magna perſpicuitate, ſed & ubique exemplorum ſelectiorum copia. Verbo, utiliſſimum omnibus, qui rei metallifoſſoriæ addiſcendæ operam navant, prædicare Opus non dubitamus. Etſi enim nimis modeſte Vir bonus id tantum in uſum incipientium potiſſimum ſe conſcripſiſſe, profitetur; habebunt tamen & provectiores, ipſique eruditi, rei metallicæ operam dantes, quæ ex eo vel diſcant, vel ad ulteriorem meditandi anſam ultro arripiant. Ut paulo pleniorem eorum, quæ hic proſtant, notitiam adipiſcantur Lectores, contenta palmaria ſummatim enumerabimus. In *Praecognitis*, tam de Geometria ſubterranea in genere, eius natura, principiis, uſu, Scriptoribus, &c. quam inprimis de ipſo obiecto, montibus nempe, eorum inteſtinis, venis metallicis, commentatur. Non ſolum definitiones & diviſiones varias, huc pertinentes, explicat; ſed &, quæ multiplex de iis monſtravit experientia, indicat. De virgula metallica, quæ apud multos adhuc in exercenda Geometria ſubterranea uſu venit, iudicium ſuum ſuſpendit; cæterum varia facta de ea notat, ſuperſtitiones ſimul multas, circa eam committi ſolitas, merito explodit. Poſthæc *inſtrumenta* artis, eorum conſtructionem, & uſum, exponit. Quæ circa pyxidem magneticam, cuius uſus adeo inſignis in hac arte, notanda ſint, ample perhibet. Sequuntur *Tabulae*, & primo quidem tales, ubi menſura longitudinum, apud nos uſitata, vulgo Lachter, quæ eſt $3\frac{1}{2}$ ulnarum Freibergenſium, dividitur in partes 8. earumque ſingulæ in 10. pollices, more, etſi haud adeo laudando, attamen communi omnium locorum metalliferorum uſu recepto; dein aliæ, ubi, e fundamentis Arithmeticæ iuſtioribus, ſecundum progreſſionem decimalem, menſura dicta dividitur in 10. partes, hæ in 10. pollices, hi iterum in 10. lineas, & ita porro; qualem numerandi modum priori ſubſtitui, omnino optandum eſſet. His additi ſunt e Stevini Tabulis Sinuum, Sinus & Coſinus pro ſingulis graduum partibus quartis. Deinceps *Arithmeticam*, quatenus in hac arte ſupponitur, breviter explicat; & præter operationes ipſas arith-

meticas vulgares, Tabulas quoque, quæ in certa portione venæ metallicæ, foſſoribus, pro certa mercede, exſcindenda, uſuveniunt, ſiſtit. Eodem modo *Geometriam,* quatenus hic requiritur, pertractat; ne ad alios fontes recurrere opus ſit hominibus illitteratis. Hinc *uſum Tabularum* ſuperiorum declarat. Iactis ſic totius artis fundamentis, ipſam eius *praxin* aggreditur. Primo generatim docet, quomodo integram operationem geometricam pro data fodina, (vulgo *einen Zug* vocant,) inſtituere & conſummare deceat, & capita ſingula, ad quæ hic reſpiciendum, ut completa habeatur de integro fodinæ ſtatu idea, enumerat. Hinc modum, ipſam dimenſionem in fodina, vel & ſuper terra, inſtituendi, rite in tabulam notandi, inde deſcribendi, quæſita e datis trigonometrice computandi, & in charta delineandi, explicat. Poſtea varios caſus, qui in praxi occurrere poſſunt, ſigillatim perſequitur, eo ordine, quo ſimplicitate unus alterum præcedit, & ſucceſſive unus ex alio ſolutionem nanciſcitur. Simpliciſſimus eſt, ſi puncto certo ſub terra in ſuperficie eius aſſignandus ſit locus, ei perpendiculariter imminens, (quod dicunt: *eine Ortung an Tag bringen*). Dein ſolvuntur Problemata, quæ ſpectant ad venam metallicam unicam, eius nempe poſitionem definiendam; nec non lineam rectam, poſitione vel datam, vel delineandam. Porro, quæ pertinent ad poſitionem puteorum, vel cuniculorum, in data vena metallica agendorum. Poſt, quæ reſpiciunt poſitionem duarum venarum mutuam, nec non puteorum cuniculorumque in iis, vel extra eas. Hinc monſtratur, quomodo verſa vice, ea, quæ ſuper terra definita ſunt, quæque ad fines diſtinguendos adhiberi ſolent, in fodinam proiiciantur. Cum in fodinis ferri divitibus acus magneticæ uſus ceſſet, qua ratione dimenſiones tunc, ope aliorum inſtrumentorum, inſtituendæ ſint, oſtenditur. Sequuntur tum alia, in re metallorum foſſoria uſu venientia, ut libellatio aquarum in canalibus, exſtructio lacuum cum aggeribus, aquarum in tubis dimenſio, & inter plures diviſio; dein & quæ ad ipſam delineationem in charta faciunt. Finem denique imponit Operi brevis Geometriæ practicæ ſuper-

terra.

Digitized by Google

terraneæ, ſeu Geodæſiæ, inſtitutio, ut haberent artis hactenus expoſitæ cultores omnia in compendio, quæ ad eam exercendam deſiderari poterunt.

REFLEXIONS SUR LA CAUSE GENERALE des Vents.

h. e.

MEDITATIONES DE GENERALI VENTOrum cauſa. Schediaſma, quod pretium tulit ab Academia Scientiar. regia Berolinenſi ad a. 1746. propoſitum, Auctore d' ALEMBERT, Academiar. regiar. Pariſinæ & Berolinenſis Socio.

Pariſ. ap. Davidem Seniorem, 2 Alph. Tabb. æn. 2. in 4.

Duplici hic comparet habitu Diſſertatio de generali Ventorum cauſa, quam præmio decoravit Ill. Academia Berolinenſis. Altera, & quidem poſterior, eſt ipſa illa meditatio latina, quam ad Academiam miſit Auctor clariſſ. Altera, & prior, eſt eiusdem verſio gallica, ſed hinc inde variis additamentis ditata. Præmiſſa etiam eſt Introductio, eorum in uſum, qui ipſum librum perlegere non geſtiunt, ſed idea generali ſunt contenti, qua palmaria totius doctrinæ capita ſatis clare exponuntur.

Problema ipſum ab Academia propoſitum, iſtius erat tenoris: *Invenire ordinem & legem venti, ſi terra undique profundo mari circumdetur, adeo ut pro quovis tempore & loco definiri poſſit venti directio & velocitas.* Curſus quidem ventorum tot tantisque variationibus eſt obnoxius, ut motum hunc ad certas conſtantesque regulas reducere velle, ultra vires intellectus humani poſitum eſſe videatur. Attamen, qualescunque ſint cauſæ, ad producendum alterandumque ventorum motum concurrentes, hoc certe extra dubium eſt poſitum, quasdam earum ad minimum debere eſſe conſtantes, & ſecundum certas leges mechanicas agentes. Hoc & ipſa experientia ſatis comprobatur. Iam dudum enim obſervatum eſt, ventos in oceano, ſub zona torrida, curſum quendam regularem obtinere,

nere, nec multum ab eo aberrare, niſi prope continentem. Certe igitur hoc viribus noſtris eſt relictum, ut cauſas iſtas conſtantes ſeu generales, quales ſint, exploremus, easque ad certas regulas reducere, & effectum hinc reſultantem determinare, conemur. Cum aer ſit fluidum, terram noſtram ambiens; videamus vero in alio fluido, quo tellus circumdatur, mari nempe, motum regularem, qui fluxus & refluxus maris dicitur, & ſecundum placita ſummorum quorumvis noſtri ævi Phyſicorum, nulli alii cauſæ, quam actioni ſolis & lunæ debetur: nulla idea magis naturalis nobis ſe offerre poteſt, quam hæc, primam & generalem ventorum cauſam eſſe ſimilem aeris motum, e ſolis & lunæ in eum actione neceſſario oriundum. Hinc obiter palam fit, lunæ, omnem in aerem, quem reſpiramus, efficaciam denegari non poſſe. Allata vero cauſa ita comparata eſt, ut ad certas leges ſe reduci, & calculo ſubiici patiatur; in qua igitur rimanda verſari primum erit eius negotium, cuicunque in theoria ventorum ſe exercere libuerit. Etſi enim expanſioni aeris, e calore ſolis oriundæ, motum aeris, eumque certis naturæ regulis adſtrictum, tribuendum eſſe negari nequeat: eſt tamen hæc cauſa eius indolis, ut, ob actionem caloris nondum ad leges fixas reductam, eiusque effectum nimis vagum, nihil certi de ea pronuntiari, multo minus firma quædam eius Theoria effingi poſſit. Iure igitur meritoque Ill. Academia Berolinenſis, in Programmate, quo Problema de generali ventorum cauſa propoſuit, diſerte indicavit, ex actione ſolis & lunæ cum motu terræ combinata, primariam ventorum cauſam derivandam eſſe.

Quod iam ad ipſam methodum, a Clariſſ. Auctore in ſolutione ſua adhibitam, attinet, ea uſus eſt, quam in huiusmodi quæſtionibus ipſa rei natura poſtulare videbatur. A caſibus nempe ſimpliciſſimis initium ducens, inde continuo ad determinationem magis compoſitorum progreditur. Primo itaque terram ſupponit globum ſolidum, nullis inæqualitatibus diſtinctum, & coopertum aere admodum raro, homogeneo, & non elaſtico, qui primo in ſtatu figuram habeat ſphæri-

cam.

cam. Omnes huius fluidi partes ponuntur urgeri viribus ad axem normalibus, quæ ſint diſtantiis ab axe proportionales, & præterea aliis viribus ad centrum, quæ ſint ut functio quævis diſtantiarum, ſed longe maiores quam illæ, ut in quovis puncto reſpectu illarum pro conſtantibus aſſumi queant; & determinatur figura fluidi inde oriunda ex hypotheſi, quod vis ex utraque compoſita ſit ſuperficiei fluidi normalis, quam quidem eſſe Ellipſin iam ſatis conſtat. Determinata ſic figura fluidi in æquilibrio, iam porro eam quærit, quam ſucceſſive adſciſcere debet, dum ab actione ſolis in motum concitatur; quæ quidem quæſtio eſt altioris indaginis, nec a quopiam hactenus attacta. Uſus eſt Auctor hunc in finem principio, quod in *Dynamica* ſua ſtabilivit, & ad multorum Problematum dynamicorum difficiliorum ſolutionem, tam ibidem, quam alibi uſurpavit. Eſt autem tale: Si corpus velocitate *a* moveri tendit, velocitate autem *b* revera movetur, propter obſtaculum aliamve cauſam quamlibet; ſupponi poſſe velocitatem eius compoſitam e velocitate *b*, & alia velocitate *c*, quæ quidem talis eſſe debeat, ut ſi ſola corpori impreſſa fuiſſet, id, manentibus iisdem circumſtantiis, in quiete permanſiſſet. In præſenti itaque caſu, actionem totam ſolis in quovis puncto reſolvit in alias duas, quarum altera ſit talis, ut cum gravitate combinata producat vim ſuperficiei fluidi normalem, adeoque fluidum in æquilibrio retineat; altera vero integra ad movendum fluidum impendatur. Hoc itaque e fundamento derivat, fluidum tranſire ſucceſſive de figura initiali ſphærica ad varias figuras ellipticas, quarum axis maior continuo creſcat, decreſcente minori; præterea autem, motum particularum fluidi tam horizontalem, quam verticalem, prorſus ſimilem eſſe oſcillationi penduli, ita ut circa limitem quendam, (qui eſt figura quam haberet in æquilibrio,) continuo hinc inde excurrat ſpatiis proxime æqualibus & æqualibus temporibus deſcriptis. Patet itaque exinde, iam oriturum fluxum & refluxum aeris, ſeu ventum quendam regularem. Et ſane, facta aeris applicatione invenit, ſi aer eſſet homogeneus, & ſol ſemper eidem puncto æquatoris reſponderet, ibidem fore

Digitized by Google

ventum 8. horas ab oriente, totidemque ab occidente, alternis viribus ſpirantem. Cæterum, quem determinavit motum oſcillatorium in hypotheſi aeris valde rari, eundem quoque definit, poſito aere homogeneo quidem, ſed non raro, potius attractione particularum mutua locum habente, ubi quidem occurrit paradoxum ſatis, quod nempe talis eſſe poſſit denſitas fluidi, ut a viribus attrahentibus in puncto ipſis directe oppoſito non elevetur, ſed ſubſidere cogatur. Porro etiam definitur motus aeris oſcillatorius, e rotatione terræ circa axem oriundus, ſi quidem aeris figura primum ſphærica fuiſſet; nec non is, qui oritur combinando ſecum invicem hunc motum terræ gyratorium cum actione ſolis & lunæ. (Obiter hic monemus, effectum, qui ex actione ſolis & lunæ coniunctim oritur, ſemper haberi cognito eo, qui ex actione ſolis tantum prodit; cum actio lunaris ad ſolarem ſit in ratione proxime conſtanti, quæ ſecundum *Newtonum* ſupponitur 4:1 circiter). Hic ſimul occurritur obiectioni, qui fiat, ut aeris elevatio, ex actione ſolis & lunæ oriunda, nullum effectum ſenſibilem in barometrum edat? dum nempe oſtenditur, elevationem aeris eſſe tam parvam, ut variatio columnæ mercurialis prorſus confundatur cum aliis variationibus exiguis quotidie accidentibus. Hac occaſione examini ſubiicit rationem aliam, eadem de re allatam a Cl. *Dan. Bernoullio*, in *Tract. de fluxu & refluxu maris*, ab elaſticitate nimirum aeris petitam, contra quam dubia quædam in medium profert.

Verum enim vero ſatis apparet, ventum e ſolis hiſce cauſis oriundum haud diu fore conſtantem, dum nempe ſol & luna ſupponuntur reſpectu terræ immobiles. Ob partium enim frictionem & tenacitatem, fluidum brevi ad ſtatum æquilibrii reduceretur. Præcedentia itaque omnia reſpicienda ſunt tantum ceu præparatio ad ſequentia, ubi magis ad naturam rei acceditur. Ideo quoque in ſequentibus abſtrahitur a vento, e motu terræ circa axem oriundo, quippe qui, ſi unquam fuit, iamdudum deſinere debuiſſet.

Motum igitur aeris, ſolis & lunæ motu reſpectu terræ in computum ducto, determinandum aggreditur Auctor. Ubi qui-

Digitized by Google

quidem unicum ſaltem aſtrum conſideratur, quia dein per compoſitionem motus facile eo reducitur effectus ex utroque oriundus; nec non ab elaſticitate aeris quoque omnino abſtrahitur. Iam cum maxima difficultas in eo verſetur, quod rem accurate conſiderando, quævis aeris particula non ſpectari poſſit ceu libere mota, ſed potius omnes particulæ ſint ſibi mutuo contiguæ, cumque viribus diverſis agitentur, pro diverſa eorum ab aſtro diſtantia, motus eorum in ſe invicem mutuo influat: caſum primo ſimpliciorem conſiderat, quo nempe requiritur motus unius tantum particulæ, quæ pro unico puncto haberi poteſt. Hic itaque duplicem facit hypotheſin: primo enim terram ſupponit eſſe globum ſolidum, circumdatum lamella aeris, ſive homogenea, ſive heterogenea. Pro illa motum ex actione ſolis oriundum determinat, atque inde ventum perpetuum ſub æquatore ab ortu ad occaſum flantem, eiusque velocitatem, derivat. Eadem adhuc locum habent, ſi loco ſphæræ ſupponatur ſphærois. Dein eundem globum ſolidum in fluidum, vel ſaltem in ſolidum, fluido denſo & attractivo, ut mari, coopertum, mutatum concipit, pariterque velocitatem venti determinat. Unde ſimul patet, hanc multum diverſam eſſe debere ab ea, quæ vento ſuper globum ſolidum flanti competeret; adeoque ventum marinum, ex hac quidem cauſa, multum differre debere a terreſtri.

Caſu hoc faciliori conſtituto, ad alium magis arduum progreditur, quo conſideratur tota aeris maſſa, cuius partes motus ſuos mutuo alterant. Hic iterum primo ſupponitur aer valde rarus, ut attractionis partium nulla ratio habenda ſit, & homogeneus, isque globo ſolido incumbens; & præterea motus huius directio non multum diſtet a plano verticali per aſtrum tranſeunte. Oſtenditur inde venti & velocitas, & directio, quæ quidem ſub æquatore ſemper dirigitur ab ortu in occaſum. Simul explicatur ratio paradoxi, quod nempe plurimi dentur caſus, in quibus fluidum, vi attractionis motum, ſub aſtro, non, ut videri poſſet, attollitur, ſed ſubſidit: hoc nempe fit, ſi ea ſit partium conditio, ut hoc velocius moveantur, quo maior eſt earum ab aſtro diſtantia. Tunc generalis

traditur ſolutio, ſi directio venti non ſupponatur in plano per aſtrum verticali, ſed quævis. Fatendum tamen, æquationes inde pro determinatione venti emergentes, eſſe adeo compoſitas, ut exinde per approximationem ſaltem eruenda ſint, quæ ad ventorum Theoriam deducenda ſunt. Quare reſumitur caſus ſimplicior, de directione venti in plano per aſtrum verticali, & determinatur venti velocitas pro hypotheſi duplici, poſito nempe pro terra globo ſolido, ſed cooperto vel fluido attractivo homogeneo, quale eſt aqua marina, vel fluido raro, cuius partes denſitate varia ſint præditæ. Conſiderato hactenus motu aeris libero, quædam adduntur de motu aeris montibus aut ſimilibus obſtaculis impediti. Primo enim ponitur ſeries montium parallelorum, vel ſub æquatore aut parallelo quovis, vel ſub meridiano, idque, ſive usque ad ſuperficiem atmoſphæræ ultimam extendatur, ſive non; & velocitas venti intra eam flantis definitur. Dein aſſumitur ſpatium montibus undique incluſum, & motus venti in eo oſcillantis determinatur. Tandem generalior tentatur ſolutio, pro invenienda velocitate venti intra ſeriem montium non parallelorum flantis. Ex omnibus iſtis caſibus coniunctim conſideratis ſolutio conficitur, qua Problemati generali variis modis ſatis fit. Mirum autem non eſt, ſolutionem prorſus generalem exhiberi non poſſe, cum tam ardua ſit hæc diſquiſitio, & partim omnes circumſtantias ad calculum revocare ſit impoſſibile, partim ad formulas deveniatur adeo compoſitas, ut exinde parum ſaltem derivare liceat. Nihil itaque in hac & eiusmodi quæſtionibus relictum videtur, quam pro variis hypotheſibus ſimplicioribus theoriam efformari, unde, quid in caſibus magis compoſitis, e circumſtantiarum combinatione oriatur, generatim conſpici queat. Quod ſane inſigni cum ſagacitate præſtitiſſe Cel. Auctorem, inficias prorſus iri nequit. Maximam is laudem vel ideo meretur, quod primus ſit, qui vadum in re tam ſubtili tentaverit.

Cæterum, Analyſis quoque in hoc Tractatu eſt promota, traditis hinc inde variis eo inſervientibus. E. g. *art. 79.* demonſtratur Theorema: Quantitatem quamvis algebraicam,

ex

ex realibus & imaginariis utcunque conflatam, ſemper reduci poſſe ad hanc formam $A+B\sqrt{-1}$. Aliis autem locis traduntur methodi quædam, pro reſolutione æquationum differentialium paulo difficiliorum, cum fructu adhibitæ.

DE MUNDO OPTIMO, LIBERTATI, POtentiæ, & Sapientiæ Dei convenientiſſimo. Diſſertatio Academica, Auctore P. COELESTINO SCHIRMANN, Ordinem S. Benedicti in Monaſterio Cremiſanenſi Profeſſo, ac in Academia ibidem Philoſophiæ Profeſſore Ordinario, A. D. MDCCLVI. Cum permiſſu ſuperiorum.

Styræ, typis Gregorii Menhardt, 20. plagg. in 4.

Auctor, cum mundum hunc eſſe optimum, eundemque divinis attributis convenientiſſimum, iret demonſtratum, primum de Mundo, ac dein de ſumma eius Bonitate, diſſerendum ſibi eſſe recte vidit. Bonitas vero mundi cum relationem ad Dei voluntatem, eiusque ſcopum, ſupponat, porro de Deo, & eius voluntate ac ſcopo, expoſuit, monſtrans, mundum hunc eſſe medium optimum ad ſcopum, quem Deus eum creando intendit, adeoque merito eum optimum eſſe dicendum. Sectiones autem doctæ meditationis conſtituit tres, quarum prima, *de mundo in genere, & iis quae ad notionem eius pertinent*; ſecunda, *de Deo ex mundo optimo optime agnito*; tertia denique, *de mundo optimo vindicato per libertatem, potentiam, & ſapientiam Dei*, diſſeruit.

Sectione itaque prima Mundum definit, ex eiusque notione ſequentia potiſſimum demonſtrat: eventus in mundo determinatam habere veritatem, ſive, fieri certo in mundo quicquid fit; eſſe tamen ea contingentia: plures eſſe mundos poſſibiles, mundum adeoque exiſtentem exiſtere contingenter, nec nexum rerum ac eventuum huius mundi libertati mentis humanæ quicquam obeſſe: habere mundum exiſtentiæ ſuæ rationem in ente alio, a ſe diverſo, non dari enim in contingentibus progreſſum cauſarum & effectuum in infinitum;

Digitized by Google

adeoque cauſam mundi eſſe ens neceſſarium, & a ſe exiſtens: nullum mundum poſſe eſſe ſine malo metaphyſico, hocque poſito, poni poſſibilitatem mali moralis, exiſtentiam autem huius non niſi abuſui libertatis eſſe tribuendam: ineſſe imperfectiones in mundi partibus, nec tamen eas perfectioni totius detrahere.

Sectione ſecunda Auctor ſic fere rationes ſubducit: Ens a ſe exiſtens, tum a mundo, tum ab anima humana, tum denique a corporum elementis, eſt diverſiſſimum, eiusque attributa ex natura huius mundi agnoſci queunt; prout viciſſim ab illis ad huius perfectionem prona ac firma eſt conſequentia. Cur autem hic, non alius exiſtat mundus, rationem oportet ſubeſſe tum obiectivam, tum ſubiectivam. Hinc ex natura huius mundi ad intellectum Dei perfectiſſimum, ad omniſcientiam eius, quæ & ſimplicem intelligentiam, ſcientiam mediam & cognitionem impoſſibilium, immo & cognitionem omnium eventuum huius mundi, ipſorumque liberorum mentis humanæ decretorum, ſinu continet ſuo, concluditur firmiſſime. Porro, cum Deus ab æterno velit, quicquid vult, velit autem tantum poſſibilia, & ex his eligat optimum; optimum ſcilicet in relatione ad univerſum; ſequitur, quod Deus hunc mundum voluerit ab æterno, & condendum decreverit, quia ex omnibus poſſibilibus erat longe optimus, i. e. ſignum voluntatis divinæ perfectiſſimæ. Non pugnant hæc cum libertate, nec cum omnipotentia divina, ſiquidem mundus illimitatus non erat obiectum divinæ omnipotentiæ. Hac occaſione plura de voluntate Dei antecedente ac conſequente, de decreto eius immutabili, præſcientia item omnigena, eaque contingentiæ ac libertati hominum haud inimica, plura diſputantur ſubtiliter. Tandem, cum Deus mundum hunc condiderit ob certum ſcopum, isque non niſi in manifeſtatione perfectionis ſummæ, quæ in ipſo ſolo ineſt, poſſit conſiſtere; & vero perfectio mundi ſit medium ad hunc ſcopum omnium optimum: conſequitur, hunc mundum noſtrum eſſe in genere ſuo perfectiſſimum. Obtinet autem hunc ſcopum Deus per hunc mundum optime, & ex aſſe, ſiquidem

Digitized by Google

quidem ille teſtatur luculentiſſime de ſapientia, bonitate, iuſtitia, ceterisque Dei attributis, quibus permiſſio mali moralis nequaquam repugnat. Breviter: quælibet ſumma capita Theologiæ Naturalis hæc Sectio exhibere videtur.

Sectio ultima doctrinam Auctoris ab obiectionibus vindicat. Perfectio mundi conſiſtit in aptitudine eius manifeſtandi gloriam Dei, illaque naturaliter ex particularibus, quæ ſola homini in eo obſervare datum eſt, æſtimari nequit. Mundus noſter, qua optimus, eſt ſignum naturale Dei, quod & ipſæ ſacræ paginæ confirmant Gen. I, 31. quodque plures Patres Eccleſiæ, immo & haud adeo pauci ex recentioribus Eccleſiæ Romanæ DD. agnoverunt. Non repugnat hic mundus optimus intellectui divino, non libertati creatoris; non eſt electus propter malum morale, non contrariatur omnipotentiæ, non bonitati, non denique ſapientiæ ſummæ, cum horum omnium ſignum potius, & ſignum quidem naturale ſit, id quod mundus Non-Optimus nequaquam foret.

Elaboratiſſimum hoc eſſe opuſculum in ſuo genere, inficias iverit nemo. Logicum expreſſit Auctor non minus exactum, quam Metaphyſicum ſubtilem. Methodo enim uſus eſt vere ſynthetica, aut, ſi mavis, ſcientifica. Calumniæ declinandæ cauſa paſſim provocat ad S. Codicem, S. Auguſtinum, D. Thomam, & recentiores quosdam Eccleſiæ Rom. DD. Scribendi genus, licet non ubique æque caſtum, eſt tamen planum, nec adeo recedit ab uſu priſco. Nulli dubitamus, Auctorem liberalibus ſuis conatibus alios quoque ad gemina tentanda eſſe excitaturum. Optamus ei robur tum corporis, tum animi, ad pergendum ſtrenue in veteri ſylva ruſtanda, ac in libertate philoſophandi fortiter adſerenda. Adſerit enim hanc, & in præfatione, ubi optime monet, *ratione in philoſophicis eſſe ſtandum auctoritatem non niſi ut rationi conſentaneam admitti.* Quod utinam perſuaderi poſſit Stemplovio illi, qui in *Apologia* ſua *pro arte diſputandi Peripatheticorum, Logicae ſuae Incipientium, Cracov. 1753.* præmiſſa,

ita

ita in *modernos*, uti vocat, Philoſophos debacchatur, ut nec convenientem inter Chriſtianos locum iis relinquendum cenſeat, eosque omnes in hæreſeos ſuſpicionem, conatu, dubium, an vano tantum, an & impio, adductum eat. Sed depexum hominem dedit *Carpophorus Philalethes*, in epiſtola ad eum data, typis vulgata *Veronae 1754.* Potuit reſipiſcere homo, ſumto hoc pharmaco. Sin minus, Stemplovio præceptorem dabimus doctiſſ. Schirmannum. Claudat igitur cathedram, Cracovia Styram tendat, diſcat dehinc ea, quæ docuit hactenus.

Digitized by Google

NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipſiæ

Calendis Septembris Anno MDCCLVII.

Pars II.

D. Chriſtoph Auguſt Heumanns Erklärung des Neuen Teſtaments, Achter Theil.

h. e.

D. CHRISTOPHORI AUGUSTI HEUMANNI Commentariorum in Novi Foederis libros divinos PARS VIII. qua quidem ſecunda & tertia D. Iohannis, itemque duæ D. Pauli ad Chriſtianos Philippenſium & Coloſſenſium coetus epiſtolæ declarantur.

Hanoveræ, 1756. in bibliopolio Foerſteriano, 1 Alph. 17 plagg. octonis.

Operis eximii, verisque laudibus ſuis perpetuum victuri, dum novam hanc Partem publice ſiſtimus, eiusque rationes explicare properamus: male diligentes nobis ipſi videremur, ſi nunc demum dicere apud Lectores inſtituiſſemus, quis ille Vir & quantus ſit, cuius liberalitate docta atque ingenioſa, doctiſſimus iuxta atque ingenioſiſſimus liber, editus atque altus, mox novis in dies incrementis addendis, ad hanc ſpectabilem maturitatem deductus fuerit. Eſt tamen & hodie aliqua præſto præfandi occaſio. Nam cum pars proxime præcedens Epiſtolam ad Romanos complexa enarrando fuerit, iam hæc noſtra ad longe ſeiunctas transſiliat Epiſtolas:

 merito

merito repetenda nobis Ven. Auctoris admonitio eſt, eorum ſe ſcriptorum, quæ præterierit, non omiſſurum omnino explicationem, ſed potius ad eam, dilatam nunc gravi conſilio, poſtliminio eſſe rediturum. Quæ nos prudenter ita inſtituta eſſe cognovimus.

De *ſecundae tertiaeque Epiſtolae Iohannis* auctore prius diſquiritur, quam ad eas contemplandas Lectores flectantur. Fuerunt enim primis poſt N. C. ſeculis, qui eas valde dubii S. Apoſtolo adſcriberent. Ea fluctuatio, ſi qua etiamnum eſt, ut dilueretur, duo ſibi evincenda ſumſit Heumannus; alterum: a Iohanne Apoſtolo Canonem quendam Novi Teſt. hoc eſt divinorum librorum collectionem fuiſſe conditam; alterum: recte ſuper nonnullis N. Foed. ſcriptis hæſiſſe Chriſtianos, num ab iis revera profecta fuerint, quorum ſignata nomine comparent. Surgere vero omnino neceſſe erat virum, qui, quæ ſint genuina Numinis per ſanctiſſimos homines edita oracula, Chriſtiano coetui oſtenderet: ne videlicet ullus errori in profitendis religioſæ doctrinæ principiis locus pateret. At illum oportebat omnes Evangelicæ hiſtoriæ & Apoſtolicarum epiſtolarum auctores ætate ſuperaſſe; nullus ut ab eo divinæ auctoritatis liber prætermiſſus videri poſſet. Hunc talem in D. Iohanne merito nos inveniſſe credimus collectorem. Atque hinc intelligitur, eos N. F. libros, quorum canonica dignitas longo tempore dubia perſeveravit, ex hoc Iohannis Canone exſulaſſe, e. c. quasdam Petri, Iacobi, Iudæ, ipſius Iohannis, denique Anonymi ad Hebræos, epiſtolas. Poſteriores quidem Iohannis epiſtolæ duæ, quod ab eo in hanc ſyllogen relatæ non fuerint, inde derivandum exiſtimat V. Auct. quod illas ad privatos ſcripſerit, adeoque pari iure omittere poterat, quo reliquas, quas ad integros coetus exaraſſe putandus eſt, a Canone arcuit. Earum tamen priorem *Irenaeus* (Lib. I. Cap. XIII.) & *Clem. Alex.* (Stromat. L. II. C. XV.) ſeculo iam ſecundo, mox tertio alteram quoque omnis Eccleſia, recepit. Neque non potuit recipere utramque, quum admirabilem illarum cum prima Epiſtola concentum attenderet.

Nunc

Nunc ipſa Heumanni noſtri ad Epiſtolas Iohanneas commentaria adſpiciamus. In *Epiſtola ſecunda* videndum primo de Pag. 16.
Ἐκλεκτῇ Κυρίᾳ, v. 1. ad quam illa miſſa fuerat. Reddunt pleri- ſqq.
que: Electæ dominæ, atque hanc iam talem fingunt, quæ *electa* divinitus fuerit, iam, cui *Electae* nomen proprium adhæſerit. Legimus & alias utriusque vocis expoſitiones; ſed ea ſine dubio veritati proxima habenda eſt, quam Cl. Auct. A. 1726. peculiari ſcripto prodidit, ac poſtea Pocciles ſuæ Tomo II. p. 421. ſqq. & T. III. p. 15. ſq. innexuit. Hæc ergo vertere iubet: *electae Cyriae*. Cum enim nomen foemitæ recte hic quæratur, facileque doceri poſſit, illud voce Ἐκλεκτῇ minime contineri, ſupereſt, ut in Κυρίᾳ depoſitum credatur. Foeminis autem propium nomen illud fuiſſe, Inſcriptio apud *Gruterum* p. 1127. n. 11. ἡ γυνὴ αὐτȣ̃ Κυρία, & *Dominae* nomen apud eundem, p. 1050. n. 9. quin & *Cyriae Cyriique*, apud *Gorium* in Inſcript. Antiqu. quæ exſtant in Etruriæ urbibus, p. 63. n. 173. & 176. demonſtrant. Nec movet nos articuli ante ἐκλεκτῇ abſentia; cum articuli uſus in N. Teſt. indifferens ſit. Hanc itaque gloſſam doctiſſimi Viri, Haſæus, Zeltnerus, Bengelius, Benſonius, non dubitarunt veram dicere.

Quod v. 4. dicitur, ἐκ τῶν τέκνων σου, ſcil. τινες, id non 29.
habet hanc vim, ut aliquos ſaltem ex Cyriæ liberis, Chriſtianis ſacris addictos fuiſſe deſignet; ſed potius, non omnes viſos ab Apoſtolo eſſe, cum aliquando eius domum adiiſſet. Me- 38.
moranda eſt v. 10. 11. contra doctores falſos adhortatio. Vetat eos primum in domum recipi, hoc eſt, hoſpitio longiore retineri. Peregrinantes autem & fame vel paupertate preſſos ſublevare, inſtructosque viatico dimittere, niſi ſubruto omnis beneficentiæ officio, prohibere non potuit. Sed hæc cum privatis dicta ſint, de quæſtione illa, num Principi alienæ religionis ſectatores per ditiones ſuas tolerandi ſint, nihil ſtatuunt. Iubentur præterea Chriſtiani etiam a ſalutando Pſeudapoſtolo abſtinere, quibus verbis id ſignificatur, non eſſe cum eo arctiorem familiaritatem, qualis genuinos Chriſtianos in-

Digitized by Google

tercedit, ineundam, nec committendum quidquam, ex quo ille
ſuſpicare poſſit, nos eius errori favere.

Pag. 47. *Tertiam Iohannis Epiſtolam* Ven. Heumannus iam A. 1742.
programmate publicato illuſtravit. Quo factum eſt, ut, cum
ea Secundæ compluribus locis parallela ſit, nonnulla hic de-
mum declarentur, ad quæ in illa Lectores offenderant. Ca-
49. ius qui epiſtolam accepit, v. 1. diverſus a reliquis eodem no-
mine Viris, quos commemorant N. Foed. tabulæ, non procul
Epheſo, ubi tum Iohannis ſeceſſus erat, habitaſſe, eiusque
ad notitiam, liberalitatis ſuæ erga Chriſtianos exſules fama,
perveniſſe videtur. Iam ὁ πρεσβύτερος ſine controverſia Io-
hannem denotat. Præpoſtere autem plerumque vertitur hoc
vocabulum: *Presbyter*, ſeu coetus Chriſtiani doctor. Hæc
enim ſi eius poteſtas eſſet, non ὁ πρεσβύτερος, ſed πρ. τις,
vel εἷς τῶν πρεσβυτέρων dixiſſet Apoſtolus. Nunc forma lo-
quendi uſus eſt eiusmodi, quæ in ſe unum conveniret, quippe
qui *ſenex ille Apoſtolus*, longiſſimeque provectus ætate eſſet
præ reliquis ſancti muneris collegis, & univerſis forſitan eius
regionis Chriſtianis. Pari ſenſu Παῦλον πρεσβύτερον, *Pau-
lum annis gravem*, v. 9. Ep. ad Philem. habet. Minuſculum
ergo τὸ Π loci noſtri pingendum eſt, quod vulgo maiori
52. modulo editur. Ἀγαπᾷν ἐν ἀληθείᾳ, non eſt, *vere &
ſincere amare:* vix enim de Apoſtoli erga ſe animo dubitavit
Caius; ſed idem quod 2 Epiſt. v. 12. διὰ τὴν ἀλήθειαν, *ob
fidem atque mores Chriſtiano dignos*, cui etiam illud v. 4. πε-
55. ριπατεῖν ἐν ἀληθείᾳ, conſentaneum eſt. Vox εὐοδοῦσθαι
v. 2. proſpera quæque, quibus beari homines poſſunt, inpri-
mis conſervandas & augendas opes complectitur, quippe
quibus Caius generoſe in Chriſtianorum emolumentum ute-
59. batur. Verbo μειζότερος quod eſt comparativus ex Com-
parativo μείζων, Camerarius adſcripſit: βαρβαρίζει ἡ λέξις,
neque minus alii eam dictionem tamquam impuram reiecere.
Sed reſpondetur ab Heumanno: Videtur eſſe vox plebeia,
perſpicuitatis gratia adhibita. Sic a Superlativo ἐλάχιστος Epheſ.
III, 8. Comparativus ἐλαχιστότερος deſcendit, itemque apud
Sextum Empir. L. IX. §. 406. Superlat. ἐλαχιστότατος.

De

De Diotrephe v. 9. 10. ut quædam diſputentur, non Pag. 72.
fuerit ſupervacaneum. Scripſiſſe ſe exſulum cauſſa ad Eccle- ſqq.
ſiam quandam, ait Apoſtolus. Hanc propius ab Epheſo ab-
fuiſſe, epiſtolam autem Diotrephis conſilio periiſſe oportet.
Tulit ea hanc ſortem cum aliis Apoſtolorum ſcriptis commu-
nem, quæ canonicis inſeri & ſervari noluit Deus. Diotre-
phen vero qui Chriſtianum fuiſſe propterea negant, quod
ethnicum nomen geſſit, ii vel Demetrii v. 12. a Cerere cog-
nominati, & Dionyſii, Act. XVIII. obliviſcuntur. Ubi &
obſervatur ab Auct. Cl. *Homero* Deos ſæpius Διοτρεφεῖς, Io-
vis alumnos, *Muſaeo* autem, Carm. de Leandro v. 30. ge-
neroſum ſanguinem, Διοτρεφὲς αἷμα, audire. Non hære-
ſeos, ſed aliorum vitiorum accuſari ab Apoſtolo Diotrephen,
facile adparet; neque maioris laboris eſt, intelligere, eum
nec Epiſcopum, nec Presbyterum, nec ethnicum magiſtratum
urbis illius fuiſſe, ad quam Iohannis epiſtola perſcripta fue-
rat. Supereſt ut Diaconi munere functum exiſtimemus: tum
vero plana quæ hic leguntur habebimus omnia. Cum enim
pecunia pauperibus diſtribuenda ei credita eſſet, Chriſtianis
exſulibus eo confugientibus ſtipem denegaſſe, nihilque motus
vel coetus ſui, vel ipſius Apoſtoli mandatis, ſed principatum
inter ſuos quæſiſſe, ſolusque quid e re Eccleſiæ ſit, exploran-
dum ſumſiſſe ſibi videtur. Ceterum ἐκβάλλειν ἐκ τῆς ἐκκλη-
σίας neutiquam *excommunicandi* poteſtatem admittit, ſed po-
tius, *ſubtracta eleemoſynae ſpe, ad proſequendum iter cogere.*
Κωλύειν autem non eſt *vetare,* ſed *diſſuadere,* conf. Luc. XXIII,
2. Act. VIII, 36.

Succedat iam D. *Pauli ad Chriſtianos Philippenſes Epiſtola,* 97. ſqq.
Heumanniani ingenii & doctrinæ illuſtrata luminibus. Ad
v. 5. S. Chryſoſtomi lapſus notatur, κοινωνίαν ἐπὶ τῷ εὐαγ- 109.
γελίῳ pro liberalitate Philippenſis coetus erga Apoſtolum ac-
cipientis: cuius etiam auctoritatem, ut fit, multi ſecuti ſunt.
Quodſi ad v. 6. quæratur, quid ſit illud quod dicitur, bonum 111.
opus in Chriſtianis a Deo, *ad diem usque extremum,* perficien-
dum eſſe; ex Auctoris ſententia, Paulus ſupremum & vitæ
& iudicii diem coniungit. Scilicet, qui fidelis moritur, in

 uni-

univerſali quoque olim iudicio fidelis comparebit, cum hoc in-
Pag. 118. ter & mortem intervallum revera defunctis nullum ſit. Ἡ
ἀγάπη ὑμῶν v. 9. a Bullingero pro alloquio Verbi Divini mi-
niſtris ſolito ad concionem, habetur; quod vernacula audit:
Eure Liebe, vel: *Eure Chriſtliche Liebe.* Sed illud ſequioris
ætatis eſt, uſurpatum a Patribus Eccleſiæ, apud *Suicerum*,
T. I. p. 23. 855. ab *Iſidoro Peluſiota*, Lib. I. Epiſt. 459. ab
Innocentio Epiſc. Rom. apud *Sozomenum*, H. E. Lib. VIII.
C. 26. atque adeo extra Eccleſiaſticæ orationis fines, a *Sym-
macho*, L. VII, Ep. 4. 5. 6. 11. cuius eſt: *Amabilitas Tua.*
132. Verba illa v. 16. Οἱ μὲν ἐξ ἐριθείας, præter Belloſobrium,
recte adhuc nullus reddidit ex S. Cod. interpretibus. Sed de
exegetarum numero Glaſſius, Grotiusque & Camerarius, pro-
be perſpexerunt, non hæc Prædicatum vocis καταγγέλλουσι
conſtituere, ſed velut ſubiectum (οἱ ὄντες ἐξ ἐριθείας) v. 15.
133. annectenda eſſe. Quemadmodum porro quæ ſequuntur:
οἰόμενοι θλίψιν ἐπιφέρειν τοῖς δεσμοῖς μου, vertenda ſint,
communis opinio item neſcit. Verum id nos docet *Ulpiani*
Grammatici apud *Maium*, Obſerv. Sacr. L. III. C. 4. p. 15.
regula: *Verba νομίζω, δοκεῖν, & his ſimilia*, (in quibus eſt
etiam τὸ οἴεσθαι) *ſaepenumero nonniſi ad deſignandam rei veri-
tatem poni a Scriptoribus.* Eo præcepto ad explicandum lo-
cum Act. XVI, 13. uſus eſt Maius, ſed infeliciter, cum ille
non Activum νομίζειν, ſed Paſſivum νομίζεσθαι referat. Re-
ctius idem noſtris verbis inſervit, ut οἰόμενος ἐπιφέρειν ſit
loco ἐπιφέροντες. Eamdem vim τὸ δοκεῖν obtinet Marci X,
42. coll. Matth. XX, 25. agnoſcente ipſo Luthero noſtro in
verſione 1 Corinth. XI, 16. Verſus 21. hæc eſt vera paraphra-
142. ſis: Si vita amplius mihi ſuperſuerit, nulla re occupabitur, niſi
prædicandis Servatoris laudibus; ſin extingui me oportet, in-
gens lucrum, ſocietatem puta cum Chriſto meo, adipiſcar.
164. Capitis ſecundi v. 1, duo duntaxat commentatores, quod
Heumannus ſciat, apte expoſuere, Iſidorus Clarius, & Ioach.
Langius noſtras. Eſt autem huius exegeſis talis: Si quid apud
vos valet cohortatio mea; ſi qua amica propenſio & accepti
Spiritus S. communio nos iungit; denique ſi candida miſera-
tione

Digitized by Google

tione mei tangimini, addite hunc gaudio meo cumulum, ut
unanimes vos videam, cet. Verſum 6. iam A. 1719. in Bi-
blioth. Brem. T. II. p. 580. ſqq. Ven. Auctor explanavit, ſed Pag. 173.
idem nunc plenius præſtat & diſtinctius. *Species ſervi*, quæ
Chriſto tribuitur, eſt externus eius inter homines verſantis,
isque vilis habitus, quem, relicta μορφῇ Θεοῦ, hoc eſt, pari-
ter externo illo maieſtatis divinæ ſplendore, quem nos qui-
dem concipimus, induerat. Nihil ergo hic de eſſentia Serva-
toris; ſed de forma ſolum ſenſibus obnoxia. Ἁρπαγμὸν ἡ- 180.
γεῖσθαι poſt *Mer. Caſaubonum*, Diſſ. de uſu verborum p. 118.
Ed. Cren. reddendum: *pro eo quod hoſtibus detractum ſit, re-
putare, eoque ſpolio ſuperbire, & ſe publice victorem oſtentare.*
Ἶσα hoc loco adverbialiter ſumi, in aprico eſt, uſuque Græ- 186.
corum confirmatur. Nomen cuncta reliqua nomina longe 196.
ſuperans, quod Chriſto tribuiſſe dicitur Deus v. 9. eſt gloria
famaque omnem orbem pervagata. Certe hoc ſibi & Græ-
corum & Romanorum Germanicumque *magnum nomen* vult.
Flectenda in hoc nomen ubique locorum genua, dominatum
IC in univerſas res creatas indicant. Ita τὸ προσκυνεῖν Hebr.
I, 6. angelorum ſubiectionem prodit. Quinam autem ſunt 197. ſq.
οἱ ἐπουράνιοι, καὶ ἐπίγειοι, καὶ καταχθόνιοι? In Vet. qui-
dem Foed. libris, v. c. Gen. IX, 2. Deut. IV, 17. 18. V, 8.
Pſ. XCVI, 11. hæc diſtributio, aves, animantia terreſtria &
piſces comprehendit. Sed ea diſtributio cum hic locum ha-
bere nequeat, primæ claſſi angelos, ſecundæ humanum in
terris genus, tertiæ malignos ſpiritus aſſignare convenit.
Conf. Apoc. V, 13. & Eph. I, 20. ubi τὰ ἐπουράνια pro
coelo ſunt. Non eſt hic omittenda Heumanni de more coetibus 200.
Evangelicorum recepto, nomen Ieſu ſemper incurvandis ge-
nubus, vel retegendo capite proſequendi, ſententia. Eum
ab omni ſuperſtitione liberum non eſſe autumat, cum ad re-
liqua SS. Trinitatis nomina propagatus non ſit; ſenſim ta-
men in deſuetudinem abiturum ſperari poſſe. Hebraica 209.
phraſis eſt v. 12. μετὰ φόβου καὶ τρόμου, vertenda: *cum dili-
gentiſſima ſollicitudine.* Conf. Epheſ. VI, 5. 2 Cor. VII, 15.
Verſus 21. hoc ait: *Non* Servatoris *ſolum* honorem, *ſed etiam* 228.
pro-

Pag. 242. propriam utilitatem reſpiciunt. Ad v. 30. vox παραβου-
λευσάμενος, a Ioſ. Scaligero eiusque ſequacibus loco mota,
& in παραβολευσάμενος mutata, vindicatur, additurque Wol-
fii & Caſauboni in Caſaubon. p. 83. ſq. argumentis, conie-
ctura, vocem controverſam plebeiam videri.

250. Merito ſuo Cap. III. v. 1. reprehenduntur ii, qui τὸ γρά-
φειν de inſtitutione ore Apoſtoli mandata capiunt, pluresque
ab eo ad Philippenſes miſſas fuiſſe Epiſtolas, quæ iam non
ſuperant, concedere gravantur. Eos vel *Polycarpus* Ep. ad
Phil. §. III. erroris convincit, ubi hæc leguntur: ὃς καὶ ἀ-
πὼν ὑμῖν ἔγραψεν ἘΠΙΣΤΟΛΑΣ. Malum eſſe Tho. Smithi
in Obſerv. ad hanc Polyc. Epiſt. (Oxoniæ 1709.) effugium,
S. Patrem de epiſtolis ad alios coetus perlatis, & cum Philip-
pico communicandis, dicere, τὸ ἔγραψεν ὑμῖν abunde docet.

290. Τέλειοι non *perfecti* ſunt, ſed ad normam Hebr. formæ
תמים, *probi*, & γνησίως Chriſtiani. Confirmatum hoc vi-
deas in Alex. Verſ. Gen. VI, 9. Deut. XVIII, 13. & Iudic. IX,
16. Unde lux oritur locis Coloſſ. I, 28. 1 Cor. II, 6. Iac.
306. ſqq. I, 4. Docta eſt ad v. 20. de πολιτεύματε Chriſtianorum
coeleſti diſputatio. Opponuntur illi τὰ ἐπίγεια, *opes ac
poſſeſſiones* in terris. Quid? ſi πολίτευμα *ſedes fortunarum
perpetuas*, ſeu *patriam*, denotet? Sane 2 Macc. XII, 7. voca-
bulum pro integra urbe ponitur. Itaque recte locus noſter
hunc in modum exprimitur: Patria & facultates noſtræ coe-
lo continentur. Quo ipſo *Ius civitatis* etiam comprehendi
liquet.

319. Capitis IV. verſum primum, partem potius Cap. III. ul-
timam conſtituere, legentibus perſpicuum eſt, perfecitque
eam mutationem iam *Nic. Hemmingius*, in Comment. ad om-
326. nes Epp. N. T. p. 481. Epaphroditum v. 3. σύζυγον γνή-
σιον adpellat Paullus, qui in ſuſtentando iugo opem fert, &
partem aliquam ſibi depoſcit. Sic *boves coniuges*, *Severus
Sanctus*, Carm. de mortibus boum, & *iugum* impiorum ne-
335. farium, Philipp. I. *Ciceronis* Cap. 2. oſtendit. Verſus 5. &
6. re ipſa unum efficiunt, cui hæc ineſt mens: Nolite curis
angi; nam præſens continuo vobis Numen, rebus veſtris ſatis
pro-

Digitized by Google

proſpiciet. Futurum v. 7. φρουρήσει optativum eſt, velut Pag. 339.
Cap. III, 15. infra v. 19. imo & Rom. XVI, 20. Quod ex 350.
v. 8. conſtruere Theologiæ Moralis Compendium conatus eſt
Treunerus, Theol. Ienenſis, lepidum profecto eſt, ſi, quæ eius
hic ſpecimina adferuntur, ſpectes. Vocabulum Φιλιππήσιοι 362.
v. 15. a Paulo fictum eſſe exiſtimat Camerarius pro Φιλιπ-
πεῖς vel Φιλιππηνοὶ. Verum hæc nomina in nullo ſcriptore
obvia ſunt, illud a Polycarpo & Chryſoſtomo frequentatum.
V. 18. pro δσμὴν Ven. Auct. legendum cenſet ὀσμῇ, poſtu- 373.
lante hoc Syntaxi. Denique οἱ ἐκ τῦ καίσαρος οἰκίας ſunt 378.
ipſi miniſtri quidam aulæ Cæſareæ, ſacra Chriſtiana clam
profeſſi.

Pervenimus ad Epiſtolæ, *Coloſſenſibus Chriſtianis* dicatæ, il- 381. ſqq.
luſtrationem, qua quidem recenſenda breviter defungemur.
In Prolegomenis docetur, male a quibusdam legi κολασσαεῖς 386.
& κολασσεῖς, ſecutis Eraſmum, Stephanum, atque Millium,
qui eam novitatem infirmiter tuentur. Scripta autem fuit E-
piſtola inprimis ad Iudæos converſos, quorum unde tantus
numerus Coloſſas confluxerit, *Ioſephus* Hiſt. Iud. L. XII. Cap.
III. §. IV. Ed. Hudſon. refert. Facta autem hanc inter Epi- 397. ſqq.
ſtolam & eam quæ ad Epheſinam eccleſiam exarata proſtat,
contentione, mirus utriusque in rebus, quin & verbis ipſis,
parallelismus panditur. Eodem videlicet utraque tempore
litteris mandata fuit: hæſitque alterius argumentum ad alte-
ram ſcribendam accedenti. In exemplis huius conſenſus hæc
ſunt: Coloſſ. I, 1. 2. coll. Eph. I, 1. 2. Col. I, 9. coll. Eph.
I, 15. 16. 17. C. I, 14. E. I, 7. C. I, 18. E. V, 23. C. II,
13. E. II, 5. C. III, 26. IV, 1. E. VI, 9. cet.

In Exegeſi ipſa Epiſtolæ, hæc nobis memoranda viſa ſunt.
Qui v. 7. Epaphras dicitur, non eſt ab Epaphrodito illo, Phil. 414.
II, 23. diverſus. Poſterius quidem genuinum viri nomen
erat, prius ex hoc ortum, & vulgi ore corruptum. Solent
enim Iudæi Græcis nominibus terminationem *as* adiungere,
v. c. Demas, Hermas, Lucas, Cleopas, pro Demetrius, Her-
modorus, Lucius, Cleopater. V. 25. Chriſtus πρωτότοκος 434. ſq.
πάσης κτίσεως dicitur: quod nomen Ariani in rem ſuam ver-

 ſuri

ſuri reddidere: *primogenitus inter omnes res creatas.* Sed illis egregie occurritur obſervando, vocem *πρῶτος*, ubi Genitivum præcedit, idem eſſe ac *prior*, v. c. Ioh. I, 15. C. XV, 8. Noſtro autem loco Genitivus, *πάσης κτίσεως* a voce *πρῶτος*, quæ pars eſt *τοῦ πρωτότοκος*, ita regitur, ut omnis formula eo redeat: *prius, quam omnes res creatae, genitus.* Ita *Max. Tyr.* Diſſ. XXXI. *προαναλώθησαν τῆς νεὼς*, *prius, quam navis ipſa, perierunt.* Πρωτότοκον denique non eſſe *prius natum,* ſed *prius genitum* a Patre, quam mundus con-
Pag. 451. deretur, verbi *τίκτω* uſus probat. Ad v. 18. quæritur, quonam modo Servator *πρωτότοκος ἐκ τῶν νεκρῶν* prædicari poſſit; cum tamen ante eius reſurrectionem complures iam in vitam redierint. Satis habemus reſpondere, nullum tamen horum continuo in coelum tranſiiſſe, quemadmodum Servator O. M. ſed illis omnibus mortalitatis legem denuo fuiſſe ſub-
458. eundam. Eodem verſu vox *ἀρχὴ* difficultatem parit. Poterat ea commode abeſſe, cumque adeo & Mſcta ſint, & Patres, qui *ἀπ᾽ ἀρχὴ* legant, vix dubitat Heumanni acumen illud ſub-
505. ſtituere. Philoſophia, a qua cavere ſibi Chriſtiani iubentur, Cap. II. 8. eſt Platonica & Eſſæna, quippe cuius doctores puriorem ſibi de Deo ſententiam, & morum diſciplinam Chri-
517. ſtiana longe ſanctiorem, arrogabant. *Σωματικῶς* v. 9. eſt
526. *quaſi corporaliter,* hoc eſt, *quaſi in corpore ſuo.* Syngrapham deletam v. 14. eſſe abolitionem neceſſitatis obſervandæ legis
540. ritualis, vel v. 16. 17. ſuggerunt. Eſt etiam illa Eſſænorum v. 18. 19. perſpicua imago. Barbaris Scythas, qui tamen &
571. ipſi Barbari erant, oppoſitos legas C. III, 11. nec difficulter cauſſam huiusmodi diſcriminis indagaveris. Nam Barbarorum alii bene conſtituta republica, moribusque & literis egregiis florebant; apud alios univerſa hæc deſiderabantur. Alteri claſſi Perſæ, Chaldæi, Ægyptii adſcripti erant; alteri Scythæ. Hos ergo merito dixeris *βαρβαρωτάτους*, quæ vox eſt *Xenophontis* de Exped. Cyri, L. V. vel *τριβαρβάρους*, ut habet *Plutarchus* de liber. educ. Cap. XX. Ex ea gente cum Anacharſis, philoſophus clariſſimus, originem duceret, non rara ideo ſcommata in eum iaculata a Græcis ſunt, narrante *Laertio*

Laertio L. I. C. 104. quo loco *Menagius* ex *Galeni* Protreptico C. 3. refert, fuiſſe qui illum hoc convitio peteret: *Βάρβαρος εἶ, καὶ Σκύθης*; hoc eſt, ex populo barbarorum maxime barbaro. Vox *ἀθυμεῖν* v. 21. eſt: ob infauſtam conditionem rerum noſtrarum omnem animum abiicere. Itaque *ἐρεθίζειν*, & Eph. VI, 4. *παροργίζειν*, erit: ea continuo malevolentiæ atque iræ ſigna in aliquem edere, ut is tandem a deſperatione parum abſit. Id ne committant, Patres familias monet Apoſtolus: matres enim a lenitate potius nimia avocandæ ſunt. Videamus denique quæ ſit Ven. Heumanni ſuper *τῇ ἐκ Λαοδικείας ἐπιστολῇ* Cap. IV, 16. ſententia. Vulgaris quidem in eo poſita eſt, fuiſſe has coetus Laodiceni ad Apoſtolum literas, argumenti perquam pii, atque ab eo ad Coloſſenum miſſas. Sed fuerunt etiam qui Pauli potius ad Laodicenſes epiſtolam ex verbis illis derivandam viderunt, eamque noſtram attigiſſe ætatem ſibi perſuaſere. Primus illam ex libro ſcripto publicavit *Sixt. Senenſis* Bibl. S. Lib. II. p. 113. & *Calixtus* in Expoſitione literali huius Epiſtolæ. Horum uterque Latinam, ſed Græcam *Witſius* in Melet. Leid. p. 240. ſqq. *I. A. Fabricius* in Cod. Apocr. N. Teſt. p. 873. ſq. omnium vero optime, adiunctis quidem in margine Epiſtolarum Paulinarum locis, ex quibus ea conſuta eſt, *Gerhardus* dedit in Præf. Annotationum in Ep. ad Col. Dubitatum autem iam Hieronymi ætate, (cuius inſpiciatur Catalogus Scriptorum Eccleſ.) a nemine eſt, eſſe iſtud figmentum hominis, Paulinæ orationis genere abutentis. Epiſtolam potius ad Chriſtianos Laodicenſes ſcriptam, hic deſignari certum eſt. Verum illa interiit, communi cum aliis Apoſtolorum ſcriptis, v. c. literis 1 Cor. V, 9. commemoratis, fato. Hæc explicatio olim Gregorio M. Photio, Oecumenio, & Thomæ Aquinati, eadem poſt reſtauratas literas & ſacra, Caietano, Bullingero, Camerario, Grotio, &, qui primus erat producendus, Luthero placuit.

[Margin: Pag. 588. — 608. ſqq.]

Habes, Lector, quod ſatis eſt, ad cognoſcendum Partis huius pretium, intelligendaque Doctiſſ. Auctoris de interpretandis Epiſtolis nonnullis præcepta. Quod ſuperaddamus nihil

hil eſt: relatum enim eſt de eo Viro, cuius meritæ laudes omnium in ore & conſcientia verſantur.

NOTICE DE LA LORRAINE.

h. e.

NOTITIA LOTHARINGIÆ, QUÆ DUCAtus, Barri & Luxenburgenſem, Electoratum Trevirenſem, tres Epiſcopatus, Metenſem, Tullenſem, & Virodunenſem, præcipuasque urbes ac loca celebria, ad ordinem alphabeticum diſpoſita, complectitur, opera & ſtudio AUG. CALMETI, Abbatis Senonenſis.

TOMUS I.

Nanceii 1756. apud Ludovicum Beaurain, Alph. 5. pl. 4. cum tabb. æn. 7. fol.

Ex quo tempore, hiſtoriam Lotharingiæ generalem, Reverendus huius libri Auctor ad finem perduxit, quamplurima adhuc ad hiſtoriam, geographiam, antiquitates, ac hodiernum ſtatum iſtius regionis pertinentia, ſupereſſe intellexit, quibus, in vaſto eiusmodi opere, locus concedi haud facile poterat. Defectum igitur hunc ſuppleturus, utque omnia, circa Lotharingiam notatu digniora, cum lectoribus communicaret, ac ſtadium quod ingreſſus eſt plene emetiretur, præſens opus conficere, omnesque urbes, caſtra, pagos, monaſteria, in iſtis terris obvia, ordine alphabetico diſponere, deque ſingulis ſeparatim diſſerere, conſtituit. Hodierna utique Lotharingia, multo arctioribus quam olim finibus cohibetur, quando Regibus Auſtraſiæ adhuc parebat; neque adeo Ducatus Luxenburgicus, ac terræ electoratus Trevirenſis, ad illam hodie pertinent, de illis ipſis tamen terris, multo licet brevius, & ὡς ἐν παρόδῳ, Auctor diſputat, locis hodiernam conſtituentibus Lotharingiam multo plus ſtudii & operæ impendens. Galliæ Belgicæ partem abſolviſſe antiquitus Lotharingiam, & *Belgicam primam*, cuius metropolis erant *Treviri*, dictam fuiſſe, Rev. Auctor in præfatione operi

operi præmiſſa obſervat. Sub primis Francorum Regibus, *Auſtraſiae* ſeu *Franciae Orientalis* nomine eminuit. Rex *Lotharius* circa annum 858. nomen regioni dedit. Quo a. 869. absque liberis mortuo, *Carolus Calvus* & *Ludovicus Germanicus* invicem partiti ſunt Lotharingiam. Carolo Calvo a. 877. exſtincto, ad *Ludovicum Balbum* eius terræ devolutæ ſunt; quo brevi poſt itidem mortuo, Ludovicus Germanicus omni regione potitus eſt. Succeſſit ei *Carolus Craſſus* a. 881. eoque a. 887. derelicto, *Arnulphus* Rex Lotharingiæ conſtitutus, *Zwendiboldo* notho eas terras ceſſit, qui ad a. 900. usque illis præfuit, & *Ludovicum* fratrem poſtea ſucceſſorem habuit. Imperator denique *Otto III. Carolum I.* Lotharingiæ Ducem conſtituit. Ad Tomum primum vaſti operis, quo hiſtoriam Lotharingicam iuſto ordine pertexuit Rev. Auctor, hic lectores ſuos ablegat, ubi omnem ſe Regum & Ducum Lotharingiæ ſeriem, usque ad *Gerhardum Alſaticum*, qui primus Dux Lotharingiæ hereditarius ab Imperatore *Henrico III.* dictus ſit, oſtendiſſe declarat. Sufficere hæc a nobis allata poſſunt, ut intelligatur, haſce lucubrationes, ſpicilegii & ſupplementi inſtar, maioris operis, quod Auctor compoſuit, eſſe. Quamvis autem de omnibus per Lotharingiam locis diſputare, ultra vires poſitum, immo ne utile quidem futurum, recte exiſtimaret: ſingulas tamen urbes, pagos, monaſteria, capitula, de quibus aliquid notatu dignum dici poſſe intelligeret, ſtudioſiſſime in ſcenam produxit, monumenta non ſolum recentiora, ſi quæ ibi exſtent, ſedulo deſcripſit, verum antiquitates potiſſimum, & Romanas & Gallicas, quibus iniuria temporis pepercit, protulit, earumque icones aeri inciſas ad calcem operis addidit. Fontes, ex quibus plurimum in conficiendis hiſce indicibus hauſit, candide aperit; & ne quid deeſſet, catalogum omnium omnino locorum in Lotharingia & Ducatu Barrenſi, inque tribus epiſcopatibus, Metenſi, Tullenſi, & Verdunenſi, ſitorum, confecit. Progreditur prior hic operis Tomus usque ad litteram M. quem ut alter mox inſequatur, omnes harum rerum ſtudioſi, deque Calmeti inſignibus plane in hanc eruditionis partem meritis perſuaſi, nobiscum optabunt.

Digitized by Google

THESAURUS RERUM SUEVICARUM, SEU Diſſertationum ſelectarum VOLUMEN II. de Suevia ſub Ducibus, cum ſupplementis ad bibliothecam ſcriptorum rerum Suevicarum, cura & ſtudio IO. REINHARDI WEGELINI, Coſ. & Syndici primarii in lib. S. R. I. civitate Lindav.

Lindaviæ 1757. 3 Alph. 20½ plagg. in duern.

Comparent primo loco ſupplementa ad bibliothecam ſcriptorum rerum Suevicarum. Talia, poſt ea, quæ ad ſectionem primam & ſecundam exhibentur, ſunt, quæ ad ſectionem tertiam ſiſtuntur de Suevia ſub Ducibus; ad ſectionem quartam, de confoederationibus Suevicis; de bellis Suevicis ad ſectionem dein & ſextam: poſthæc de rebus Würtembergicis; de rebus Badenſibus; de rebus Auguſtanis; de rebus Ulmenſibus; de rebus Memmingenſibus; de rebus Lindavienſibus; de rebus civitatis Conſtantienſis; & tum ad ſectionem VII. de nobilitate Suevica; ad ſectionem VIII. vero de Suevia literaria.

Diſſertationes ipſæ rurſus ſummo iudicio ſelectæ ſunt, eſtque elenchus earum ſequens:

I. De initiis Sueviæ cultioris *Io. Petri Milleri*, ex MSto.

II. De Palatiis, Villis, ac Curtibus regiis in Suevia, ex Chronico Gotwicenſi.

III. De Pagis antiquis Sueviæ, ex eodem Chronico.

IV. De Ducatu Sueviæ cum Ducatu Alſatiæ unito, ex *Ulrici Obrechti* rerum Alſaticarum Prodromo.

V. Genealogia priſcorum Sueviæ Ducum ex Seculo X. & XI. *Ioach. Frid. Felleri.*

VI. De Familia Auguſta Franconica, *Io. David. Koeleri.*

VII. De Hadwige, Suevorum Duce, Vicaria Imperii, *Io. Gottlob Boehmii.*

VIII. *Nachricht von* Hermanno Contracto, ex Gundlingianis.

IX. De fide & Authoritate Monachi Weingartenſis in Generis Welfici dignitate, *Io. Dav. Koeleri.*

X. Frag-

Digitized by Google

X. Fragmenta de Welponibus Ducibus, ex Reliquiis Diplomatum Dni *de Ludewig.*

XI. De nomine & quibusdam ramis incognitis Auguſtæ gentis Guelficæ, Perill. L. B. *de Senckenberg.*

XII. Nonnulla de Welphorum & Hohenſtauffiorum neceſſitudine, ex Gundlingianis.

XIII. Iudithæ Welfficæ, Auguſtæ Francicæ, Elogium, *Georg. Chriſtiani Gebaueri.*

XIV. De Rudolpho Suevo Anti-Cæſare, *Io. Sam. Strauſſi.*

XV. Genealogia familiæ Auguſtæ Stauffenſis, *Io. Dav. Koeleri.*

XVI. De primis Suevorum Cæſaribus, Conrado III. & Friderico I. qui civitatem Norimbergenſem ornarunt, *Erhardi Chriſtoph. Bezzelii*, Carmine Alcaico.

XVII. De rebus a Conrado III. Franciæ Orientalis rege geſtis, *Arnoldi Henrici de Treskow.*

XVIII. *Teutſches Staats-Recht zu den mittlern, und abſonderlich Kayſer Conrad des III. Zeiten, von Iacob Paul von Gundling.*

XIX. *Simon Friederich Hahn Teutſches Staats-Recht unter den Kayſern Conrad dem III. und Friederich dem I.*

XX. De Imperatore Romano Friderico Ahenobarbo, vel Barbaroſſa, oratio *Martini Cruſii.*

XXI. De Friderico Aenobarbo diſſertatio prior, *Eliae Weihenmaieri.*

XXII. De Friderico Aenobarbo diſſertatio poſterior eiusdem *Weihenmaieri.*

XXIII. De Friderici I. Aenobarbi expeditione in terram ſanctam, *Io. Chriſtoph. Artopoei.*

XXIV. Friderici I. iudicium de Henrico Leone, *Io. Georg. Schertzii.*

XXV. *Georgii Remi* diſſertatio, qua commentum eſſe putidum, calcaſſe collum Imperatoris Friderici I. Alexandrum III. Pontif. R. oſtenditur.

XXVI. Refutatio Baronii, negantis, Alexandrum III. pedibus calcaſſe collum Friderici I. *Iohannis Gerhardi*, ex Confeſſione eius Catholica.

XXVII.

Digitized by Google

XXVII. Defenſio Hiſtoricorum, faſtum Alexandri III. in Fridericum I. pedibus conculcatum negantium, *Chriſt. Adami Ruperti*, ex Obſervat. eius ad Beſoldi Synopſin minorem.

XXVIII. Diſſertatio *Frid. Georg. Lautenſack*, quod Fridericus I. ab Alexandro III. calcibus non fuerit protritus.

XXIX. Diſſertatio *Io. Burchardi Maii*, qua Fridericum ab Alexandro III. pede non eſſe conculcatum probatur.

XXX. *Chriſtoph. Aug. Heumanni* diſſertatio, fabulam de Frid. I. a P. R. pedibus conculcato refellens.

XXXI. De Henrici VI. ignominioſa coronatione, *Chriſtiani Gottlieb Schwarzii.*

XXXII. *Von unterſchiedlichen zur Hiſtorie* Philippi Suevi *gehörigen Büchern, Nic. Hieron. Gundlingii*, ex Otiis eius.

XXXIII. *Das Leben* Philippi Suevi, *von Iacob Paul Gundling.* Ex iisdem Otiis.

XXXIV. *Martini Cruſii* Oratio, de Auguſta Irena, vel Maria Græca, Philippi Suevi Uxore.

XXXV. *Iac. Paul de Gundling Geſchichte und Thaten Kayſer* Conrad IV.

XXXVI. *Allerhand Anmerckungen von dem letzten Hertzog von Schwaben*, Conradino. Ex Gundlingianis.

XXXVII. De Prævaricationibus Pontif. Rom. in Principes Imp. R. G. *Pauli Biberſteinii.*

XXXVIII. De Ducatu Sueviæ & Alemanniæ *Lud. Barthol. Hertenſteinii.*

XXXIX. Fata Ducatus Alemanniæ & Sueviæ, *Io. Dav. Koeleri.*

XL. Ius publicum, quod Interregni magni temporibus obtinuit, *Io. Guil. Hofmanni.*

DELLA FORMAZIONE DE' FULMINI, cet.

h. e.

DE ORIGINE FULMINUM TRACTATUS Dom. Marchionis SCIPIONIS MAFFEI, ex variis eius epiſtolis collectus, quarum aliquæ de inſectis, quæ ſe ipſa rege-

Digitized by Google

regenerant, de piſcibus marinis, qui in montibus reperiuntur, & uberius de vi Electrica agunt.

Veronæ 1747. 1 Alph. in 4.

Quæ illuſtr. Maffei de origine fulminum fuerit ſententia, a longo tempore ciſalpinis iam innotuit, ex quo collega noſter olim perinduſtrius, b. Richterus, edito 1725. de *veris locis natalibus fulminum* libro, eam explicavit atque confirmavit. Putabat ſcilicet ill. Marchio, fulmina non e nubibus vibrari, ſed vapores eſſe prope tellurem accenſos, flammamque, qua ſeries vaporum ſimiliter inflammabilium vergit ſuperiora verſus, propagantes. Ei ſententiæ illuſtrandæ maxima harum epiſtolarum pars deſtinatur. Tummermannius edidit quindecim numero, & ad varios eruditos datas. Prima Ant. Vallisnierio factum illud narrat, quod viſum Maffeio primam de hypotheſi ſua cogitandi occaſionem dedit. Vidit enim cum aliis, flammam prope terram accendi, ſuperiora verſus progredi, & cum fragore aliquo in altum diſſipari. Id accuratius Richterus libro citato exponit. Altera ad Apoſtolum Zenum, ſententiam hanc, auctoritate philoſophorum, qui illam amplexi ſunt, inter quos & e noſtratibus Trillerum & Richterum nominat, tuetur. Memorandum ex hac cenſemus, beatiſſ. Imperatorem Carolum VI. cum colloquiis de rebus eruditis cum Apoſtolo Zeno delectaretur, Maffei ſententiæ gravia monita oppoſuiſſe. Tertia ſtatum controverſiæ, quæ ſibi eſt cum adverſariis, auctor Ludovico Bianconio exponit. Scilicet, non id ſufficit Maffeio, *aliqua* fulmina prope terram accendi, ſed *nulla* coelitus decidere contendit. Prius enim iam veteres animadvertere. Etruſci, quorum, Seneca teſte, (N. Qu. L. 2. c. 32.) ſumma perſequendorum fulminum fuit ſcientia, *Atterranea* fulmina, quæ in incluſo fiunt; *inferna* cum e terra exſiſtunt ignes, teſte eodem Seneca, (N. Qu. L. 2. c. 49.) & Plinio (L. II. c. 52.) vocavere. Pythagorici, ut legere ſe in commentatore aliquo Ariſtotelis auctor meminit, e Tartaro fulmina venire dixerunt; quod prope terram accendi

fulmina viderent, ex ea venire iudicantes. Aſclepiodorus, Seneca teſte, (N. Q. L. 2. c. 30.) quorumdam corporum concurſu tonitrua & fulmina excuti poſſe, Ætnæ exemplo probavit. Zoroaſter, (*Recogn. l. 4. n. 28.*) fulminis ad coelum vehiculo ſublevatus dicitur; quod opus, licet falſo Clementi attribuitur, antiquum tamen eſt. Nihilominus vulgaris Græcorum opinio fuit, coelo excuti fulmina. Neque Latinis ignotum fuit, fulmina e terra exire, cuius rei teſtes Seneca N. Q. l. 2. c. 30. Plinius l. 2. c. 51. citantur: quod tamen, quin communis fulminum coeleſtium opinio apud Latinos fuerit, non impedivit. Vilelmus Bibaucius anno 1521. Gandavi ludum litterarium cum aperiret, & quodam die diſciplinæ ſemina in ſuorum auditorum animos iaceret, ſubito flamma *fulguris* inſtar in ſchola emicuit, quæ frequenter huc illucque ſe vibrans, per omnes auditorii angulos deſæviit, ac poſtremo ipſum percuſſura ita exterruit, ut votum conciperet, ſe, ſi incolumis evaderet, Cartuſianum fore. Quarta Epiſtola ad Reaumurium, incredibile pronuntiat, ſagittas fulmineas e nubibus vibrari. Neminem enim unquam decidere coelo fulmina vidiſſe, darique loca fulminibus præ aliis infeſtata, quibus unde hæc infelicitas contingat, explicari ſatis ex Maffei ſententia poteſt, ponendo congeſtam in illis vaporum fulminificorum materiam; cum in vulgari hypotheſi, quæcunque attractiones fingantur, res hæc declarari non poſſit. Loca denique fulmine tacta, veſtigia ignis non recta, quæ eſſent vibrati & decidentis fulminis, ſed flexuoſa, quaſi flammæ quaquaverſum ſerpentis, monſtrare; ubi in terram penetrarit fulmen, nullum ullibi foramen reperiri, nec plerumque, niſi in unius alteriusve pedis a terra diſtantia, veſtigia fulminis cerni. Ubique in locis fulmine tactis ſulfureum odorem ſentiri, qui ab exigua illa materiæ deciduæ copia oriri nequeat, & quæ reliqua ſunt. Quinta epiſtola, Marchioni Polenio inconvenientia, quæ reliquis ſententiis accidunt, exponit, ſingulorumque, qui de fulminis natura loquuti ſunt, placitis, quæ obſtent, memorat. Contra, ex ſua ſententia commodiſſime, quæ in fulminibus obſervata ſunt, explicari. Sexta epiſtola, Abbati Conti idem oſtendit. Septima,

ad

Digitized by Google

ad Mazzuchellium Comitem, obiectiones reſolvit, quarum aliquas Tomus IV. biblioth. Italicæ gallico idiomate publicatas propoſuerat. Earum maxima eſt, unde fulmina in mari oriantur. Notat vero, primo idem quæri poſſe in vulgari hypotheſi; deinde ab aliquibus, qui ſat longinqua itinera maritima confecerint, certiorem ſe fuiſſe factum, libero in oceano, magnaque a continente diſtantia, fulmina non exſiſtere. Quibus cum alii contradicant, poſſe eos, ait, alia vibrata e nubibus lumina, (neque enim meteora lucentia negat,) pro fulminibus accepiſſe; item fulminibus generandis ſal amplam in ipſa navi præbere materiam, pulveris pyrii receptaculum. Denique fundum maris terram eſſe, unde adſcendere vapores fulminaturi poſſint. Octava epiſtola, Marinonio, qui fructus ex cognita vera fulminum origine haberi poſſint, oſtendit. Huc potiſſimum ſpectat cautio, ne fulmina generentur. Quæ cum in locis, in quibus pulvis pyrius adſervatur, ex theoria auctoris produci facillime poſſint, non nimis magnam quantitatem in eodem loco reponendam, ſæpius aerem admittendum, vaſibusque, quibus pulvis continetur, exacte claudendis, evaporationem quoad fieri poteſt impediendam, docet, accenſas vero candelas inferri omnino prohibet. Nona epiſtola ad Io. Bianchinium, quantumcunque de fulminibus alias erraverint antiqui, in eo tamen, quod ad præſens negotium ſpectat, plura vidiſſe recentioribus exiſtimat. Varias autem antiquorum de fulminibus perſuaſiones, copioſe atque erudite recenſet, quarum eæ maxime conſiderari merentur, quæ religionem propius attinent. Inter eas eminet *condendi fulmina* conſuetudo, qua de teſtatur lapis

F V L G V R
C O N D I T V M
D I V O M

De ea inſcriptione, a Grutero recenſita, multum dubitavit auctor, donec Seguierio monſtrante, Nemauſi (*Nismes*) lapidem vidit, verumque cognovit. Ad aliam æque legitimam, necdum publicatam, ab eodem ductus eſt, quæ ſic habet:

FVLGVR
DIVOM

Similes in Italia, ſed recentiores, vidit. Id facere pontificum erat. *Atque aliquis ſenior qui publica fulgura condit*, Iuv. Sat. 6. v. 587. Ne tamen quis hic decipiatur, non credendum, fulmineos, quos recentior finxit ætas, lapides, Romanos condidiſſe. Non eum errorem erraverunt: quæ condiderint, Lucanus exponit L. II. v. 604.

— Aruns diſperſos fulminis ignes
Colligit, & terra moeſto cum murmure condit.

Res fulmine tactas colligebant, quod Valerio Flacco L. I. v. 14. eſt colligere *diſperſos trifidis ardoribus ignes*. Loca, ubi hæc repoſuiſſent, ſacra erant, & ne violarentur, lapis cum inſcriptione indicabat.

Datque locis nomen — — Luc. l. c.

Hinc Artemidorus, ignobilia loca fulmine tacta illuſtria fieri, adſerit. Inſcriptio ap. Grut. p. 121. docet, ſolemnia ſacrificia peracta fuiſſe, *quod ab ictu fulminis arbores luci ſacri Deae Diae attactae arduerint.* Hominem ita exanimatum cremari par non erat; terræ tradi religio iubebat (Plin. l. 2. c. 54.).

Quanticumque ſint hi errores, non adeo multum tamen a vero abfuiſſe veteres in quæſtione de origine fulminum, auctor ex *atterraneis infernisque* fulminibus probat. Senecæ ex ſententia, *nihil prohibet, ignem ex humido educi, imo ex ipſo quod magis mireris humore.* Is igitur fulminibus e mari genitis non multum contradicturus erat. In caveis fulmen non oriri, Seneca & Plinius ſciebant, etſi falſa ratione, quod coeleſtis ignis eo non penetraret, adducti. Fulminum flexuoſam viam antiqui obſervavere, unde *triſulcorum* epitheton addiderunt.

Decima epiſtola, Hippolytum Bevilacquam, Monachum Olivetanum, infauſtum, qui Ceſænis accidit, illuſtris matronæ caſum, quam, cum ſana lectum iniiſſet, mane totam fere in cineres redactam reperierunt, fulmini adſcribi debere docet. Undecima, non opponi poſſe ſacrarum litterarum teſtimonium ſententiæ ſuæ, Ioanni Chryſoſtomo Trombellio, Abbati S. Sal-

Digitized by Google

S. Salvatoris, perſuadere conatur. In excidio enim Sodomæ & Gomorræ, vel Scripturam vocibus ad communem ſententiam accommodatis rem enarrare, vel extraordinarii aliquid accidiſſe. Deinde, cum Satanas fulguris ad modum coelo decidiſſe dicitur, poſſe voces ברק & ἀστραπὴ non minus ſtellam cadentem, aut aliud lucens meteorum, quam fulgur denotare. Duodecima epiſtola, ad Com. Ioſephum Zinanni, ſuam de fulmine ſententiam cum iis, quæ de polypis detexere phyſici, comparat; neque magis mirabile contendit, fulmina in altum elevari, quam inſecta in partes ſciſſa integra fieri. Coniicit autem, uti ficus tota ex ſeminibus conſtet, ita ut quodlibet ſegmentum terræ commiſſum novam arborem producat, poſſe cuivis polypi ſegmento ſemen virtutemque propagatricem ineſſe. Tertia & decima epiſtola, Condaminio, Lazari Mori, quomodo petrefacta marina in montes delata ſint, hypotheſin enarrat, & quibusdam a ſe obſervatis confirmat. Divitias Veronenſis tractus in hoc opum philoſophicarum genere prædicat. Ipſe piſces integros, ingenti copia, in aliquo tractu coacervatos reperit, qui Islebienſibus ſimiles ſunt. Decima quarta epiſtola, Richardo Mead experimenta electrica enarrat. Nihil habent illa, iam ubi ad nauſeam usque in his rebus luſum eſt, quod novitate ſe commendet. Ultima epiſtola, de origine phænomenorum electricorum coniecturas, Marco Foſcarini, Equiti Veneto & Procuratori S. Marci, exponit. Rem omnem effluviis ex vitro, frictu excitato, prodeuntibus adſcribit, quæ eius naturæ ſint, ut facillime corporibus adhæreant, hincque, ſi v. g. catenæ ope continuam ſeriem efficiendi offeratur occaſio, eam ſtatim amplectantur. Cum exſiliunt e vitro aerem comprimunt, qui elatere ſuo ſe reſtituens corpora levia vitro appellit. Hæc ad concipiendam animo theoriæ Marchionis electricæ ideam ſufficere exiſtimamus.

IOH. GEORGII SCHIEDE V. D. M. ET CONS. SACR. Hanov. Aſſeſſ. Obſervationum Sacrarum Biga, altera de Codice Bibliorum Ebraico MSto biblioth. Caſſellanæ;

næ; altera de velo tabernaculi interiori, eiusque myſterio. Præfationem præmiſit NICOLAUS NONNEN.

Bremæ 1748. typis Herm. Iægeri & I. G. Mulleri, Alph. 1. pl. 2. in 8.

Maxima quidem cura, ſummi, rerumque peritiſſimi Critici, Græcorum Latinorumque ſcriptorum foverunt, perluſtrarunt, & diiudicarunt monumenta, ſingularemque in exploranda ætate codicum manu exaratorum, ſecundum regulas artis, a *Mabillonio* & *Montefalconio*, viris celeberrimis, ſuppeditatas, collocarunt operam. Sed ea fere diligentia, in exquirenda ætate deſcriptorum codicum Ebræorum occupata doctorum hominum, deſideratur, quæ ad ſtabiliendas artis regulas ſufficiat, ſecundum quas ſingulorum codicum ætas ſecure definiri queat. Eſt hoc veriſſime dictum a cl. *Nonnen*, in præfatione, eleganti huic libello præmiſſa. Nec eſt, ut ſperare poſſimus, perfectam criticam codicum hebraicorum manu deſcriptorum artem cum orbe literato communicatam iri, ut recte potius dubitetur, an vel poſteritati tantæ molis opus reſervatum ſit. Magnas tamen initurum eſſe gratias cl. Auctorem, apud ſingulos literariæ rei Hebraicæ faventes, ex ſui ingenii doctrina & aſſidua diligentia huc in communem uſum aliquid adferentem, certiſſime ſperamus. Dividit commentationem ſuam priorem in *tria capita*, quorum *prius* de utilitate literas tractandi ſanctiores, & inſtituti ratione, prolixius agit. Aſſervatur codex ille pretioſiſſimus hebraicus, quem deſcribendum ſibi ſumſit Noſter, in locupletiſſima nuper Auguſtiſſimi Regis Sueciæ, & Haſſiæ Landgrafii, Bibliotheca Haſſo-Caſſelana, inſtructiſſima ſcilicet, iudice *Struvio*, & aliis quamplurimis codicibus varii generis manu exaratis referta. Nec quisquam fuit, qui mentionem huius iniiceret codicis, licet *Richardus Simonius*, *Iac. le Long*, & *Ioh. Chriſt. Wolfius*, præclaram in recenſendis bibliorum codicibus manu pictis operam impenderint. Quæ res facit omnino, ut maioris æſtimetur Auctoris labor. *Caput ſecun-*

Digitized by Google

ſecundum, in *Sectione prima* rem adgreditur ipſam, & de *forma* huius codicis in univerſum iudicat, & quid de ætate ipſius ſit ſtatuendum, monet. Externam faciem quod attinet, eſt membranaceus, unoque, ſed magnæ molis volumine, comprehenſus. Foliorum longitudo XX. latitudo autem XIV. pollices exæquat. Interiora ſi ſcire velis, monet Auctor, eum ſolum textum Hebraicum, elegantiſſime, ſimul cum punctis vocalibus atque accentibus, deſcriptum, itemque *Maſoram* utramque *magnam* & *parvam* exhibere. Deſunt tamen Prophetæ *priores* & *poſteriores*, uti vulgo a Iudæis appellantur. Ipſi autem libri eo ordine ſe invicem ſequuntur, ut *Pentateuchum* immediate excipiat liber *Ruth;* dein conſpiciuntur *Pſalmi, Iobus*, *Proverbia*, *Coheleth*, *Canticum Canticorum*, *Threni*, *Daniel*, *Eſther*, *Ezras*, *Nehemias*, & tandem *Chronicorum* libri. Dignum hic memoratu eſt, de nullo adhuc conſtare codice MSto, in quo eo ordine libri ſacri diſpoſiti appareant: quod unicuique ex *bibl. Hebr.* celeb. & in hoc ſtudiorum genere exercitatiſſimi *Wolfii P. II. p. 294.* facile ad oculos patebit. Sequuntur tamen libri omnes eum ordinem, quo *Talmudiſtae* eosdem recenſent in *Bava Bathra fol. 14. col. 2.* Præterea tamen, quod multi hic deſint libri, multa etiam alia dura fata ille eſt expertus codex, quod non ſolum ab initio ſtatim, ſed paſſim in media parte etiam, atque ſub finem, ita vel corroſus vel tamen maculatus eſt, ut in multis paginis integris, nec textus, multo minus puncta vocalia aut accentus, neque etiam *Maſora*, cerni, vel ab oculatiſſimo legi poſſit. Quin etiam hinc & illinc, vel incuria, vel malevolentia hominum, ita eſt laceratus, ut plurimæ lacunæ & maximi hiatus cernantur. Literæ tamen eleganter ſunt deſcriptæ, & ex Iudæorum præcepto ad amuſſim ſive regulam, qua membrana prius lineata fuit. Unaquæque pagina, paucis exceptis, in tres ubique columnas æqualiter diviſa eſt, quod elegantiæ videtur eſſe ſpecimen. Sed in deſcriptione ipſa, non tantum multæ voces, ſed quandoque etiam integræ ſententiæ & periodi, omiſſæ ſunt: quos tamen defectus a recentiore homine emendatos, & in margine ſuppletos, legere licet. Maximum,

quod

quod obſervavit Auctor, vitium occurrit *Lev. XXVII.* ubi poſt verba v. 16. יקריש ליהוה ſtatim ſequuntur verba 23. usque ad finem libri. Librorum nullus eſt titulus, interim tamen cum nova linea ſemper incipiunt; quandoque etiam literæ vel voces initiales quibusdam figuris exornatæ ſunt, ut attentus lector facile uniuscuiusque libri initium invenire queat. *Ezras* autem & *Nehemias* una, quod plerumque fit, ſerie cohærent, & revera pro uno ſecundum argumenti continuationem ſunt habendi. Eadem eſt coniunctio librorum *Chronicorum*, qui in hoc volumine una ſerie deſcribuntur. Nulla capitum diſtinctio obſervatur. In *Pentateucho* tamen ſectiones maximæ accurate diſtinctæ ſunt, neque tamen ut in codicibus impreſſis, ſed ad marginem. Variæ adhæc figuræ egregium ſplendorem conciliant. quod videtur plerumque deſcriptoribus illis maiori curæ, quam accuratio lectionis, fuiſſe. Minores Sectiones, licet ſpatio quandoque ſunt notatæ, nullo tamen ſigno diſcernuntur; in maioribus ſectionibus, ubi ſectio eſt aperta, in margine habetur פ, ubi autem eſt clauſa, in media nimirum linea incipiens, accurate ס in margine ponitur. *Paraſchis* fere ubique adſcriptæ ſunt *Haphtarae*, ſive lectiones Propheticæ, quæ Sectionibus legalibus reſpondent, a manu tamen recentiore, ut videtur, adpoſitæ. Obſervavit etiam cl. Auctor, Iudæum quendam, in cuius manu antea hic Codex fuerat, ab initio *Geneſeos* aliam quoque diſtinctionem addidiſſe in margine, per literas hebraicas indicatam. Sic א poſuit ad *v. 14. Cap. I. 2.* ב ad *Cap. II. 20.* ג, *II. 4.* ה, *III. 22.* ו non obſervatur; ז autem eſt ad *Cap. V. 25.* In ſequentibus tales diſtinctionum notæ non amplius conſpiciuntur. Tale quid etiam in Pſalmis deprehenditur, ſecundum ſingularem plane ordinem computatis, ubi *primus* loco prooemii habetur, qua de re ab aliis etiam doctiſſimis viris multa ſunt perſcripta, & Pſalmi tantum CXLVIII. numerantur, coniuncto inſuper Pſalmo quadrageſimo tertio, uti apud nos audit, cum antecedenti. Quibusdam etiam Pſalmis, præſertim poſt CXII. ſubſcripta eſt litera פ, quæ etiam litera ad finem quorundam Capitum *Iobi* ſcripta apparet, neque tamen A. definire audet, cur

Digitized by Google

cur illa potiſſimum adſit. In reliquis, nullum *Capitum* adeſt veſtigium. Verſus autem ſatis accurate diſtinguuntur, præter accentum *Silluck*, etiam per *Soph Paſuck*, ut Iudæi loquuntur. Quo loco prætereundum non eſt, penultimum verſum libri *Coheleth* & *Threnorum*, uti in noſtris codicibus, addito ſigno ית״קק conſueto, poſt ultimum verſum, punctatum quidem, repeti. In ætatem codicis inquiſiturus Noſter, ante omnia monet, ſcribam codicis a Maſoræ ſcriptore eſſe diſcernendum, quod non ſolum figura & ductus literarum, ſed correctio ſcriptoris etiam Maſorethici, inſigniter demonſtrat. Apparet hoc ex multis exemplis, hic prolatis, v. g. *Geneſ. VI. 2.* incuria ſcribæ ישראל in textum intulerat, quod Maſora adiecta corrigit. *Geneſ. VII, 23.* ועד ſcriptum erat, ubi punctator ו inpunctatum, vitioſum ſcilicet, reliquit. Adduntur his etiam alia argumenta a conſonantibus repetita, quæ clare confirmant, diverſum fuiſſe punctatorem a ſcriba textuali, & Maſorethico auctore, ut tres minimum diverſi viri in exarando iſto Codice occupati fuiſſe videantur. De Auctore punctorum & Maſoræ nihil plane habet Noſter, quod vel coniectura leviſſima adſequi poſſit. De ſcriba autem textuali docet, cum nomen ſuum ad calcem *Danielis* profeſſum eſſe, ubi tamen, proh dolor, folii pars lacerata integram ſubſcriptionem fallit. Leguntur tamen verba plene deſcripta ברוך יצחק בר רבי, reliqua ita ſunt reſciſſa, ut apices modo literarum appareant. Aliam, poſt diuturnam explorationem codicis, detexit Auctor ſubſcriptionem, ad finem *Levitici*, mirabili certe & intricatæ figuræ innexam, una cum computatione verſuum & Paraſcharum illius libri. Ex qua, cum illa, ad finem *Danielis* collata, liquido apparet, eundem eſſe ſcriptorem *Legis* & *Hagiographorum*. Ubi quidem deprehendimus, ſuperiora vocabula Hebraica vitio typographico eſſe infecta, ita ponenda יצחק בר רבי ברוך, quod non ſolum ex ſecunda adiecta ſubſcriptione, ſed etiam ex Auctoris profeſſione de *Iſaaco*, filio *Rabbi Baruch*, aperte confirmatur. Quis vero homo iſte fuerit, in Bibliothecis Rabbinicis fruſtra quæſivit A. in quibus neminem, niſi *Iſaacum Cordubenſem* invenit,

Digitized by Google

venit, a *Buxtorfio* & *Wolfio* commemoratum, & circa *A. C. 1094.* mortuum. Verene iſte ſcriba huius codicis fuerit, de eo iam argumenta celeb. *Chr. Bened. Michaelis* publice excuſſerat, qui quidem per epiſtolam, publice perſcriptam, multas contra hanc ſententiam nectit difficultates, quibus in præſenti docte reſpondetur libello. Ultimo loco vindicat Auctor coniecturam ſuam de codice *Iuniano*, quem eundem forte eſſe codicem ante aſſeruerat. Nec negandum eſt, tantam huic rei conciliari auctoritatem, ut veri omnino ſimilis videatur ſententia Auctoris, inprimis, ſi cum *Iunianis* lectionibus conferatur codex, cuius rei aliquot hic præclara excitantur exempla. Ut autem aſſerti ſui maiorem rationem afferat, atque *Iſaaci Cordubenſis* ætatem codici regio recte vindicet, ex induſtria oſtendit, omnes illos veros & antiquiſſimos vetuſtatis characteres, quales hic illicve a viris celeberrimis fuerunt propoſiti, huic Codici competere. Denique ex alia noviter allata re circumſtante colligitur, codicem ex Palatinatu Caſſellas fuiſſe translatum, & eadem habuiſſe fata, quæ etiam aliis codicibus in fatali illa Heidelbergenſi direptione acciderunt; in primis cum ea huius libri conditio appareat, ut, a milite direptum, & per coenum platearum poſt ſe tractum eſſe eum, vere affirmari poſſit. Ulterius pergens Noſter in hiſtoria codicis deſcribendi regii, non intactam relinquit cel. *Wolfii* de Codice illo *Iuniano* coniecturam, quæ quidem quam parum felix ſit, abunde & ſolide ab Auctore docetur, ſiquidem codex ille *Iunianus*, quem *Romanum Wolfius* putaverat, tanquam mutilus deſcribitur, non vero ille Romanus. In deſcriptione codicis Palatini non niſi unius Voluminis mentio iniicitur; Romanus autem duo Volumina habere dicitur: Codex Palatinus dicitur antiquiſſimus, & non niſi primam antiquitatem ſapiens; Romanus autem non adeo antiquus eſt. Ille etiam maieſtate literarum, & vetuſtate ſcripturæ, ac forma operis plane venerabilis deſcribitur, adeo ut etiam in oriente ſcriptus, vel ſaltem a Iudæo orientali, cenſeatur; Romanus autem charactere Germanico, adeoque recentiori, ſcriptus apparet. Denique, in Romano codice etiam præter *Maſoram* dicitur

Digitized by Google

citur adeſſe *Targum* in Pentateuchum; in deſcriptione autem Palatini non niſi *Maſorae*, non vero τȣ̃ *Targum*, mentio fit. Ex his elicit Noſter, plane non eſſe codicem illum Romanum, quo *Iunius* olim & *Tremellius* in adornanda verſione latina uſi fuerint; ſed ea, quæ de codice Palatino prædicantur, Caſſellano potius ſuo competere. Hinc ad ſpecialiora deſcendit Auctor in *Sectione ſecunda*, & de literarum ornatu & modo perhibet, literas finales & reliquas longiuſculas literas baſi plerumque lineæ incumbere, ut ז a ן & ך a ד vix diſcerni queat. Deprehenduntur etiam præter dilatabiles ordinarias literæ *Beth*, *Daleth*, *Caph*, in extenſione & dilatatione pictæ. Frequentior præterea uſus literarum אוי hic cernitur, inde forte enatus, quia Codex primitus ſine punctis eſt deſcriptus. Ex quo fit, ut innumeris in locis ille ab noſtris, typis expreſſis, codicibus differat. Maior apparet differentia ratione punctorum, in quibus præter reliqua, hic omittenda, ne longiores ſimus, quam par videatur, *Kametz chatuph*, ut eo melius a *Kametz* diſtinguatur, duo puncta addita habet; ſæpe confuſio inter puncta fit, & *Sagol* cum *Zere*, *Kibbutz* cum *Schureck*, itemque *Cholem* & *Kametz chatuph* inter ſe, permutantur. Ratione *ſoni* notatur, multas hic occurrere voces acutas, quæ in impreſſis codicibus leguntur penacutæ, & vice verſa. Duplex accentuatio Decalogi, tum *Exod. XX*, tum *Deut. V.* non in ſingulis vocibus, quod in noſtris fit codicibus, habetur, ſed in quibusdam modo vocabulis. Circa *notas diacriticas*, ut dicuntur, variæ adduntur obſervationes notatu non indignæ, & philologiam hebræam in primis iuvantes. Lineola *Makkeph* frequentius hic occurrit, quam in Codicibus impreſſis: *metheg* vero nullibi, omni etiam diligentiſſima excuſſione adhibita, invenire Auctori datum fuit. Figura accentuum non ubivis una eademque apparet: ſitus tamen eorum, qui conſimili gaudent figura, accurate pro rerum diſcrimine obſervatur. Denique de variatione & conſecutione accentuum, diverſa ab impreſſis noſtris libris, exempla ab Auctore proferuntur nonnulla, ſenſum non incommodum e rebus efferentia. Modus ſcribendi literas & verſus, in

Digitized by Google

libris metricis, idem fere eſt, qui de *Erfurtenſibus* codicibus refertur, ut una linea, ſeu verſus, ſit longior, altera vero brevior, ea ratione, qua carmina Elegiaca Latinorum deſcribuntur. Quod quidem non in *Pſalmis* modo & *Proverbiis*, ſed etiam in *Iobo* fieri deprehenditur. Ex allatis dictis videre eſt, quousque codex ille cum Erfurtenſibus, quos cel. *I. H. Michaelis* ſibi delineandos ſumſit, vel differat, vel congruat. Quo autem clarius huius libri indoles & pretium cognoſcatur, omnem apparatum Critices ſacræ circa textum Hebraicum V. F. Auctor movet, quo facilius inter omnes conſtet, quousque annotationes, Maſorethis vulgo addictæ, in codice ſuo fundentur & uſitatæ ſint, nec ne. A variis incipit lectionibus, quæ *Keri* & *Ketibh* vulgo audiunt, de quibus multa & prolixiora afferuntur rerum atque verborum teſtimonia, quam quæ noſtris limitibus contineri poſſint. Peculiaris hic annectitur obſervatio de illis locis, ubi in Textu ſcribitur לא, in margine autem legitur לו, addita critica annotatione in *Iob. VI, 21.* Et hæc utique criſis magni eſt æſtimanda, quo maior differentia inter propoſitionem aientem & negantem deprehenditur. De Maſora hic occurrente notatur, abeſſe initialem illam, quæ in principio libri poni ſolet, quod argumentum antiquitatis putatur: finalem vero in *Pentateucho* ſingulis quinque libris ad calcem eſſe affixam. Examen dehinc inſtituitur de notis Maſorethicis circa voces plene aut defective ſcriptas, circa literas maiuſculas, minuſculas, inverſas, ſuſpenſas, & punctatas, & denique circa puncta vocalia & accentus, in quibus omnibus multiplex conſpicitur differentia inter hunc & impreſſos codices, operoſam recenſionem noſtram non ſuſtinens, ne optima enarranda ob chartæ exiguitatem omittere cogamur. Sanum tamen Auctoris de minutiis iſtis pleriſque eſſe iudicium, non diffitemur; quod vel abunde ex ſententia ipſius de *Nun* inverſo, in codice ſuo ad *Geneſ. XI, 32.* & alibi, erecto, unicuique rerum ſtudioſo lectori apparebit. Has Maſorethicas excuſſiones aliæ conſuetæ Maſoretharum excipiunt obſervationes, quas non immerito quis conjecturas Maſorethicas vocare poſſit. Verſantur

enim

Digitized by Google

enim potiſſimum circa illa teſtimonia ſanctiora, quæ dubia aut obſcura videri poterant, & hinc a Maſorethis pro more ſuo aut defenduntur, aut illuſtrantur. Quod memorabile inprimis eſſe poſſit, illud eſt, obſervationem Maſorethicam, *ablationem ſcribarum* עטור ספרים plane hic non occurrere, licet reliquorum mentio in exemplis ſubſtratis fiat. Loca etiam ſic nominata *Piskata* ordine examinantur, atque locus notabilis *Geneſ. IV, 8.* fuſius explicatur. Omnibus ex his rebus circumſtantibus denique colligitur, loca *Piskata* recentioris eſſe ævi, quia antiquiſſimi codices nullas eiusmodi pauſas aut ſpatia in textu hebraico agnoſcunt. Quod indicio eſſe poteſt, regium hunc codicem, illis carentem, ætatem ferre grandiorem. Poſtremo loco obſervationes adduntur de differentiis lectionum inter *Ben Aſcher* & *Ben Naphtali*, ubi animadvertitur, codicem Caſſellanum multo frequentius exhibere lectionem *Ben Naphtali* quam *Ben Aſcher*, cuius quoque rei ratio quædam ab Auctore in medium profertur. Deinde de differentia *Orientalium* atque *Occidentalium* variarum lectionum, contra *Bartoloccium* & *Cappellum* feliciter diſputat Noſter, ſolide evincens, inde ortam fuiſſe varietatem ſive differentiam illam veterum codicum MStorum ſcripturæ ſacræ, quod quidam eorum ſtricte, & quaſi κατὰ πόδα ſequantur lectionem Occidentalium, in aliis autem liberius actum eſſe deprehendatur, ut quandoque pro rei circumſtantiis lectio Orientalium textui inſerta fuerit, pro arbitrio ſcilicet ſcribarum. Levis tamen eſt hæc controverſia, ſiquidem ut plurimum circa literas quieſcentes, vel omiſſas, vel transpoſitas, & quæ ſunt huius generis alia, lectiones iſtæ variæ verſantur, ſenſum ipſum ne minimum quidem afficientes. Finis huius capitis obſervationes adhuc nonnullas circa modum ſectionum legis, in codice Caſſellano conſpicuum, affert, ubi etiam, præter reliqua non iniucunda atque inutilia momenta, docetur, codicem hunc *LIV.* ſectiones legis numerare, communiter LIII. numerum tantum æquantes. Caput *tertium*, idemque ultimum, *per Sectiones binas* ſpecimen illuſtre Maſoræ parvæ & magnæ ex codice affert regio, ubi annotationes primo parvæ

Digitized by Google

Maſoræ in *XIV.* Capita priora *Geneſeos*, additis multis obſervationibus Criticis & Philologicis, & deinde ad Maſoram magnam loca ex *XII.* Capitibus *Geneſeos* prioribus afferuntur, in quibus illa ab impreſſa *Buxtorfiana* differt. Ex inſpectione hac oculari recte iudicat Noſter, Maſoram codicis ſui in quibusdam locis erroribus eſſe obnoxiam, in aliis vero quamplurimis locis impreſſam Maſoram ex hac poſſe augeri, & corrigi, atque integritati ſuæ reſtitui. Properamus iam ad *ſecundam* huius libri *partem*, diſſertationem Theologicam, de velo tabernaculi interiori, eiusque myſterio, ſiſtentem oculis noſtris. Typis antea ſingulariter fuit expreſſa hæc commentatio, & ab Auctore publice in cathedra Marpurgenſi quondam, ſub præſidio defuncti Prof. *Kirchmeieri* defenſa, nunc vero a vitiis typographicis purgata, & variis acceſſionibus philologicis aucta, prodit. Duæ diſſertationis partes ſunt, quarum *prima* de ſenſu literali *Exod. XXVI, 31. 32. 33.* agit, *altera* de ſenſu ſpirituali ſeu myſtico præcipit. Lectu digna eſt prior ſectio ob philologicas inſperſas utilisſimas obſervationes, ad hanc quæſtionem recte expediendam, & vocabula hebraica penitius ponderanda, multum omnino facientes. Summam dictorum cum lectoribus communicaturi, de *altera* monemus, ab initio opiniones eorum refelli, qui coeli viſibilis, aut legis ceremonialis typum, fuiſſe iſtud velum commemorant; ubi potius ad ſignificandam carnem Chriſti, adeoque mediatorem nondum conſummatum, adhibitum illud fuiſſe, ex *Hebr. X, 20.* ab Auctore probatur. Poſt adiectas pleniores huius rei explanationes, velum iſthoc reſpicere Noſter dicit corpus Chriſti tum naturale, tum myſticum, eccleſiam ſcilicet in his terris, quod pro hypotheſi auctoris, quoad ſingulas partes, materiæ, coloris, texturæ, & quæ his ſunt ſimilia, myſtice pertractatur, &, quæ cuiusque rei ſit ſignificatio, anxie & ſcrupuloſe perquiritur. Ruptura veli in morte Chriſti, plenam ſatisfactionem denotare debet, legemque Moſis eſſe abrogandam cum vaſtatione urbis atque templi, & demum ultima periodo N. T. eccleſiam eſſe conſummandam, quando omne diſcrimen inter eccleſiam militantem & trium-

phan-

phantem tolletur. Habebunt ex his lectores, quid indicent de myſterioſo hoc labore. Ceterum ex animo optamus, ut, quod promiſit cl. Auctor de Obſervationibus ſuis criticis & philologicis amplius per partes edendis, datam fidem novo ſpecimine propediem liberet, orbemque literatum de novo ſibi devinctum reddat.

CHE LA NATURA, NELL' INGENERAMENTO DE' moſtri, non ſia ne attonita, ne diſadatta &c.

h. e.

NATURAM IN GENERATIONE MONSTRORUM nec attonitam eſſe, nec ſine ſuo fruſtrari; Poetas autem in illis fingendis non fervore errantis Imaginationis, ſed eruditis allegoriis uſos fuiſſe: Ratiocinium Ioachimi Poetæ, Medicinæ Primarii Profeſſoris Studii regii Neapolitani.

Neapoli, plagg. 18. in 4.

Communis loquendi ratio hoc ſecum affert, ut ſub certis formarum Symbolis, certi ſignificatus comprehendantur. Hac methodo, notiones vagas brevi aliqua idea ſiſtendi, omnis uſa eſt antiquitas, atque ſub formis arbitrariis fictis animalium, mores mixtos ſui temporis vel laudavit, vel confutavit. Neminem fore arbitratur *Clariſſimus auctor*, qui tam tenui ingenio præditos fuiſſe Poetas græcos atque latinos, ut Harpyas, Sphingas, Hippocentauros, Hydras, & eiusmodi alia ſimulacra rerum, vere extitiſſe crediderint, ſit exiſtimaturus. Methodus docendi ex fabula fuit, & ludicrum argumentum fictionis poeticæ nullum eſt, quin ſeriam virtutis collaudationem, vitii autem reprehenſionem, ſub imaginario ſchemate amplectatur. Etiamſi autem hybrida eiusmodi, quæ penes Veteres extant, animalia, nulla exiſtant: fieri tamen quandoque ſolet, ut connivente ſummo naturæ auctore, natura ipſa a conſueta agendi norma aliquantulum deflectat, formetque animata corpora, quæ ob novam, quam intuentibus offerunt, ſpeciem, monſtra vulgo dicuntur. Iniquitatis arguun-

Digitized by Google

guuntur illi, qui, cum hoc ita evenit, erraſſe naturam perhibent, cum illa tanquam Creatoris ipſius effluxus in animata corpora, a lege aberraſſe, dici, acri ſine impietate, haud poſſit. Error ille, quo rarius viſa corpora, monſtroſa appellantur, in mente eſt contemplantium, qui, præiudiciis addicti, portentoſum id omne dicunt, quod inauditum, & ex ſuperſtitionis perſuaſu ominoſum eſt. Nemo forte futurus eſt, quin collaudaturus vehementer ſit Praxagoram aliquem, cum ille hydram centum capitibus horridam ex marmore finxiſſet; admirabitur artem, menſuram, ingenium: qualis autem iniuria illa eſt, Creatori in opprobrium vertere, cum biceps aut bicorporeum portentum naſcitur, quo, ſi adoleſcere integrum foret, nihil poſſit eſſe viſu dignius. Deſinant ſane erroris arguere naturam illi, qui perſpiciunt, quo legum rigore fabrefactum ſit bicorporeum aliquod animal, cuius neceſſitatibus ita proviſum eſt, ut organa ad hanc ludicram aliis viſam animalis ſpeciem, omnia accommodata ſint quam nitidiſſime. Enimvero, ſi id monſtroſum eſt, abundare partibus, nihil fere ſupereſt, quod monſtroſum dici haud poſſit. Docet enim anatome, in plerisque aliquid organorum vel luxuriare, vel deficere; certe in vaſorum ordinibus mira ubique deprehenditur varietas. Obſervat auctor, ſplenes geminos, lenem unicum, animalibus nihilo hoc minus hilariter viventibus, & recte valentibus. Nihil ergo monſtri natura alit, niſi forte, cum excelluiſſe in operibus deprehenditur, monſtrum finxiſſe, veluti *Franciſcus Petrarcha Lauram ſuam formoſitatis monſtrum appellat*, perhibeatur. Varia antiquitatis lectione commendabilis Liber eſt. Poema te legere, ſi Rhythmus adeſſet, ob Etruſci ſermonis nitorem, & verborum exquiſitiſſimorum cothurnos, arbitreris.

ADPARATUS LITTERARIUS, UBI LIBRI PARtim antiqui, partim rari, recenſentur, collectus a FRID. GOTTH. FREYTAG, I. C. TOMUS I.

Lipſiæ 1752. ex officina Weidemanniana, 2 Alph. in 8.

Qui

Digitized by Google

Qui *analectis litterariis* nomen ſibi iam peperit, *Freytagius*, V. C. ille nunc pergit *apparatu litterario*, cuius *primum volumen* hic habemus, de orbe erudito bene mereri; quod nomen illud librario diſplicere intellexerat. Ipſe, nihil librorum, ſi a duobus forte receſſeris, hic reperiri, affirmat, quod non ſuis tractaverit manibus, & diligenter, quoad eius fieri poſſet, ſtudioſeque evolverit. Magna hæc libri dos eſt, hac præſertim ætate, qua, multi ſunt, qui, quæ ab aliis acceperint, potius, quam quæ ipſi habeant comperta, ſcribere ſolent. Habuit vero, quos hauriret, fontes, & Patris, viri de litteris & ſtudioſa earundem iuventute immortaliter meriti, & Athenæi Portenſis publicam, eamque, quæ aſſervatur in præcipuo oppidi Numburgenſis templo, Bibliothecas. Præterea *Kaeſtneri*, *Walchii*, *Frankii*, viri ſuis meritis in bonas litteras clariſſimi, libros, huic ſcopo accommodatos, liberaliter, ut ſolent honeſta ingenia, cum ipſo communicarunt. Veterum in primis librorum rationem habuit; illuſtrem nuper Theologum, *Baumgartenium*, auctorem ſequutus. Quæ conformatio ſit operis, ex iis conſtare Lectoribus noſtris arbitramur, quæ de *analectis* nota ſunt. Hoc tamen *apparatus* hic peculiare habet, quod, in percenſendis libris, non elementorum ſequatur ordinem auctor, ut ibi; ſed eos, ut menti ſe ingerunt, enumeret, numerorumque notis ab ſe invicem disiungat. *Ducenti ſexaginta tres* omnino ſunt, e quibus, ut ſolemus, nonnullos, veterum potiſſimum ſcriptorum, quorum editiones hodie ſunt rariores, hic indicabimus; reliquos iis recognoſcendos relicturi, quos ſcire ſua cuiusvis intereſt. In illis ſe nobis primum offert *Eſopus moraliſatus* 4. fol. 33. Pag. 62.
impreſſus 1489. Auctorem Scaliger *Accium*, Barthius *Romalium*, alii *Bernardum* eſſe voluerunt, cuius de *Caſtore* fabulam produxit *Silveſter Giraldus*, alii *nulli certo* auctori tribue- 64.
runt. *Æſopi Phrygis fabulae graece & latine, cum aliis quibusdam opuſculis, quorum indicem ſequens pagella indicabit. Antverp. ex officina Chriſtoph. Plantini* 1567. in 12. pluribus ignota editio fuiſſe dicitur, adeoque inter rariores merito referenda traditur. *Apitii Celii de re coquinaria libri decem.* 97.

Coquinariae capita Graeca ab Apitio poſita haec ſunt. Epimeles: Artoptus: Cepurica: Pandecter: Oſprion: Trophetes: Polyteles: Tetrapus: Thalaſſa: Halieus. Hanc Plato adulatricem medicinae vocat. 4. fol. 32. Tantæ raritatis hæc editio eſſe dicitur, ut nec *Mart. Liſterus*, recentior illius Apicii editor, ullum eius, per omnem Angliam, exemplar reperire potuerit. Prodiit ea 1503. Venetiis impreſſa per *Io. de Cereto de Tridino*, alias *Tacuinum;* nec prima huius ſcriptoris, ut ille voluit, ſed quarta fuit editio, quippe quam *Mediolanenſis* 1490. 4. per Blaſium Lancilottum; *Veneta* quædam, cum Cenſorino de die natali, tabula Cebetis, Plutarcho de invidia & odio, & de vita ſolitaria, Suetonio de claris rhetoribus, per *Bernardinum;* atque iterum *Mediolanenſis* per *Guil. Sig-*
Pag. 99. *nerre* 1498. anteceſſerunt. *T. Lucretii Cari libri ſex nuper emendati, 4. fol. 107.* Hic index eſſe videtur inter omnes Lucretii editiones tertiæ, Aldinæ vero primæ, omniumque rariſſimæ, litteris Romanis impreſſæ, Alberto Pio, Carporum Principi, dicatæ. Ex præfixa epiſtola dedicatoria intelligitur, falſos adhuc eruditorum plerosque fuiſſe, qui exiſtimarint, editionem, cuius in fine hæc verba leguntur: *T. Lucreti Cari Poetae Philoſophique antiquiſſimi De rerum primordia natura ad Memmium liber ſextus & ultimus explicit feliciter. Paulus hunc impreſſit Fridenperger in Verona. Qui genitus eſt in Patavia (Paſſavii) Alae magnae. Ab incarnatione Chriſti 1486. Die vigeſimo octavo Septembris Calen. Octobris* in fol. iam cura & ex emendatione HIERON. AVANCII, Veronenſis, prodiiſſe, quum non Aldus modo, ſed ipſe quoque *Avancius*, in epiſtola quadam, huic noſtræ præmiſſa, teſtentur, hanc editionem
113. primum eſſe ab ſe caſtigatam. *Caii Plynii Secundi Naturalis Hyſtoria in fol. form. maior. folior. 266.* quo libro, ut tunc erant tempora, nihil ſplendidius pulcriusque typis excuſum fuiſſe, auctor tradit. In fine libri XXXVII. hæc typographi verba legi ait: *Caii Plynii Secundi Naturalis hyſtoriae Liber triceſimus ſeptimus & ultimus finit. Parmae impreſſus opera & impenſa Andreae Portiliae, Anno 1481. octavo idus Iulii &c.* Varias obſervationes, & criticas & medicas, exemplum illud adſcri-

adſcriptas habuit, quo auctor doctus uſus eſt, ac dignas quidem eas, ſi ex prolatis iudicare licet, quæ lucem videant. *Solinus de Mirabilibus Mondi in fol.* 43. fol. Liber, Romanis Pag. 121.
litteris, ſatis nitide fertur exſcriptus. Brixiæ, ut in fine codicis legitur, per *Iacobum Britannicum* impreſſus 1498. die vigeſimo Novembris, tantæ raritatis, ut in *Bunemanniano catal. librorum rariorum* ſeptem imperialibus æſtimetur. *Pom-* 127.
ponius Mela 4. fol. 38. litteris Romanis exſcriptus, in Italia, ut videtur, cum præmiſſa *Hermolai Barbari* ad Alexandrum VI. præfatione. Nobis quidem ad manum eſt editio, hac ſine dubio & antiquior, & rarior. Exſcripta eſt ea in quaternis, conſtans 48. foliis. Titulo, ut mos tum erat, ac præfatione caret: habet tamen tabulam quamdam illius loco, Europam, Africam, atque Aſiam, ſed rudi admodum cælo ſculptam, exhibentem, cui ſuperſcripta ſunt verba: *Novellae aetati ad geographie verniculatos calles humano viro neceſſarios flores adſpiranti votum bene merenti ponitur.* Complectitur vero liber: *Pomponii Mellae Coſmographi geographiam: Priſciani quoque ex Dionyſio Theſſalonicenſi de ſitu orbis interpretationem*, ut miniato colore, ſub ipſum eius initium, annotatur. In fine additur: *Pomponii mellae una cum priſciani ex dionyſio de orbis ſitu interpretatione finit. Erhardus ratdolt Auguſtenſis impreſſit Venetiis. 15. Cal. Auguſti Anno ſalutis noſtrae 1482.* Iudicia aliorum de hac editione apponere non vacat, ipſa, quæ indicaretur paucis, non indigna viſa eſt.
Κλήμεντος Ἀλεξανδρέως τὰ Εὑρισκόμενα ἅπαντα. Ex Bi- 223.
bliotheca Medicea in fol. p. 347. In fine editionis, principis Græcæ, rariſſimæ, quæ tamquam codex manuſcriptus hodie magni æſtimatur, hæc leguntur verba: *Cudebat Florentiae Laurentius Torrentinus.* Cum *Iulii* III. Pont. Max. *Caroli* V. Imperatoris, *Henrici*, Gallorum regis, II. *Coſmi Medicis* Florent. Ducis II. Privilegiis M. D. L. In hoc vero noſtro exemplari, quod in manibus habemus, quidam ex *Petri Victorii* Ep. I. obſervat, tam ægre adductum Torrentinum fuiſſe, ut excuderet hunc librum, ut deinceps cuiquam Græco ſcriptori navare operam noluerit. Sed ſatis ſit, hæc, dandi

 guſtus

Digitized by Google

guſtus cauſſa, hic repetiiſſe; reliqua perlegiſſe neminem poenitebit, qui bonorum librorum notitiam acquirere ſibi geſtit. Quum vero tam mira ſit librorum rerumque varietas, bene de lectoribus ſuis merebitur Cl. *Freytagius*, ſi *indices idoneos* libris ſuis deeſſe noluerit.

NOVA LITTERARIA.

In *officina libraria* Io. Frid. Gleditſchii, *propèdiem Eruditorum oculis exponetur* Gloſſarium Germanicum, præcipue Iuris & Fori Germanici, maximam partem e diplomatibus, & præterea ex legibus civitatum, pluribusque aliis monumentis medii ævi, tam editis, quam MSCtis, eruit, compoſuit, illuſtravit, indicibusque neceſſariis inſtruxit, CHRISTIANVS GOTTLOB HALTAVS, *Philoſ. Mag. & Scholae Nicolaitanae Rector. Libri, cuius hic titulum damus, utilitas, non unius generis futura eſt. Praeterquam enim quod Linguae Germanicae praeclaram lucem adfundet, habebunt etiam Iureconſulti, imo artium omnium & Scientiarum amatores, quod inde ſuo quique uſui depromant. Hoc ita eventurum, & operis ambitus, & Auctoris, viri undiquaque celebris, teſtata doctrina, pollicentur. Certe enim, quid medii aevi antiquitatibus illuſtrandis poſſit, dudum Kalendario medii aevi teſtatum fecit. Ut igitur aliquem habeant Operis, cuius magna debet eſſe expectatio, praeguſtum Lectores, (nam de eius praeſtantia, ubi prelum reliquerit, fuſius dicemus,) dabimus voces aliquot, e quibus, vera eſſe quae diximus, haud difficulter patebit. Sint igitur ſequentes:*

FLEMINGISCHE HVFEN, FLEMISCH LAND, manſi Flamingici. *Flamingi* proprie ſunt *Flandri Teutonici*, lingua diverſi a Walonicis. Gloſſar. vetus Latino-Teut. „*Flamminguſ* gi. a *vlemmig* nomen gentile *Flanders* Idem *Flandrenſis*." Unde in LVDWIGII Rel. MSS. T. I. p. 18. *Manſi Flandrenſes* ab antiquo interprete vertuntur *Flemiſche Huven*. GRVNBECK in vita Frid. III. Imp. p. 22. ſq. *gegen den* FLAMMINGEN *allein hat er groſſe grauſamkeit des Kriegs gefürtt und gebraucht, wann*

wann allſs die von Brugg ſeinen Sohn Künig Maximilian gefangen hetten, zohe er in eigner Perſonn in das Niederlandt, verhöret vnd verpremt das Landt zue FLANDERN *allenthalben* &c. Sed eo nomine omnes dicti ſunt *Hollandi*, non recentiori demum ævo, ut BECANVS exiſtimat in Gallicis L. II. p. 36. „Itali, Hiſpani & Franci, inquit, Brabantos, Hollandos, cæ„terosque Belgas FLEMINGOS nominare conſueverunt, pro„pterea quod ii ob mercatum, qui avorum memoria Brugis „fuit celeberrimus, ſint notiſſimi.“ Quippe iam olim nomen *Flamingorum* fuit commune. WOLFRAMVS ab ESCHENBACH in Carmine MSC. de S. Wilhelmo:

Den Burgonoys den Britton
Den FLAEMINC *den Engeloys*
Den Braht vnn den Franzoys
Nam wunder waz er wolde tvn.

Unde factum eſt, ut in antiquis monumentis manſi modo nominentur *Flamingici*, modo *Flandrenſes*, modo *Hollandrici*. In Theodorici March. Miſn. & Orient. dipl. Dobriluc. de an. 1200. *trans ripam vero eiusdem fluminis Primſnis octo* MANSOS FLANDRENSES *ipſis terminis adiecimus*, in SCHLEGELII Tr. de Cella Veteri p. 35. Et in Sigfridi AEp. Mog. dipl. de 1208. *qualiter nobilis vir Burchardus Comes de Mansfeld octo manſos, qui* HOLLANDENSES MANSI *iuxta vulgarem conſuetudinem appellantur, in arundineto prope Rotenburg iacente, quos ab eo Burchardus de Honſtein & Henricus de Libenrode Milites, nomine Eccleſiae in Walckenried tenuerunt, nobili Principi Ludovico Duci Bavariae, a quo ipſos habebat in feudo, reſignavit*, &c. v. Dni LEVCKFELDI Antiquit. Walckenried. p. 403.

Fuere autem tales manſi in media Germania, dicti vel a poſſeſſoribus colonis, quos ex Flandria ſive Hollandia Seculo XII. Albertus Marchio arceſſivit, ſuis peculiaribusque privilegiis dotavit; vel a privilegiorum iuriumque illorum communione, paulatim aliis etiam poſſeſſoribus conceſſa, quo reſpicit formula: bona AD FLAMINGORVM IVRA TRANSFERRE, v. in BECMANNI Hiſt. Anhalt. T. I. p. 154. De IVRE

Digitized by Google

FLAMINGORVM in Thuringiam, Saxoniam, & in Boruſſiam a Flamingis invecto, v. Dns a WESTPHALEN in Præf. T. IV. Monum. p. 191. ſqq. Satis conſtat, Flamingicos cultores, iure hereditario in bonis ſuis, & maiori non ſolum libertate, verum etiam immunitate uſos, multoque mitius fuiſſe habitos quam alios agreſtes: id quod ingenio gentis laborioſæ, quæ partem Germaniæ poſt Henetos excoluit, facile tributum eſt. *Les Flamans ſont amateurs de la liberté, & grands ennemis de la ſervitude. On les fléchit aiſément par douçeur, qui a plus de pouvoir ſur eux que la force,* ut ait MARTINIER. in Diction. Geogr. v. *Flandre.* Suis utebantur legibus, ex ſe habebant etiam Iudices ſ. Scultetos, qui *Flamingiſche Bauermeiſtere* vocabantur. Ap. Dn. BECMANN. c. l. de an. 1159. „Abbas „Ballenſtad. duas villulas, hactenus a Sclavis poſſeſſas, Fla„miggis petentibus, qui *Burmeſtere* vocantur, vendit. Item„que ſuper incolas, ait, nullum dominari diſcernimus, præ„ter ſolum Marchionem ſeu eius heredem, cuius autoritate „generale placitum ter in anno fieri volumus.“ Eadem ſibi ſtipulantur in dipl. Friderici AEp. Hamburg. an. 1106. „Pa„ctionem quandam, quam quidam cis Rhenum commoran„tes, qui dicuntur *Hollandi,* nobiſcum pepigerunt, omnibus „notum volumus haberi. Præfati igitur viri maieſtatem no„ſtram convenerunt, obnixe rogantes, quatenus terram in „epiſcopatu noſtro ſitam, hactenus incultam paludoſamque, „noſtris indigenis ſuperfluam, eis ad excolendum concedere„mus; ad ſynodalem iuſtitiam & conſtitutionem Traiectenſis „Eccleſiæ nobis ſe per omnia obtemperaturos promiſerunt. „Iudicia & placita ſecularis legis, *ne ab extraneis præiudicium „paterentur, ipſi ut omnes inter ſe rerum diſſenſiones definiren„tur,* de ſingulis centum manſis duas marcas ſingulis annis „ſe perſolvere aſſeruerunt. Maiorum placita ſive Iudicia, *ſi „ipſi inter ſe definire nequirent,* ad epiſcopi audientiam refer„rent.“ Extat in LINDENBROGII Script. Rer. Septentr. p. 148. Bene ad hæc verba notavit Dns a WESTPHALEN in Præf. T. IV. Script. p. 190. *Patet itaque, quod Hollandi extra patriam fortunarum ſedes figentes, ſedulo ſibi proſpexerint,*

Digitized by Google

rint, ne alienis inſtitutis adſtringerentur. Hereditariæ autem ſucceſſionis ius patet ex privilegio Culmenſi: *Porro eisdem civibus noſtris vendidimus bona ſua, quae a domo noſtra habere noſcuntur,* AD HAEREDITATEM FLAMINGICALEM IPSIS ET EORVM HAEREDIBVS VTRIVSQVE SEXVS, *ea cum omnibus proventibus in perpetuum libere poſſidenda,* ut refert AVTHAEVS in Suppl. ad WEHNERI Obſerv. p. 118. Edit. SCHILT. De libertate manſorum Flamingicorum in Thuringia, lectu digna ſunt, quæ affert ZEITFVCHS in Chron. Stolberg. c. XXI. p. 361. Si quis iura & privilegia Flamingica paulo accuratius noſſe velit, recenſet ea Henricus Dux Bav. & Sax. in terris ſuis uſitata. Egregium eſt diploma de an. 1171. dignumque omnino, quod hic, utpote ſuo in loco, maiori ex parte legatur. „Qualiter, inquit, Fridericus de Machtenſtede tam a „Domino Balduino Bremenſi Archiepiſcopo, quam a nobis ſua „devotione obtinuit, ut paludem inter Brincken & Machten„ſtede & Huchtingen, que hactenus omnino deſerta fuit, — „— (velimus) vendere quibuslibet emtoribus, ſibi & ſuis he„redibus IVRE HOLLANDRICO poſſidendam, &c. Ut autem „predictis emtoribus nulla poſſit inferri violentia, iuſticiam eo„rum diſtincte iuſſimus ſubnotari. Scilicet ut dent undeci„mum manipulum pro decima, pro poledro nummum, pro „vitulo obulum, decimum examen apum, decimum agnum, „decimum porcellum, decimum anſerem. Summa compoſi„tio ipſorum ante ſecularem iudicem non faciet, niſi quatuor „ſolidos nummorum. Pro banno iudicis dabuntur octo num„mi. Si quis non ad pretorium tempeſtive venerit, vel ſine „licentia receſſerit, dabit octo nummos, &c. Iuramentum „ante iudicem ſecularem facient ſine calumnia verborum, que „teutonice dicitur Vare. Si quis eorum capitalem incurrerit „culpam, ſecundum leges terre iudicabitur. Ter tantummo„do in anno ad pretoria convenient. Ut autem hæc noſtra, „&c.“ Edidit hoc dipl. Dns VOIGT in Catal. AEpiſcopor. Brem. Iura Flamingica etiam recenſentur in dipl. Ottonis Ducis Brunſu. & Luneb. an. 1296. incolis Terræ Novæ dato, ubi inter alia & hoc: *Quicunque quocunque caſu deliquerit, ſi*

ſor-

fortuna ducente effugerit, res illius iudex minime uſurpabit, v. in Dni PVFEND. Append. ad Obſervatt. Iur. T. II. n. I. p. 7. Cæterum Flamingorum privilegia & conſuetudines in diplomatibus dicuntur *Ius Hollandicum* (Hollenſch Recht), *Hollandricum*, & corrupte *Hollericum*, v. Dns a WESTPHALEN l. c. p. 188. & 191. Sine dubio iura Flamingica alia fuere aliis in locis, præ ſe tamen ferunt omnia plus minusve germanæ libertatis.

GERADE (ut forenſis uſus iam olim ſcripſit), rectius *Gerate* ſive *Rate* id eſt *Frauen-Geräte*, ſive *Kiſten-Geräte*, ſupellex muliebris, res mobiles, ad uſum & mundum muliebrem comparatæ. In Statutis Suſat. antiquiſſ. ap. Dn. HAEBERLIN. p. 29. *Si quis vir: vel femina. plures habens filias nuptas. ſi qua ſuper eſt innupta. matris tollet* MOBILIA. *que vulgo* RATHE *vocantur* &c. Antiquiſſimo Iure Saxonico, proximis heredibus Foeminis debebantur, quemadmodum res ad expeditionem militarem pertinentes (Heer-Gewäte) ſucceſſoribus Viris. *Munditiae, & ornatus & cultus foeminarum inſignia ſunt: his gaudent & gloriantur*, ait Valerius ap. LIV. L. XXXIV. c. 7. viris labor convenit. Ergo iam olim multo maxima & pretioſiſſima pars ſupellectilis ad mundum muliebrem pertinuit, & invidioſa eſſe coepit eius hereditas, & magno cum detrimento mariti ac reliquorum heredum coniuncta. In Chron. Mind. in LEIBNITII Script. T. II. p. 201. hæc notatu digna leguntur: „Tunc prædictus Albrand recipit de GERADE ex „parte filiæ ſuæ & denudavit ſibi totam domum in tantum, „quod dividebat cineres ſecum in foco. Nam tunc temporis „pertinebant ad RADE proprie alle hole vate, tam lignea, cu„prea, ſtannea, ſic quod nihil manebat in domo de omnibus „utenſilibus. Quod immutatum eſt ſecundum ius ad hoc de„putatum —— de 1407." Vide omn. Dni D. Ioh. Andr. SCHMIDII Helmſtadium Seculis XIV. & XV. per *Frauenradam* valde adflictum. Quare iniquitas huius iuris, variis in locis, varie fuit emendata. Alicubi *Gerada* fuit abolita. In Ottonis Com. de Everſten dipl. quo Civitatis Holtzminde privilegia confirmat an. 1245. *Nulla hereditas, que vulgo vocatur*

RATHE

Digitized by Google

RATHE *vel Herewede, dabitur alicui infra vel extra civitatem, ſed tantum hereditas que erue dicitur, dabitur proximo heredi.* Otto Dux Brunſuic. an. 1244. GERADAM in Civitate Hanover. ſuſtulit, v. REHTMEIERI Chron. p. 1832. Item Magnus Dux in Civitate Helmſtad. an. 1358. v. ap. Dn. SCHMID. c. l. p. 6. In LL. Lubec. antiquis ap. Dn. de WESTPHALEN T. III. p. 623. Herewede & RATHE ſingulariter non exhibentur, ſed ſi quis proximus eſt Heres & accipit Hereditatem, percipit ſimul & Herewede & RATHE, conf. ibid. p. 642. n. XXVII. In Iure Suſat. ap. Dn. de WESTPHALEN T. IV. p. 3085. n. 51. *Heergewede vnd* GERAIDE *ſoll nümand eiſchen oder vpboiren nach mit geven, ſunder wat dar tho höret, dat ſall man ſchichten alſs annder ſahrende houe.* Aut GERADA fuit diviſa. In dipl. Dominorum de Werle, quo Civitati Plauenſi privilegia confirmant an. 1235. *Item concedimus ut ea, quae Heerewadt dicuntur, & muliebria quae* WIEBERADT *dicuntur, minime dentur, ſed haereditas eſt per medium dividenda*, v. in Dni de WESTPHAL. T. IV. p. 929. In Ottonis IV. Regis dipl. Stadenſi de an. 1209. quod Ge. ROTHIVS edidit, hæc habentur: *De eo autem, quod vocatur* WIUE-RATE, *hoc ſtatuimus, ut mortua aliqua paupere vel divite muliere, tota ſupellectile perſpecta, precioſiora queque veſtimenta heredibus exhibeantur, reliquas vero veſtes, & vir & heredes equaliter dividant, utenſilia autem viro domus permaneant.* Hic repetendum privil. Ottonis & Wilhelmi Fratrum Domicellorum de Brunſwich & Luneborch an. 1329. „Dilectorum — nobis Conſulum & univerſitatis „civitatis noſtræ Luneborch inſinuatio patefecit, quod ius ſive „conſuetudo in tollendis & percipiendis rebus, quæ vulgariter „VROWENRADHE dicuntur, eſſet adeo dilatatum, quod plures „vivi eorum comburgenſes poſt ſuarum uxorum obitum in „bonis ſuis gravem iacturam perciperent, & in retroactis temporibus percepiſſent. Ad imponendum ergo rigori ſive con„ſuetudini huius iuris moderamen congruum, dicti Conſules & „univerſitas, de noſtro conſenſu & beneplacito ſtatuendo or„dinaverunt, quod nemo inter eos deinceps de ipſis rebus, quæ „Vrowenradhe dicuntur, valeat poſtulare oves, vel exigere ali-

Digitized by Google

„qua, niſi ſolummodo illa, quæ perſona defuncta tempore ſui „obitus inconſumpta ex donatione parentum aut ſuorum ha„buit amicorum: quicquid vero maritus tam in veſtibus, quam „in aliis ſupellectibus & rebus ſuæ uxori comparaverat ante „vel poſt copulam, illud dare nemini teneatur," extat in Dni SCHEIDII Nachr. vom Adel p. 583. Aut GERADA denique extraneis tantum denegata. Apud Luneburgenſes Gerada extraneis non præſtatur, per illud vulgatum: *Gerade* und Heergewette gehen nicht über die Brücke: teſte Dn. MASCOVIO in Notitia Iuris Brunſuico-Luneb. in Præfat. v. KISTENGEWAND.

GERHAB, GERHABER, apud Auſtriacos, Bavaros, &c. tutor eſt, proprie curator, a kur ſive *kar*, *Ger* cura, v. Dns WACHTERVS. GERHABEN ſemper dicti honeſte ac ſerio, ab eo, quod eſt officii & laudis, non, (ut antehac putabam,) per invidiam aut ludibrium, quaſi bona pupilli affectantes, ut quidem feſtive iocabatur Maximilianus, v. HENELII Otium Vratiſl. p. 7. In dipl. Iudicii Provinc. Briſgov. de an. 1437. *deren Pfleger, Virmünder und* GERHABER *der zeit was*, ap. LVNIG. in R. Arch. P. Spec. Cont. III. p. 233. Reformation der Bayriſchen Land-Recht de an. 1518. Tit. LI. von Vormündern. GERHABEN. Verſorgern und Trewstragern. Ib. Tit. LII. art. 1. die Vormünder, GERHABEN und Trager. Kärndt. Policey-Ordn. de an. 1578. fol. 26. b. *Es ware dan ſach, das der* GERHAB —— *dem Khind Augenſcheinlich zu nachtl. vnnd verderben hauſete*. In Wilhelmi Ducis Sax. literis ad Luſatios an. 1458. *vns vnd von wegen vnſer Gemaheln als yren rechten naturlichen gemechtigen* GERHAB *vnd Formunden*, v. MVLLERI R. Tags-Theatr. ſub Frid. III. p. 735. In der Hohenlohiſchen Erb-Einigung de an. 1511. *Wollen keinen vnſern Kindern keinen Fürſten oder machtigern* —— *zu Regierern*, GERHABEN, *Vormunden oder Curatoren ſetzen*, v. LVNIG R. Arch. Spicil. Sec. T. I. p. 1823. In dipl. an. 1217. in GVDENI Sylloge I. Diplom. p. 103. occurrit GERWART & GERBODO frater eius, ex nominibus officiorum facta nomina propria. v. GERMAG.

GERICHTE, Iudicii habendi poteſtas, Iuriſdictio. Antiquiſſima Iuriſdictionis Germanicæ diviſio eſt in ſuperiorem ſi-

ve

Digitized by Google

ve criminalem, & in inferiorem ſeu civilem, quam & *forenſem* tunc vocabant. In dipl. Sifridi Com. de Boumeneburg de an. 1141. quo Coenobium Northeim. fundavit: *Inſuper in ipſa villa, Northeym ſcilicet, Abbati contradimus thelonei iura, proprieque percuſſuram monete, & quicquid ad* FORENSEM *vel* CIVILEM IVSTITIAM *noſcitur pertinere,* PRETER *fundum* CAVSAS*que* PEREMTORIALES, IN QVIBVS ALIQVIS CONVICTVS MORTIS EST SENTENTIA FERIVNDVS, v. in MENCKENII Script. T. III. p. 1131. C. In Ottonis Ducis Brunſu. dipl. an. 1237. *Inſuper permittimus Abbati in eadem Villa* — — — *omne* IVDICIVM CIVILE AC FORENSE, EXCEPTO FVRTO ET CAVSIS CAPITALIBVS, *in quibus quis convictus extremam mortis cogitur ſubire ſententiam*: in Orig. Guelf. T. IV. in Præf. p. 64. In dipl. Halberſtad. an. 1347. *curiam cum* SVPREMO ET INFIMO IVDICIO, v. LVDWIGII Rel. MSS. T. VII. p. 509. Item in Transact. Senatus Roſtoch. cum Monaſterio Doberan. an. 1315. *quod* IVDICIVM SVPREMVM ET INFIMVM, *manus pariter & colli, intra limites ſupradictae curiae* — — *pacifice* — — *deinceps etiam poſſidebunt,* v. LVNIG R. Arch. P. Spec. Cont. IV. P. II. Fortſ. p. 684. In dipl. Brand. an. 1386. *Unſers Herren des Marggrafen oberſte Gerichte daſelbſt der neuen Stadt zu Brandenburg, vnd auch* DAS HÖCHSTE VND NIEDERIGSTE GERICHTE *auf vnſers Herren des Marggrafen Kytz daſelbſt vor der neuen Stadt Brandenburg,* v. LVDWIG. Rel. MSS. T. IX. p. 544. Ibid. p. 565. in Fratrum de Alvensleben Inveſtitura de 1409. *mit oberſten vnd vnterſten.* In dipl. Georgii Princ. Anhalt. de an. 1439. Serveſtanis dato: *Unſer* GERICHTE HOHEST *vnd* NIDDERST *in vnſer Stadt Zerbſt mit allem Nutze vnd Zugeſelle* &c. v. BECMANNI Hiſt. T. I. p. 273. In dipl. an. 1336. *mit deme* RICHTE HOGHEST *vnd* SIDEST, in LVDWIGII Rel. MSS. T. VII. p. 44. In dipl. Traiect. an. 1378. *dat halve* GERICHTE HOOGE *ende* LAGE *tot Lienden,* v. MATTHAEI Tr. de Iure Gladii p. 33. In Margaretæ de Kunberg dipl. an. 1329. *mit twinge, mit banne, mit ſturen, mit allen* GERICHDEN, MINREN *vnd* MEREN, v. HERRGOTT Geneal. Auſtr. T. III. p. 641. Ibid. p. 688. an. 1351. Iohannes de Munſtol fundos quosdam confert MIT GROSSEN

Digitized by Google

GERICHT *vnd* CLEINEN. In dipl. MS. Elſterberg. an. 1430. *mit allen* GERICHTEN *obir halſs vnd handt* CLEINE *vnd* GROSS. In dipl. Hermanni Ep. Camin. an. 1280. *cum* IVDICIO SANGVINIS, *videlicet colli & manus*, ET CIVILI, v. Dni a WESTPHALEN T. III. p. 1522. In Tob. SCHMIDII Chron. Zwickav. P. I. p. 224. Fratres Duces an. 1444. vendunt Civitati *vor ſich vnd ihre Erben die* GERICHTE, *inwendig vnd auswendig der Stadt*, OBERST *vnd* NIEDERST, ÜBER HALS, HAND VND SCHVLDE, *mit allen Buſen, Worten*, &c. *vm* 4000. *Rein. Gulden.* In Privilegiis Francof. an. 1381. *das Gericht über das Blut, Halſs und Häupte, auch alle Frevel.* In Ravonis Militis de Barnecowe an. 1358. *cum pleno iudicio maiori, manus ſcilicet & colli, ac minori, ſexaginta videlicet ſolidorum & infra*, &c. v. Dni a WESTPHAL. c. l. p. 1634. Alias dicitur GERICHTE vnd VNGERICHTE, de quo v. VNGER. Tripartita etiam reperitur Iurisdictionis apud Germanos diviſio, in *ſupremam, mediam, intermediam ſ. mediocrem & infimam.* In Alberti Ducis Megapol. dipl. an. 1358. *totum & integrum* IVDICIVM *noſtrum* MAIVS *ac* MEDIVM & MINVS, v. LVNIG. R. Arch. P. Spec. Cont. IV. P. II. Fortſ. p. 688. In dipl. Kilon. an. 1338. *cum omni iure & iudicio maiori & minori, manus & colli, & omnium intermediorum iudiciorum plenitudine*, v. Dni a WESTPHALEN T. III. p. 581. Ibid. p. 582. de an. 1348. *cum omni indicio, maiori medio & minori, manus & colli.* Ibid. de an. 1352. *vnd mit aller Brocke, Beteringe*, DES HOGESTEN, DES MIDDELSTEN, DES SIDESTEN RECHTES, *Halſs, Handt, Denſt* &c. Ibid. p. 589. de 1377. *vorkopen den Egendom und dat Recht, und dat gantze Dorp to Gremerſtope* &c. *Alſo dat Se dat ſchölen hebben vrig vnd vnbeworen, in Hals vnd in Hand*, IN DEM MINSTEN, MIDDELSTEN *vnd* MEISTEN, *ton recht Leen.* In dipl. an. 1362. ap. Dn. de WESTPH. T. II. p. 232. *omnem iurisdictionem cum mixto & mero imperio trium partium totius villae dictae Grotenbarge; cum omnibus & ſingulis adiacentiis, utilitatibus*, & IVDICIO MAIORE MEDIOCRI & MINORI, *manus & colli, ac cum omnium cauſarum congregationibus & exceſſuum correctionibus.* Eſt ergo I) *Suprema* de vita & ſanguine hominis, (das Gerichte vber Hals und Hand.) II) *Me-*

II) *Media* iudicat de exceſſibus ac delictis levioribus (Frevel), quæ mulcta poſſunt lui. In Privil. Com. Holſatiæ ap. STAPHORST Hiſt. Eccleſ. Hamb. p. 616. *cum omni iudicio maiori videlicet colli & manus, & minori ſcilicet aliorum exceſſuum,* &c. In Ottonis Ep. Paderb. dipl. oppido Nihem dato 1280. *Item iudicem nomine opidanorum ſtatuimus, qui iudicabit de exceſſibus, citra poenam ultimi ſupplicii,* &c. v. SCHATENI Annal. Paderb. T. II. p. 143. In dipl. Ioh. Com. de Habsburg an. 1398. *alle Gericht, klein und groſs (ane Dup und tod) des egen. Dorſſes und Bannes ze Segreben, dem obgen. Gotzhus und inen zugehörte,* &c. v. HERRGOTT T. III. p. 785. In dipl. MS. Wilhelmi March. Miſn. an. 1384. Conventui S. Thomæ dato: *dieſe nachgeſchriebene Dörſſer Holtzhauſen, mit dem wüſten Dorfe zu Colmen, und Zuckeloſen mit dem wüſten Dorſſe zu Lippranſsdorſſ, —— die da liegen in der pflege zu dem Nauenhofe —— mit allen Zugehörungen, und allen Gerichten im Felde, im Dorſſe, uber Wunden und uber Zetergeſchrey mit Worten und Buſsen, und nehmen allein* (aus) *das obriſte Gerichte das man halſsgerichte heiſſet, das da Halſs und Hand anbetrifft, das wir uns und unſern Erben behalten unvergeben.* In dipl. an. 1394. Petrus Gusk villam ſuam Zirckel in Terra Luſatiæ Altari S. Mariæ in Eccleſia Sallgaſt donavit *cum omni iure, dominio, iudiciis ſupremis & infimis, excepto iudicio capitis.* Verba eius ſunt: *mit allen Rechten und Gerychten Obirſten und nedirſten und mit allen herſchafftein nichts ausgenommen* &c. *Sundir alleyne* HALSSGERICHTE, *daz ich und meyne Geerben und Nochkomelinge yn und uff denſelbin Gütern habin ſullen,* in Dni KLINGNERI Samml. von Dorf-und Bauer-Recht P. III. p. 206. ib. 190. f. Media hæc etiam vocatur das *Gerichte über Schuld und Gult,* item *über Schuld, Gult und Brüche,* item *über Schuld und Schaden.* Frid. El. Sax. in dipl. an. 1455. in Dni MARBACHII Beſchreib. von Schöneck P. II. p. 44. *mit Gerichten uber Schulde und gulde.* In dipl. emt. vend. an. 1383. *das Dorſſ zu Verde —— mit allen Nutzen, Zinſen, Werdigkeiten und Wirden, mit Gerichten ober Schulde und Gulde in Felde in Dorſſe ober Halſs und ober Hand, mit allen Nutzen,* v. SCHILTERI Exerc. VI. ad ff. §. 13. n. b. In Adolphi Com. de Gleichen dipl. an.

 1427.

1427. *das Gerichte uber ſchulde, gulde unde bruche mit deme gerichte des Blutis daz man nennet das Halsgerichte*, in MENCK. T. I. p. 566. A. In dipl. an. 1385. in HORNII Hiſt. Frid. Bell. p. 670. *das Gerichte in demſelbin dorff binnen ſynen czunen — — uber ſchult und ubir wonden dy darynne geſchen*, &c. *und wir behaldin ouch uns und unſern Erbin in dheme ſelbin dorff Raſewacz alle Halsgerichte und rüge dy ſich czu den ſelbin Gerichten czihn wy man dy mag genennen und rugen czu den ſelbin gerichten*. In dipl. an. 1463. in Thur. Sacra T. I. p. 603. & 400. *Das obir gerichte — — obir todſlege wunden bludrunſt, deube und ſuſt ander alles das ſich zcuhet zu hals und ungericht* &c. *Das undirſte Gericht obir ſchulde gulde und ſchaden und zu richten obir ſcheldwort das nicht hud har blaw ſlege addir bludrunſt anlanget*. Porro vocatur Iurisdictio LX. ſolidorum. In dipl. Dominorum Magnopol. an. 1300. *quod nos* &c. *vendidimus iurisdictionem villae dictae Proveſteshagen — — ſecundum Iura & ſtatuta Zverinenſis terrae, quae currit ad ſexaginta ſolidos & non ultra*, in Dni de WESTPHALEN T. II. p. 2228. Ibid. p. 2237. de an. 1303. *nec non & Iudicium ſexaginta ſolidorum, vel ut planius dicamus, iurisdictionem, quae ſecundum regionis conſuetudinem, exigit emendam ſexaginta ſolidorum*, &c. *Praepoſito* &c. *per modum traditionis ſignavimus*. Alicubi occurrit media Iurisdictio, dicta *die hohe Erbgerichte*, quam SCHILTERVS conſultus interpretatur, quæ delictorum poenas perſequitur usque ad fuſtigationem, v. HOHE ERB-GERICHTE. III) *Infima* denique *Iurisdictio* videtur eſſe mere civilis, cauſarumque mere civilium & perſonalium, Mediæ contradiſtincta, quam vocant ſimpliciter das *Gerichte uber Schulden*. Alibi tamen forte amplius extenditur, prout mores fuerunt, ſicut de Iurisdictione Infima Brem. conſtat, v. Dni PVFENDORFII Tr. de Iurisd. Germ. P. III. S. II. c. V. a §. IX. Quæri a Dd. & diſputari ſolet, nomine *derer Gerichte* quænam Iurisdictio conceſſa intelligatur? an una ſuperior ſeu criminalis? In Haſſia, ab antiquis temporibus, generali voce *der Gerichte* univerſam conferri ſolere Iurisdictionem, etiam criminalem, M. WESENBECIVS teſtatur in Conſil. in cauſa Boeneburg contra Heſſen, rat. decid. VII. Sed quia per fide digna documenta

mentâ medii ævi mos ille probatus non eſt, in incerto relinquimus. Viderint illi, quorum in Haſſia intereſt. Quod ſi vetuſta donationum & inveſtiturarum diplomata univerſæ fere Germaniæ conſulimus, ſatis nobis conſtat, generali appellatione *der Gerichte,* item *aller Gerichte,* tantummodo mediam ſive inferiorem Iurisdictionem, quam patrimonialem vulgo vocant, fuiſſe conceſſam, utpote quam facile tum ac liberaliter concedere ſolebant Principes; altam, utpote eximiam Regalium partem, quæ ab Imperio habebant, ſuæ dominationi, vel ſuis Advocatis & Præfectis fere nominatim ac ſolicite reſervantes, v. VNGERICHTE. Otto Dux Bav. in dipl. Scheſtlar. an. 1183. *quod Dns Henricus Praepoſitus eiusdem Coenobii & omnes ſucceſſores ſui Praepoſiti,* AVCTORITATEM NOSTRAM *habeant* PLENARIAM, IVDICANDI SINGVLOS EXCESSVS, *in omnibus & grangiis, quocunque nomine cenſentur coenobio praedicto attinentibus,* EXCEPTIS TRIBVS EXCESSIBVS, *ſcil. Pogentzbluot, Notzogen, & furtis, quos noſtro iudicio decrevimus reſervandos,* in HVNDII Metrop. Sal. T. III. p. 204. Ibid. p. 205. in Ludovici Ducis dipl. an. 1277. *Concedentes eidem coenobio — — quod dictam villam Peygarten poſſidebit perpetuo in* IVDICIIS *& aliis — — Verum quia quod ſpecialiter exprimitur, plus memoriae commendatur quam quod generaliter inhibetur, adiicimus ad cautelam, quod in eadem villa Iudices & Praecones noſtri,* NVLLAM EXCEPTIS IN TRIBVS CASIBVS, *videl. Pogentzbluot, Notzoch, & furtis,* IVRISDICTIONEM *ſeu* IVDICIVM *exercebunt.* Ibid. p. 209. Ludovicus Imp. an. 1315. *Monaſterio Schyrenſi* OMNIMODAM *dedit* IVRISDICTIONEM *in ſuos ſubditos,* EXCEPTIS HOMICIDIO, STVPRO VIOLENTO, AC FVRTIS. In dipl. MS. Balthaſaris & reliquorum Principum Miſniæ, quod Conventui Monaſterii S. Thomæ Lipſ. an. 1381. dederunt: *eignen das Dorff zu Melckau, mit Acker, Fluer, Wieſewachs, Zinſen, Nutzungen, Fruchten, ehren mit allen Zugehorungen und* MIT ALLEN GERICHTEN — — AVSGESCHLOSSEN ALLEIN, VNSER HALSSGERICHTE, &c.

HOF-STATT, HOF-STAETTE, locus ſ. area curtis, proprie aperta, vacua, & nuda ab ædificio. KIL. p. 193. b. SCHANNATI Tradit. Fuld. an. 793. p. 51. *curte locus id eſt* HOVASTAT. Ibid.

Ibid. an. 788. p. 40. *In Mogontia civitate duas* ARIALES *id eſt* HOVASTETI. In dipl. a. 1255. *homines* &c. *cum duabus* AREIS, *quae vulgo dicuntur* HOOFSTETTE &c. in HERRGOTT Geneal. Habsb. T. II. p. 320. Vetus Verſio MS. Biblior. L. II. Reg. c. 24. *me der engel was by der* HOFFESTAT *hairema iebuſei.* In charta a. 1483. *Im zuvergonnen Eynen kleynen Rawme ader* HOFFESTADT *vor ſcynen hauſs und hoff* &c. *zu verkeuffen*, in SCHÖTTG. & KREYS. Diplomatar. T. II. p. 346. C. In charta an. 1522. *Nachdem eine* HOFFSTETTE *in der Stadt-Halle am Kornmarckte gelegen, da vor etlichen Iahren eine Capelle S. Lamperti geſtanden* &c. *obbeſtimten* RAVM *der verwüſten Capelle* &c. *an ſolcher* HOFFSTETE *oder* RAVM &c. ap. Dn. de DREYHAVPT T. I. p. 940. In dipl. Imp. Caroli IV. an. 1367. *So wollen wir, daz die* HOVESTAD *deſſelben zubrochin Huſes von nyman wydir gebuwet ſulle werden* &c. in Dni de GVDENVS Cod. Dipl. Vol. III. p. 472. Reſponſum MS. Scabin. Lipſ. circa 1562. *Da das haus abgebrandt und von Neues aufgebauet, So volget Inen auch daran zu Muttertheil nit mehr dan die* HOFFSTADT, *und was das Gebeude geſtehet, haben ſie ſich vor Ir Muttertheil nit anzunemen.* CANGIVS ait, *Hof-Stätte* locum eſſe, qui nec colitur nec aratur. Nos dicamus potius, locum eſſe, qui coli, cui etiam aliquid inædificari poteſt. SCHANNATI Trad. Fuld. p. 476. *Tradit etiam illam* HOVESTAT *in qua aedificatum habet & ſedit.* In dipl. Wilhelmi March. an. 1405. „Daz wir &c. demſelbin Ern Nigklauſe die HOFFESTAD in „unſir Stat czu Liſſenig an der Stadmure &c. gegebin und ge„lehin habin, alzo daz er die Buwen und eine Wohnunge dar„uff buwin und machen ſol und mag, dazſelbe Gebüwede und „Hoff, den er ſo daruff buw und machen wirdet, er beſizen „und des gebrauchen ſall &c." in KAMPRADII Chron. Leiſnic. p. 199. Anon. in Chron. Lauban. MS. ad an. 1487. „König „Albrecht hat die Stadt (propter incendium) von allen Schul„digern auf viel Iahr gefreiet &c. und einem Rathe Macht ge„geben die wüſten HOFESTEDTE wieder zu verkauffen, zu „vergeben, zu beſetzen und zu geweren, immaſſen wie Stadt„Recht-Gebrauch iſt. Ibid. Ohne dis weren die Bürger alle „das mehrer theil geſonnen geweſen, die HOFFSTEDTE „ungebauet liegen zulaſſen."

Digitized by Google

NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipſiæ

Calendis Octobris Anno MDCCLVII.

MARTINI LIPENII BIBLIOTHECA REALIS iuridica.

Lipſiæ 1757. ap. Ioh. Wendlerum, Alph. 18½ in fol.

Eruditionis non infima pars & laus eſt, paraſſe ſibi cognitionem Auctorum, qui de quocunque argumento ſcripſerunt. Comprobat id quoque eruditus eorum labor, qui in omni Facultate, ex profeſſo, ut aiunt, bonorum Auctorum cognitioni operam ſuam addixerunt, eorundemque ſcripta ſecundum rubricas, ſeu titulos, ordine alphabetico digeſta, recenſuerunt; eum in finem, ut ſi forte vel in Theoria, vel in Praxi, thema quoddam tractandum obvenerit, depromere quivis inde poſſit, quod ſibi uſui ſit. Quotus enim quisque tam facili præditus eſt memoria, ut in diverſis negotiorum curis, huc illuc animum diſtrahentibus, aſſidue verſatus, huiusmodi auxiliis non egeat? Cum itaque iam in omni eruditionis genere proſtent eiusmodi libri, neque ICtis deſunt; interque eos, ni fallimur, familiam ducunt Iohannis Fichardi ſcripta. Hunc enim in hoc ſtudiorum genere primum occupatum fuiſſe exiſtimant, quippe qui ſcriptorum a veteribus ICtis editorum indicem, ſecundum diverſas materias, compoſuit. Secuti ſunt eius exemplum plures alii, quos longa ſerie enarrare heic alienum foret. Adnotaſſe ſufficiat, *Martinum Lipenium*, licet ipſe ICtus non fuerit, inter eiusmodi ſcriptores, qui Bibliothecas iuridicas ediderunt, præclaram etiam laudem conſecutum eſſe. Edita autem eſt,

Digitized by Google

quod ad libri hiſtoriam pertinet, *Martini Lipenii,* (cuius vita huic etiam editioni adiecta eſt,) *Bibliotheca iuridica,* anno ſuperioris ſeculi LXXIX. Secundam editionem, novorum librorum acceſſionibus auctam, dedit *Struvius* a. CIↃIↃCCXX. Sed locupletior iterum prodiit anno ſeculi huius XXXVII. Manum admoverat *Ienichenius,* Vir doctiſſimus, & aliis ſcriptis & dignitatibus clariſſimus, qui ſe dicit totius octennii laborem improbum in emendando opere pertuliſſe. Idem poſt ſex annos Supplementa & Emendationes edidit. Eam igitur bibliothecam, tam egregie inſtructam, triennio poſt a *Ienichio* cum emiſſet Vir rei literariæ iuvandæ cupidus, *Wendlerus,* Bibliopola Lipſienſis, de nova editione adornanda ſtatim cepit conſilium. Contulerunt ad librum ornandum, limandum, locupletandum, ſive conſiliis, ſive monitis, ſive denique ſupplementis ſuppeditandis, operam ſuam nonnulli Viri Clariſſimi, a *Wendlero* rogati. Inter eos, quos ut ornamenta habet univerſitas artium, quæ apud Lipſienſes eſt, in Præfatione Operis nominari ſe paſſi ſunt, *Ioh. Georg. Cramerus, Henr. Gottlieb Frankius, Chriſtianus Guilielmus Küſtnerus, Ioh. Aug. Bachius, Chriſtian Gotthelf Gutſchmidius, Ioh. Ludov. Conradus, Gottlieb Schumannus, Ioh. Gottl. Böhmius.* Inter reliqua nomina, quæ apud exteros fulgent, deprehendimus *Auguſtinum de Balthaſar, Ioh. Frid. Iuglerum, Aug. Bened. Michaelem, & Chriſtianum a Nettelbladt,* viros ſuis quique meritis celeberrimos. Horum conſiliis inſtructi, immutarunt, correxerunt, addiderunt, reiecerunt, quibus iniuncta fuit perficiendi operis cura. Quia autem paginæ huius ratio non permittit ſpeciminis loco nonnulla in medium proferre, id tantum adnotamus, quod v. g. in rubrica *Inſtitutiones*, Synopſes, Compendia, Controverſias, notas, aliosque libros, in quibus neque Inſtitutiones ipſæ, neque notæ ad eas, legebantur, alio translatas deprehendimus: & Rubricas ipſas multis locis correctiores, imo plane novas legimus. Inprimis libros, qui a poſtrema editione lucem viderunt, additos videmus. Imo ut opus exteris quoque placeret, & uſui eſſe poſſet, Gallorum, Britannorum, Batavorum, aliarumque gentium ſcripta iuridica de quoque argumento

Digitized by Google

gumento Iuris, quibus illæ tanquam domeſticis utuntur, laudata ſunt. Reiecerunt autem, optimo, ni fallimur, conſilio, iudicia de libris in Bibliotheca Lipeniana antea extantia. Cl. *Ienichenius* primum eam iudicandi ſolertiam, in editione quam dederat, magnopere probarat; ſed quia vel de omnibus, vel certe de plerisque, aut de nullis omnino cenſura facienda erat, merito a iudiciis abſtinuerunt in libro Editores, qui Catalogi & Indicis materiarum Iuris formam potius, quam Cenſuræ auctorum iuridicorum refert. Locupletior quoque in nova hac editione factus eſt Index, ſcriptoris cuiusque nomen referens; & cum ab arte libraria in nonnullis etiam corrigi poſſit res hæc litteraria, dicuntur quoque in Præfatione gratiæ *Ioh. Henr. Bergero*, Bibliopolæ Tubingenſi, qui etiam Symbolas ſuas contulit. Cum itaque in emendando, colligendo, & corrigendo opere, nihil prætermiſerit *Wendlerus;* ipſumque opus non ſolum typorum elegantia, ſed & argumento ipſo ſe commendet: nulli dubitamus, quin Iuris inprimis cultoribus pergrata futura ſit nova hæc Bibliothecæ Lipenianæ editio, quippe qui Lipenium ſuum, antiqua quidem, cultiore tamen forma, & pretio non admodum caro, ſibi comparabunt. Si quid autem in operis retractatione, humana induſtria & prudentia parum cavit, quod in tanto nemo mirabitur, id facili negotio in ſupplemento, quod Præfatio promittit, emendabitur. Sequetur illud eo accuratius, quo magis doctorum virorum, exterorum etiam, monita & auxilia manum admoverint; quod quidem ut libro huic contingat, vehementer optamus.

DE VENIS LYMPHATICIS VALVULOSIS, & de earum imprimis origine, Auctore ALEXANDRO MONRO, iun. M. D. & Prof. Anat. Edimb.

Berolin. 1757. impreſſit Chriſtianus Fridericus Henningius, pl. 4. in 8.

Plerique eorum, qui de origine vaſorum lymphaticorum fuerunt commentati, cum perſpicerent, duplicis illa

 gene-

generis, & arterioſa & venoſa, eſſe, hæc illorum propaginem eſſe, atque arteriam finientem inchoanti venæ implantari, fuerunt arbitrati. Aliqui tamen ex illis, præcipue autem Nuckius, inter utrumque illud vaſorum genus folliculos poni, iam fuerunt ſubodorati. Præclarus Auctor, magni Parentis ſui veſtigia premens, variis experimentis, cumprimis in teſticulo inſtitutis, expertus eſt, hoc ita conſtitum penes naturam eſſe, ut arteriæ lymphaticæ, niſi ſi quæ forte ex illis ſtatim venas rubras petunt, atque in iisdem finiuntur, in contextu aliquo celluloſo, vel glandula aliqua follicuIoſa ſubſiſtant, atque ex hac demum venæ ſurgant illæ, quas lymphaticas valvuloſas dicimus. Tanta eſt huius argumenti dignitas, & tanto ſtudio diſcuſſum illud a docto Auctore fuit, ut iniurios fore nos cenſeamus, ſi demere quid vellemus meditationibus hoc libello contentis; cum earum nulla ſit, quin attentionem ſingularem mereatur. Conſultum igitur duximus, totam commentationem, quandoquidem illa oppido rara eſt, & ſingulare caput Anatomes, illudque excellens, explicat, hic apponere.

PROLEGOMENA.

Primum hæcce diſſertatio ortum duxit ab experimentis quibusdam in vivis animalibus, ante quadriennium abhinc, Edimburgi inſtitutis. Quum enim ab experimentis ad auctores recurrerem; & apud eos, Cowperum & Nuckium præſertim, immiſſo in arterias mercurio vivo, venas lymphaticas valvuloſas repleri poſſe invenirem: ego quidem idem tentare coepi. Quod quum haud ſemel ſine fructu facerem, tandem, in arteriam ſpermaticam mercurio infuſo, per venas lymphaticas rediiſſe illum comperi. Exploratis autem omnibus, extra arteriam prorupiſſe mercurium, nec in venam ſpermaticam penetraſſe, adparuit. Undenam hæc evenerint, mirabar equidem. Quamquam enim liquorem in arterias iniectum, per vaſa lateralia in cava corporis hiantia, venis etiam rubris vacuis manentibus, ſæpiſſime ſecedere, uſu compertum habui; id tamen mihi ex eo provenire videbatur, quod

quod vaſa hæc breviſſima eſſent, & ad mortem, vi contractili, qua gaudent, liquores contentos in cava propellerent, dum venarum rami, licet ampliores, longiores tamen, & humoribus a morte coactis repleti, fluidorum ingreſſui fortius reſiſterent: venas autem lymphaticas, ſi ex arteriis ortum ducerent, ad origines ſuas venis rubrum ſanguinem vehentibus tenuiores eſſe oportere, intellexi; longum præterea curſum abſolvere, & humorem etiam a quiete & a frigore coagulabilem continere. Repetenda exinde experimenta erant, antequam certi quid pronuntiare auderem. Repetii igitur, & hoc ſemper cum eventu, ut, ſi mercurii pondus lente augerem, in venas ſanguineas, intactis lymphaticis, tranſiret; & ligatis etiam venis ſanguineis, & mercurii pondere usque ad vaſorum rupturam aucto, numquam tamen ſine effuſione in celluloſas venas lymphaticas penetraret; effuſo autem e vaſis mercurio, vel etiam in celluloſas infuſo, easdem repleri perſpexi. Hinc auctorum experimenta in dubium revocare & examinare auſus, ipſorum ſententiis experimenta ſua repugnare deprehendebam. Omnia deinceps collecta inter ſe invicem contuli, inquirens præſertim, cur tam multis valvulis in viſceribus etiam, ubi aliis venis valvulæ deſunt, ſtiparentur? Cur tantum preſſioni externæ exponerentur? Cur venenum, inprimis venereum, variis corporis locis admotum, glandulas conglobatas vicinas, cordi partique infectæ interiectas, ſolas tam frequenter occuparet? Cur non etiam remotas, quæ ſimili ſtructura gaudent? Tandem mihi perſuadebam, vaſa lymphatica valvuloſa per totum corpus venarum abſorbentium ſyſtema efficere, neque ab arteriis, uti vulgo receptum eſt, emanare; & hanc ſententiam anno 1755. in diſſertatione inaugurali *a*) in genere propoſui, quam plenius & dilucidius exponere per tempus tunc non licebat.

 De

a) De teſtibus & de ſemine in variis animalibus, Cap. 12. p. 55. & 56.

De venis lymphaticis valvuloſis, & de earum in primis origine.

Primi venarum lymphaticarum inventores, ex obſervatis tantum in vivis animalibus phænomenis, ſententias ſuas de harum origine & uſu collegerunt.

Celebres, qui eos ſubſequuti ſunt, anatomici, experimentis & obſervationibus variis, poſt mortem inſtitutis, adiunctis, maiori cum ſubtilitate & ſollicitudine primordia earumdem explorarunt. Inter hos eminet *Malpighius*, qui tamen, poſt multa, &, pro more ſuo, accurate inſtituta experimenta, nihil certi pronuntiare auſus eſt: veriſimile autem ſibi videri, a glandulis minoribus, tamquam a fontibus oriri; tamen non ſibi licuiſſe evidenter earum primum exortum attingere, profitetur. b)

Poſt Malpighium ſummos in hanc rem labores impendit *Nuckius*, &, quum, aere & mercurio vivo in arterias & venas rubras immiſſo, vaſa lymphatica repleri vidiſſet, illi haud dubium adparuit, ab utrisque oriri. Quum tamen, aere in arteriam ſplenicam adacto, plurimas exiguas in ſuperficie lienis elevari veſiculas, & ex iisdem veſiculis vaſa prodire lymphatica, flatu etiam turgida, animadvertiſſet, coniicere coepit, aliquando intermedia veſicula, aliquando deficiente, immediate ab ipſa arteria venave oriri. *c*)

Cowperus denique, ex arteriis & venis ſanguineis in vaſa lym-

b) MALPIGHIVS, de ſtructura glandularum conglobatarum p. 3. An vero primus exortus & origo vaſorum lymphaticorum ſit a glandulis minoribus, dubium eſt, quod meam adhuc torquet mentem. Paullo inferius addit: Non minor difficultas eſt circa vaſorum exortum lymphaticorum, quæ copioſa occurrunt in viſceribus, præcipue in hepate & liene; & licet plura fecerim tentamina pro horum exploratione, non tamen mihi evidenter licuit attingere primum eorundem exortum — &, a quonam fonte derivetur materia lymphæ, adhuc quæritur.

c) NVCKIVS, in adenographia, p. 52.

Digitized by Google

lymphatica mercurio adacto, reiectis folliculis, ab utrisque eorum origines primas repetere nullus dubitavit. *d*)

Horum auctorum celebrium ſententia, omnes & eiusdem temporis anatomicos & recentiores conſentientes habuit, *e*) qui multis & variis ratiociniis & experimentis eam illuſtrare contenderunt.

Quæ

---

d) COWPER, in introduction to Bidloo's Plates p. 5. The true origin of the lymphatic veſſels is from the extremity of the blood veſſels & their office to carry back the ſuperfluous ſerum which is more copious in the arteries than is perhaps convenient in the veins where the progreſs of the blood is ſlower &c.

e) DIEMERBROECK in anatome, Cap. 22.

LISTERVS de Humoribus, Cap. 20. 21. 22. ex propriis etiam experimentis arterias lymphaticas defendit.

BERGERVS in Phyſiolog. medica pag. 78. nulla vero magis conſentanea videtur ſententia, quam quæ originem vaſorum lymphaticorum ab ipſis arteriis arceſſit.

VATERVS in diſſertatione de novo bilis diverticulo: Adhuc ſub iudice lis eſt, an Lympha ex Hepate reflua a ſanguine venoſo, an potius arterioſo, proveniat.

KEIL in his anatomy ſect. 9.

BOERHAVE in Inſtitut. medic. a §. 246. ad §. 250. & paſſim; & in method. ſtud. medici, Part. 7. ſect. 6. Cap. 2.

HALLERVS in Boerh. Inſtit. §. 246. in notis ad Lit. (a) & alibi: Dantur ergo arteriæ lymphaticæ non conſpicuæ, dum venæ utpote maiores conſpiciuntur. Et nuper in Prim. lin. Phyſiolog. C. 8. §. 181. Lympha perinde ex proximo de arteriis educi videtur.

CHESELDEN in his anatomy Chap. 10.

NICHOLS in Compend. anat. Prælect. 13. de arteriis & de venis lymphaticis agit.

BIANCHI Hiſt. Hepatis p. 920. Forte vaſa lymphatica naſci lateraliter ab arteriarum apicibus, qui fines eorum ſunt, ſimulque venarum principia.

LIEUTAUD Elementa Phyſiologiæ Sect. 2. a, p. 174. ad 179. Venas lymphaticas, uti ſanguineæ, ab arteriis provenire, opinio eſt.

AUTEUR ANONYME (ſuppoſé Mr. SENAC) dans L'anatomie d' Heiſter avec des Eſſais ſur l'uſage des parties, Tom. 1. p. 281.

Ll y

Digitized by Google

Quæ nos ab opinione tam recepta & probata primum deduxerint, iam diximus: utrum vero temere diſſenſerimus, nec

Il y a apparence, que les artéres envoyent des ramifications, ou le ſang ne peut pas entrer; dans ces petits rameaux s'inſinue la lymphe, qui ſans doute doit etre rapportée par des veines qui repondent aux petites artéres: & Tom. 2. p. 230. les veines lymphatiques repondent aux artéres, qui portent la lymphe dans toutes les parties du corps.

IVSSIEAU & LA RIVIERE Paris 1728. Ergo Lymphæ ſuus, ut ſanguini, propria per vaſa circuitus?

FERREIN mem. de l'acad. des ſciences 1741. Le ſang que les artéres lymphatiques ont recu, paſſe enfin dans les veines lymphatiques: les preuves ſont, qu'il a ſouvent trouvé dans les lymphatiques Bartholiniens une lymphe teinte de ſang.

THOM. LAWRENCE M. D. & celeb. anatomicus, in diſputatione medica de Hydrope, Londini an. 1756. edita a p. 90. ad 100. ſententiam ſuam de vaſis lymphaticis, qua cum Boerhavio videtur convenire, clare expoſuit; inter alia pag. 97. ſequentia occurrunt: „venæ lymphaticæ tanta exilitate ab extremis ſuis „arteriis prodeunt, ut conſpectum noſtrum orientes omnino „fugiant; at rivulorum more inter progrediendum confluen„tes, ſenſim maiores evadunt, atque ſatis tandem conſpicuæ „fiunt.

Sunt, qui nullam amplexi ſententiam, rei difficultatem tantum declararunt: ita

WINSLOW Exp. Anatom. Traité de la tête §. 598. les premieres ſources des vaiſſeaux lymphatiques valvulaires ſont très difficiles à decouvrir.

LIEUTAUD Eſſais anatomiques p. 537. on ne nous a encore rien apris de certain ſur la ſource de la lymphe, & l'origine des vaiſſeaux lymphatiques.

I. DOVGLAS on the Hydrocele London 1756. although numerous lymphatic veſſels can be traced on the Spermatic Cord, Liver &c. yet we hnow very little about them; their origin, courſe & many other particulars remain ſtill tó be aſcertained before we can with any ſhew of truth draw corollaries from them relating to diſeaſes.

Reperiuntur etiam, qui earum origines aliqua ex parte a ductibus excretoriis repetierunt: ita

Cel. FERREIN Hiſt. de l'acad. des ſciences 1733. les vaiſſeaux lymphatiques du Foye tirent en partie leur origine du principe du tuyaux biliaire.

HAM-

Digitized by Google

nec ne, omnibus ex ordine propoſitis & perpenſis ex utraque parte experimentis & argumentis, adparebit.

Argumenta igitur quædam theoretica, vel ex venarum lymphaticarum phænominis nata, in primis expendemus.

Varia dein experimenta, quibus dari arterias lymphaticas inviſibiles, a quibus venæ lymphaticæ liquidum ſuum accipiant, evincere nituntur, ordine proponemus; & quid ex iis concludendum veniat, examinabimus.

Denique multis in corporis locis venas lymphaticas valvuloſas abſorbentes offendi, oſtendere conabimur.

(A) Quum apud omnes conſtet, vaſa lymphatica, Bartholiniana dicta, venas eſſe: Auctores, & magnus præſertim Boerhavius, ratione ſequente argumentati ſunt. „Nulla eſt ve„na, quin debeat habere ſuam arteriam; hoc eſt, nullum vas „poteſt deferre verſus cor, quin ab alio vaſe liquidum ſuum „deferendum receperit. Quod enim liquidum verſus cor „movetur, id debet prius liquidum a corde accepiſſe. Ergo „vena ab aliis vaſis ſuum liquidum habere debet. Et ex ea„dem ratione vaſa lymphatica, quæ verſus cor reducunt, de„bent ab aliis vaſis ſuum liquidum accepiſſe, neque ea alia va„ſa venæ eſſe poſſunt. Nam venæ recipiunt, quod adtule„runt arteriæ. Ergo lymphatica vaſa ſerum ſuum debent „accipera a quibusdam arteriis, uti omnes venæ ab arteriis „accipiunt; hinc, uti videmus venas lymphaticas eſſe, ſic et„iam neceſſe eſt, dari lymphaticas arterias inviſibiles, a qui„bus venæ lymphaticæ liquidum accipiunt.“ *f*)

In

HAMBERGERVS in Phyſiolog. Medic. §. 469. ex omnis generis cavo humidum liquidum vehente, ſive ſit arteria, ſive vas ſecernens, vel excretorium, vel aliis uſibus deſtinatum, vaſa lymphatica oriuntur. Idem porro §. 598. Poſt primam in hepate ſecretionem ex ſanguine, fit ſecunda, lymphæ ſcilicet, ex fluido a ſanguine ſecreto, & hæc ultima ex acinorum vaſis; ideo hæc reſpectu primæ ſecretionis ſunt vaſa ſecernentia, reſpectu ſecundæ tantum ſecretoria.

f) BOERHAVE Meth. Stud. Med. ab Hallero evulgat. P. 7. S. 6. c. 2. p. 444. & in Inſtitut. medic. §. 246.

Digitized by Google

In prima vero huius argumenti ſententia occurrere petitionem principii, quis non videt? Si enim nullum vas poteſt deferre verſus cor, quin ab alio vaſe liquidum ſuum deferendum receperit, tunc certe dantur arteriæ lymphaticæ. Dari autem per totum fere corpus venas inhalantes, venas haud ab arteriis origines ducentes, nemo ignorat; & paſſim certe in operibus ſuis Boerhavius ipſe earum meminit.

(B) A multarum in corpore noſtro partium colore, ſectione, obſervatis microſcopicis, iniectionibus, inflammationibus, a rei denique ratione, multas eſſe arterias liquores ſanguine rubro ſubtiliores vehentes pellucidos, omnino comprobari videtur. Et hinc non nullis veriſimile videri poteſt, venas lymphaticas valvuloſas, quæ ſimiles humores adferunt, ab hiſce arteriis accepiſſe.

Hoc vero ſtatuere minime licet, niſi prius demonſtratum ſit, humores hoſce pellucidos haud per alias venas ad cor deferri, niſi nexus, qui inter arterias lymphaticas venasque lymphaticas valvuloſas intercedat, experimentis oſtendatur; vel denique evictum ſit, venas lymphaticas valvuloſas ab alio fonte primum ſuum exortum ducere non poſſe.

Humores vero pellucidos, per venas valvulis deſtitutas, in ſanguinis maſſam, multis in corporis locis, redire, non tantum inflammationes & iniectiones monſtrant; ſed minus certa fide conſtat, an in cerebro v. c. ubi forte plures quam in toto reliquo corpore arteriæ ſubtiliſſimæ adſunt, reperiantur venæ valvuloſæ. Anatomici certe recentiores accuratiſſimi eas fruſtra quæſiverunt. *g*) Hinc ex harum partium analogia ratiocinanti colligitur, humores ſanguine rubro tenuiores, reliquis etiam in corporis locis, per venas pellucidas, ſed valvulis deſtitutas, venis ſanguineis reddi.

De Propoſitione 2da & 3tia ex ordine enarrato fuſius poſtea agetur.

(C) Contenderunt etiam, tales arterias & venas lymphaticas hiſce reſpondentes omnino neceſſarias eſſe, ut fluidum, ex quo

g) Vid. HALLER, in method. ſtud. medic. P. 7. Sect. 6. C. 2. & in Pr. Lin. Phyſiolog. §. 51.

Digitized by Google

quo lympha ablata eſt, minimum ad tempus fiat ſpecifice gravius, *h*) ut ſecretiones rite peragantur; vel ne nimium in venis ſanguineis abundet lympha, ex motu in iis lentiore noxia futura. *i*)

Hypotheſibus huiusmodi, quæ vix veri ſpeciem præ ſe ferunt, argumenta varia opponere non opus eſt. Nam ex anatome comparata ſatis refelli poſſunt: in avibus ſcilicet eædem fere ac in homine peraguntur ſecretiones, ſanguinis venoſi motus in iis etiam lentus eſt, vaſa tamen lymphatica valvuloſa iis deſunt.

(D) Poſt mortem & quoddam per tempus perſtare lymphæ motum animadvertitur. Huiusce rationem ita explicant auctores, quod poſt mortem cordis ſiniſter ventriculus diutius pulſare perſiſtit, quam ullus ſanguis ei a pulmone transmittitur. *k*) Si vero nullus ſanguis ei transmittatur, qualem, quæſo, liquorem expellit? Si expellat, motus ſanguinis in venis rubris cur non etiam perſtat? Denique, hypotheſis hæc accuratioribus ill. Halleri obſervatis adverſatur. *l*) Si vero lymphaticas inhalare ponas, tunc rei ratio haud tam obſcura videtur. Dum enim vaſorum & fibrarum animalium vis contractilis obtinet, qua, dum calet animal, gaudent, humores ab earum oſculis patulis ſorpti moveri pergunt.

(E) Aqua etiam ſtatim poſt mortem iniecta, dum calet adhuc animal, felicius repleri poſſe vaſa lymphatica, obſervat Nuckius. *m*) Reliquas vero corporis venas ſtatim poſt mortem felicius repleri, neque a Nuckio animadvertitur, neque apud alios auctores certa fide, quatenus novi, conſtat. Quam ob rem in continuatione vaſorum rei ratio non occurrit: ex ſupra dictis vero clare patet. Celluloſæ ſcilicet & corporis cava aquis inflantur, quæ ab oſculis venarum lymphaticarum hiantibus avide abreptæ, vi partium contractili promoventur.

 (F) Re-

h) HAMBERGERVS in Phyſ. medic. §. 474.
i) COWPER, in Introduction to Bidloos Tables.
k) LISTER, de Humoribus, cap. 22. p. 197.
l) Vid. HALLERI Experim. in Act. Göttingenſ. Tom. I.
m) NVCKIVS in Adenographia.

Digitized by Google

(F) Reliquæ venæ, quas ab arteriis produci certo novimus, hiſce tantum in locis, ubi vel vagis muſculorum ſuccuſſibus ſubiiciuntur, vel arteriarum ictibus exponuntur, vel denique ubi metuendum eſſet, ne a compreſſione valida externa humorum cor verſus progreſſus impediretur, valvulis donantur. Hinc encephali, thoracis & abdominis venæ in genere *n*) valvulis deſtituuntur. Venæ autem lymphaticæ, non tantum in ramis ſuis magnis, ſed & in minoribus, quousque eas unquam proſequi poſſem, & uti a vaſorum lacteorum analogia *o*) veriſimile mihi videtur, haud procul etiam ab origine ſua, valvulis creberrimis ſtipantur *p*).

Per-

---

n) In genere loquimur. Valvulæ enim ad venæ coronariæ oſtium, ad venæ cavæ inferioris in auriculam cordis inſertionem, in venis ſpermaticis, & in vena azyga reperiuntur. Et in venæ azygæ curvatura, ad pollicis circiter ab oſtio eius in cavam ſuperiorem diſtantiam, in pluribus cadaveribus binas valvulas inveni; quarum memini, quoniam ab ill. Hallero negantur, vel ſaltem in dubium revocantur. In prima enim Prim. Lin. Phyſiolog. editione, valvulas in azyga ſe numquam vidiſſe profitetur; & in ultima editione hæc habet (§. 53.): In azyga, ſed raro, viſæ ſunt, valvulæ ſcilicet.

o) Valet apud anatomicos opinio, valvuloſa tantum eſſe vaſa lactea, quum primum ab inteſtino receſſerint; quam fovet etiam Haller in Prim. Lin. Phyſiolog. §. 720. Undenam ortus ſit hic error, intelligere nequeo. In tribus enim cadaveribus, in quibus vaſa lactea, inter tunicas inteſtinorum decurrentia, mercurio ac aliis fluidis replevi, ingentem valvularum numerum offendi, quæ fluidis retropulſis pertinaciſſime ſeſe obiiciebant.

p) Vaſa lymphatica ſuperficiei pulmonis reticulata ſine valvulis, cel. Ferrein demonſtraſſe perhibetur; quod tamen tantum abeſt ut ab aliis anatomicis firmetur, ut omnes vaſa lymphatica pulmonum ac in aliis partibus valvulis crebris ornata deſcripſerint. v. KAAV BOERHAVE de Perſpir. dicta Hippocr. §. 627. Et in canibus vivis vaſa lymphatica pulmonum valvuloſa vidi; & in hominis cadavere, aerem, mercurium, & ceram, in chyli receptaculum dictum, & ductum thoracicum ſæpiſſime infudi, nunquam vero tam felici mihi eſſe contigit, ut vaſa lymphatica pulmonum ingrederetur, ſed valvulis obſtantibus, vel ad eorum in ductum thoracicum inſertionem, vel

haud

Digitized by Google

Perplures vero valvulæ quid efficere valeant, conſiderandum eſt, ut ſingularis prorſus fabricæ cauſa clarius pateſcat. A Phyſiologicis enim obſcure ſatis expediri ſolet. Multi quidem valvularum venoſarum uſum in genere expoſuerunt; rationem vero, ob quam adeo ſtipentur valvulis vaſa hæc, intactam reliquerunt. *q*) Reperiuntur quidem, qui rem diſertis verbis tractarunt, ſed qui eam acu tetigiſſe vix videntur. Ita Nuckius dilatationi pariter ac contractioni deſtinatas eſſe valvulas coniecit: *r*) valvulasque lymphaticorum, tanquam totidem exiguos muſculos, primi impellentis motum continuantes, conſiderarunt Liſterus & Bergerus. *ſ*) Ac haud ita pridem Cel. Hambergerus, reiectis aliorum de hac re ſententiis, genuinum earum uſum ſe primum oſtendiſſe iactat. Quem ita exponit: quod debiles admodum, adeoque tenuiſſimi parietes vaſorum lacteorum eſſe debebant, ne actioni chyli in tunicam inteſtinorum villoſam ex adhæſione, qua vaſa chylifera replentur, elatere ſuo reſiſterent: hinc valvulis crebris donantur, quibus aptiſſime eorum tunicæ, alias nimis debiles, roborantur, ut extenſio harum nimia impediatur. *t*) Valvulas vero haſce, inter cauſas motum chyli determinantes, non retulit: quia alias vires ſufficientes chyli retrogreſſum actu impedientes adeſſe credidit. Et hæ vires ſi non ſuffeciſſent, unica tantum valvula, in quolibet vaſorum lacteorum trunco, ex inteſtinis prodeunte, proxime ad inteſtina fuiſſet neceſſaria; omnes igitur, aut ſaltem pleraſque, cæteras ſuperfluas eſſe profert. *u*)

 Cau-

haud procul ab ea, materia iniecta ſemper conſtitit. Præterea, qui talia detexerit vaſa, ſine dubio liquores curſu retrogrado inieciſſet, ut eorum diſtributionem & primas origines exploraret & detegeret; de quibus tamen altum eſt ſilentium, vid. Ferrein apud Montagnat. Lettre ſur un nouveau genre des vaiſſeaux & dans les mem. de l'Acad. des ſciences.

q) HALLER. in Prim. Lin. Phyſiol. §. 55 56. 720.

r) NVCKIVS in Adenogr. Cap. 3. p. 44.

ſ) LISTER de Humor. C. 23. p. 230. BERG. in Phyſ. Med. pag. 83.

t) HAMBERGERVS in Phyſiol. Med. §. 775.

u) HAMBERG. Phyſiolog. Med. §. 774.

Digitized by Google

Cauſas vero, ob quas tenuiſſimi debilesque admodum eſſe debent vaſorum lacteorum parietes, nec ſatis apertas reddidit, nec adeo debiles eſſe monſtrant experimenta, vel eorum poſt mortem ſpontanea evacuatio. Fac vero, tenuiſſimas debiliſſimasque eorum tunicas eſſe oportere: valvulas ideo geminatas crebras, ad ea roboranda, naturam in auxilium vocare, nullo modo cum eius ſimplicitate ac ſapientia congruit. Has enim, ſi nihil fluidorum progreſſum iuvent, illum impedire, ſeſeque fluidis ingreſſum quærentibus obiicere, patet. Sphincteres igitur, vel fibræ tendineæ, tunicis eorum externis circumiectæ, eumdem effectum, aptius multo, præſtitiſſent. Quo præterea in loco maxima ſit fluidi pertranſeuntis copia & velocitas, & exinde maxima tunicarum diſtractio, id eſt in ductu thoracico, maximus eſſet valvularum numerus; in eo vero longioribus multo intervallis diſtant valvulæ, ut vix unquam ultra octo vel novem valvularum paria in eo viderim.

Sed profecto nihil opus eſt, ad cauſas has obſcuras confugere, quum vaſorum horum decurſus, in quo arteriarum, circa quas ludunt, ictibus, muſculorumque ſuccuſſibus, ſingulari prorſus ratione obiiciuntur, cur adeo ſtipentur valvulæ, nobis ipſe indigitet. Siquidem per totum ſuum tractum, uno eodemque tempore comprimerentur, una quidem valvula idem ac magna valvularum copia effiœeret. Quum vero arterias multis in locis tantum pertranſeant, & preſſio externa ad hanc vel ad illam vaſis partem ſolummodo admoveatur: valvulæ longis intervallis diſtantes, ob ſpatii intercepti amplitudinem, & fibrarum longitudinem, facilemque hinc extenſionem, ad fluidi progreſſum adiuvandum vix quidquam contuliſſent. Vibratio enim talis, vel compreſſio, cum magno ſpatio communicata, & hinc pro eiusdem amplitudine diviſa & diminuta, fluido ultra primum valvularum par impellendo inepta fuiſſet. Quo plures vero adſunt valvulæ, & quo magis conſtipantur, eadem fere in ratione augebitur preſſionis externæ effectus. Minima enimvis ſpatiola perexigua, in quæ ſic partiuntur, feriens, valvulas primas fluidum præteragit, cuius refluxum & reditum hæ dein intercipiunt. Hunc itaque

que in finem valvulis creberrimis inſtruuntur, ut omnis organi vicini preſſio aut percuſſio, exigua licet, lympham provehat. Quod non tantum recte cogitandi modo; ſed etiam experimento conſentaneum eſt. Vix enim vas lymphaticum mercurio turgidum manibus contrectari poteſt, quin mercurius propellatur & furſum aſcendat; vena vero rubra, quæ paucioribus valvulis gaudet, multo fortius percutienda comprimendaque eſt, ut idem fiat. Ex hoc etiam ductum thoracicum valvulas pauciores adeptum eſſe videtur, quod arteriæ magnæ parallelus fere & vicinus aſcendat, hincque magna eius portio inter cordis ſyſtolen ſemel & ſimul percutitur.

Ex hiſce perſpicuum fit, vaſa lymphatica virium externarum ope quam maxime indigere, ut rite progrediantur fluida. Indigere vero propter liquoris ſui tenuitatem, & originum ſuarum ab arteriis ſubtilitatem, hincque virium cordis & motus defectum, minime veritati vel veriſimilitudini congruum videtur. Nam encephali præſertim arteriæ in ramos fere ultra imaginandi vim tenues diſperguntur, qui liquidum humore lymphatico multo ſubtilius, & in toto forte corpore ſubtiliſſimum, tenent, qui vero haud tam ab arteriarum pulſu aut contractione promovetur, ac in aliis corporis locis; quoniam earum tunicæ egregie tenuiores, quam alibi deprehenduntur, & pulſu debili ſi ullo agitantur, neque progreſſus eius a muſculorum vibrationibus adiuvatur: venæ tamen hiſce arteriis reſpondentes nullis omnino valvulis muniuntur. Nec quidem in ductibus glandularum excretoriis, ubi liquorum motus quam maxime languet, reperiuntur valvulæ: nihil enim obſtat, quo minus liquores in eos iniecti in arterias repellantur. *x*) Exinde apertum fit, motum tam languidum ab arteriarum in ramos ſubtiles diviſione non oriri, ut valvularum ope natura uti cogatur, in curſu humorum dirigendo & promovendo. Hinc valvularum ingens in venis lymphaticis numerus indicare videtur, vaſa hæc, aut ab arteriis reflexis

x) vid. NUCKIUM in Adenographia. Sic & ipſe per ductum hepaticum curſu retrogrado venam portarum aqua replevi.

xis efformari, venarum vero inhalantium ſyſtema eſſe, in quibus humores a tunicarum ſuarum contractionibus, & a vicinarum preſſione cor verſus urgentur; non autem a cordis energia a tergo prementis progreſſum ſuum in primis derivare.

(G) Si ex arteriis reflexis provenirent venæ lymphaticæ, nonne in cerebro etiam adeſſent? *y*) Quum vero compreſſio externa, quæ liquoribus abſorptis propellendis ſufficiat, intra cranium deficere videatur, ideo forte deſunt. Quod, abſorbentes eſſe, aliquanto veriſimilius reddit.

Nunc ad experimenta anatomicorum celebrium examinanda accedimus, quibus arterias lymphaticas, venis hiſce reſpondentes, tam aperte & indubie demonſtraſſe opinio eſt, ut nullus reperiatur, qui hæc experimentis propriis refellere, vel ratiociniis labefactare contenderit. Aerem nempe, aquam, mercurium, vel ceram, in vaſa rubra immiſſum, reditum ſibi per vaſa lymphatica quærere invenerunt; *z*) quod aliter, quam per vaſorum anaſtomoſes & nexus fieri, nemini ſuſpectum habere contigit.

Si vero ad experimenta, uti ab iis ipſis enarrantur, animum advertimus, alia prorſus ratione, ac viſum eſt, venarum

---

y) RIDLEY quidem, & alii nonnulli, vaſa quædam lymphatica in plexu choroideo ſe vidiſſe autumant. Veriſimile vero videtur hydatidibus, quæ hoc in loco non raro reperiuntur, & quæ ſpeciem quamdam lymphaticorum exhibent, hos auctores falli: quum nemo recentiorum fide dignus obſervatis ſuis id confirmaverit. vid. Haller. in prim. lin. Phyſiolog. §. 51. & in Methodo ſtud. med. P. 7. Sect. 6. Cap. 2.

z) In arteriam renalem Nuckius in adenog. p. 61. Cowper on Tab. 43. fig. 5. Bergerus in Phyſiolog. medic. p. 78. Liſter de Humorib. C. 20.

In venam renalem Nuckius p. 61. Cowper on T. 43. fig. 5. Liſter de Humorib. C. 20.

In art. ſplen. Bartholin. Filius. Nuck. p. 52. Cowper on Bidloo T. 36. fig. 1.

In venam ſplen. Cowper on T. 36. f. 1. Morgagni Adv. Anat. 2. Anim. 47.

In venam ſpermatic. Nuckius p. 53. Cowper on T. 46. & in appendix to Bidloo.

Digitized by Google

rum lymphaticarum repletionem contingere, haud immerito coniicere licet.

(H) Nuckius enim, qui, induſtria ſua, experimentorum numero, & fideli eventus enarratione, optime de hac re meretur, in capite Adenographiæ, quo ſententiam ſuam de harum origine declarat, hæc habet: *a*) „Aere in arteriam ſplenicam adacto, plurimas exiguas in ſuperficie lienis elevari „veſiculas, & ex iisdem veſiculis vaſa prodire lymphatica, flatu „etiam turgida, vidi.“ Ex quo liquet, quod Nuckius etiam aſſenſu ſuo comprobat, in liene haud immediate, ſed intermediis veſiculis ab arteriis oriri. Sed quales, quæſo, hæ ſunt veſiculæ? Veſiculas enim, oculo nudo & tam aperte conſpicuas, præter telæ celluloſæ cellulas, ignoro; & ſpiritus in arteriam ſplenicam fortius adactus, quæ Nuckii ipſiſſima verba ſunt, quam facile in viſceris huius tenerrimi celluloſas irrumpat, neminem expertum latet. Hinc, niſi forte ramos venarum lymphaticarum dilaceratos ingrediatur flatus, ab hoc experimento conſtaret, exortum ſuum primum in liene a celluloſis ducere, i. e. venas eſſe inhalantes.

(I) Accuratiſſimus Morgagni, *b*) aere in venam lienis, quo, uti recte notat, uſus eſt Nuckius, moderate immiſſo, lymphæ ductus ſuperficiem eius perreptantes ſe impleviſſe, nos monet. Quod grave, uti contra nos primo intuitu videri poteſt, teſtimonium, non tantum dilui; ſed in ſententiam receptam firmum ſuppeditare argumentum, oſtendere conabimur. Dum enim attento animo ipſe experimentum ineo, ſequentia occurrunt.

Materia ceracea tenuis, in vituli arteriam ſplenicam immiſſa, hanc in ramos ſubtiliſſimos dividi oſtendit. Aer immiſſus non ſine vi quadam celluloſis immiſcetur; antequam vero immiſceatur, nec vaſa lymphatica ſubingreditur, nec venæ quidem lienalis truncum, per ſinum lienis directione longitudinali

a) NUCKIUS in Adenographia p. 52.
b) MORGAGNI Adv. Anat. 2. Animad. 47.

Digitized by Google

nali latum, turgidum reddere videtur. Merçurius infuſus hæc clarius oculis ſubiicit.

Cera vero, mercurius, vel aer, moderate, immo leniſſime, in venam ſplenicam infuſi, ſtatim omnes lienis cellulas ſubeuntes, ei veſicæ celluloſæ ſpeciem prorſus conciliant, ac ſi pertuſis eiusdem membranis tubulus celluloſis inſereretur: vix vero, ac ne vix quidem, in arteriæ ramos viam retrogradam inveniunt. Venæ trunco in bove per totam ſuam longitudinem inciſo, tunicæ eius ubique foraminibus pertuſæ conſpiciuntur, ad quæ partes lienis rubræ, inſtar tot fungorum, protuberant. Si flatus uni horum foraminum, eadem cum venæ trunco ſervata directione, immittatur, pone venæ truncum per aliud ſtatim egreditur; transverſa vero directione infuſus, cavitates vel cellulas ſubit, quæ libere ſecum invicem communicant. Stylo caute in hæc foramina dimiſſo, & inciſo liene, rubram vel atrorubram ſubſtantiam, membrana tenuiſſima obductam, cernimus, quæ auriculæ cordis in quibusdam animalibus membranam internam quodammodo refert; ſed quæ vix ullam cum venarum tunicis in aliis corporis locis habet ſimilitudinem. Nec regularem ramorum ſeriem deprehendes; ſed cava potius communicantia ubique, & quæ aere turgida, exſiccata, inciſa, cellulas irregulares exhibent. Aqua tepida, in venam lienis, & hinc in haſce cavitates infuſa, liene leniter manibus agitato, vaſa lymphatica ſuperficiem eius perreptantia, & inter tunicas ſita implet: duplici enim in vitulis membrana cingitur; unde forte vulgaris de duplici lienis membrana in homine etiam error emanavit. Nunquam vero vidi aerem inflatum ante hæc replere, quam inter tunicas irruperit; id quod infuſo mercurio clarius evincitur. Hinc forte aqua etiam inter membranas penetraverit prius, quam ea ſubierit; quod tamen utrum evenerit, nec ne, dicere nequeo. Aer autem, vel mercurius, inter tunicas lienis infuſus, vaſa lymphatica faciliſſime replet; ſed per ramorum dilacerationem hoc contingere, aperte & indubie cernitur.

In

In venis hiſce lymphaticis, ubi lien relinquunt, & vaſis magnis rubris ſe ſocias addunt, valvulæ occurrunt, quæ fluidis retrogreſſum vetant. Inter membranas in eius ſuperficie valvulæ etiam reperiuntur; ſed quæ pauciores ſunt, & vix fluido commeatum liberum in omni directione denegant. Hinc, in unum ramum, ſuperficiem lienis perreptantem, immiſſo flatu, magnus venarum lymphaticarum plexus, totum lien circumveſtiens, in conſpectum venit. Numquam vero fluidum ex hoc plexu in cellulas aut cavitates lienis, vel in vaſa lienalia, adigere poſſem. Inde valvulas ad eorum initia adeſſe videtur, quæ humoris curſui dirigendo inſervire poſſunt. In ſuperficiei plexu non adeo forte ſtipantur, quoniam compreſſio inter reſpirationem æquabilis, in omnibus uno eodemque tempore humoris curſum promovet; adſunt iterum plures, quo loco vaſa magna comitantur & ambiunt, ut ab unoquoque arteriarum ictu propelli poſſit humor.

In liene inciſo quamplurima corpuſcula albicantia conſpiciuntur, Malpighio viſa, & pro glandulis habita.

Ex quibus omnibus apertum fit, auctorum experimenta allata, ullum vaſis lymphaticis cum arteriis aut venis rubris lienalibus commercium rectum, vel ramorum anaſtomoſin, comprobare minime: e lienis vero cellulis vaſa lymphatica humores ſuos ſorbere, potius veriſimile reddi.

(K) Haud inepte etiam quæri poteſt, qua ratione mercurius tam facile venas lymphaticas ingrediatur: quum partes eius tanta tenacitate gaudeant, ut vix ab arteriis in venas rubras propelli poſſit. Venas enim lymphaticas, ſi ex arteriis procedant, venis rubris multo tenuiores eſſe, nemo, credo, inficias ibit. *c*) Vel, ſi viæ tam patentes ſunt, cur non etiam ſanguis ruber eaſdem in vivo repetit? Hoc noxium futurum

c) Si etiam verum eſſet, globulos in Lympha conſpici poſſe, quorum 36. globulorum rubrum efficerent: ex hoc tamen globuli rubri, vel arteriæ ultimæ rubræ, diameter, globuli lymphatici vel arteriæ ultimæ lymphaticæ diametro ter & amplius maior eſſet.

Digitized by Google

turum eſſe, vel variis pororum & particularum figuris deberi, vix ullus puto hodie cum Nuckio reſpondebit. *d*) Hæc enim iam dudum exſibilantur.

(L) Cowperus vero experimentum adtulit, *e*) & ex quo, uti videtur, potiſſimum collegit, quæ de vaſis hiſce & de eorum ortu venditat, quod rei cauſam multo obſcuriorem reddit; ſe, ſcilicet, ſæpius, ſed irrito conatu, mercurium ab arteria ſpermatica in venam comitem impellere, vel ex hac in illam repellere, tentaſſe; ex vena vero ſpermatica haud difficulter in vaſa lymphatica mercurium penetraſſe.

Ex quo igitur conſtat, vias inter venam ſpermaticam & vaſa lymphatica magis patulas eſſe, quam inter venam ſpermaticam arteriamque comitem, ex qua tamen globulos ſanguinis rubros accipit, qui proinde in vivis ſemper in funiculi ſpermatici vaſis lymphaticis invenirentur; vel, aucta nimis mercurii preſſione, extra venam prorupiſſe, dein ſe in lymphatica inſinuaſſe. Et hac, non illa vero ratione, ſe rem habere, ſæpe numero expertus vidi. Dum enim mercurii altitudinem inſtrumento apto lente augerem, ex arteria ſpermatica in venam ſociam tandem impuli; ſed, ſi nulla eſſet vaſorum ruptura, aut mercurii effuſio, vacua manebant vaſa lymphatica: ruptis autem, vel caſu, vel conſilio, intra teſticuli tunicas arteriæ ramis, vix in venam penetravit; ſed lymphatica mercurio turgida brevi in conſpectum venerunt.

Ex hoc experimento lucem accipit, quod merito quibusdam paradoxon viſum eſt: *f*) liquoribus rubras in venas ſcilicet infuſis, vaſa lymphatica repleri. Parum enim refert, utrum in arterias, an in venas iniiciantur fluida; ſi ab extravaſatione tantum hæc repleri poſſint.

(M) Theoriam ſuam de variis pororum & particularum figuris, Nuckius obſervatione tuetur, quæ ægrius ex ſententia recepta pateſcere poteſt. „Mercurius nempe, licet admo-„dum

d) NUCKIUS in Adenog. p. 53.
e) Cowper on Bidloo T. 46. & in append.
f) Illuſt. Haller.

Digitized by Google

„dum mobilis, in arteriam ſplenicam iniectus, nullo modo „lymphatica lienem perreptantia ſubingreditur, quum tamen „infuſus aer haud difficulter ea diſtendat; contra variis aliis in „partibus nihil plane valet aer, in quibus tamen mercurius „facilem viam invenit“ *g*). Si enim vaſa lymphatica ex arteriarum ramuſculis reflexis producerentur: tum fluidum ſubtiliſſimum & tenuiſſimum, ſive aer, ſive mercurius eſſet, ſemper & in omni caſu facilius in ea penetraret & repleret. Puta vero in celluloſas delabi oportere fluidum, antequam ea ſubeat: tum in viſcus laxioris & debilioris fabricæ, qualis eſt lien, experimento capto, aeris infuſio, quæ vaſis diſrumpendis ſufficit, nec tamen ea ad ſe invicem adprimit nimis & arctat, felicius cedet; contra in aliis firmioris fortiorisque compagis partibus nihil plane valet aer, quoniam tanta vi inflari nequit, niſi machina adhibeatur, ut in telam celluloſam irrumpat; & hinc mercurius, ex pondere ſuo, aptius uſurpatur.

(N) Medicus Berolinenſis *h*), vir etiam in re anatomica peritus, hepar ex infante mihi monſtravit, in cuius ſuperficie vaſa lymphatica valvuloſa, cera, quam in arteriam hepaticam iniecerat, turgida, clare cerni adfirmabat; nullam vero adparere vaſorum rupturam, vel ceræ effuſionem. Fallaciam vero hanc, quæ viro probo impoſuerat, accurata rei contemplatio haud difficulter ſane detexit. Si enim ab arteriis continuo ductu in venas lymphaticas tranſiiſſet cera, ramuſculos certe arteriæ hepaticæ ſubtiliter repleviſſet; porro & arteriæ & venarum lymphaticarum rami cera turgidi clare ſe invicem diſtinguendos obtuliſſent, illius enim rami ubique cylindraceos & æquales, harum vero rami & ramuſculi omnes nodoſos & valvulis interruptos, ſeſe indicaſſent.

In hoc vero præparato, cera vaſa ſubtiliſſima minime impleverat; ſed craſſiora tantum ſubiiſſe videbatur. Arteriæ & venæ

g) NUCKIUS in Adenographia p. 54.

h) D. Dr. LOESECKE, quem nuper fato functum boni omnes ac medicinæ cultores merito lugent.

venæ valvuloſæ lymphaticæ notis ſuis diſcernendæ non aderant: nam, ſi in una parte vas quoddam venæ lymphaticæ nodoſæ ſpeciem præ ſe ferret; in alia, vel in aliis eiusdem ramis, cylindraceum, nodis haud inſignitum, adparuit. Unde ultra dubii veſtigium comprobatur, ſpeciem hanc in quibusdam partibus, fluidis ſolummodo aquoſis, iniectioni ceraceæ commiſtis, & inter partes eius interceptis, deberi. Quod haud raro contingere, ab iis, qui iniectiones exercent, iam dudum obſervatum & cognitum fuit *i*).

(O) Vaſa hepatis lymphatica in vivo turgere; ſi modo venæ portarum ligatura iniiciatur, tradunt Diemerbroeckius & Heiſterus *k*). Tam longe vero abeſt hoc experimentum a comprobandi virtute, hæc a vaſis ſanguineis produci, ut omnino contrarium monſtret. Vena portarum enim pro arteria hepatis maxima haberi poteſt, ex qua, ſi ex vaſis ſanguineis exorirentur lymphatica, maximus eorum numerus prodiret. Ligatura vero arteriæ num aliquid facit in ramuſculis eius turgidis reddendis? Fac etiam, ab Aortæ ramis tantummodo provenire lymphatica, hinc in hepate ab arteria hepatica dicta derivari: ligatura ſane venæ portarum iniecta efficeret, ut ſanguini ex arteria hac in cavæ ramos properanti minor eſſet reſiſtentia; hinc minor fluidi in ea determinatio. Finge vero, lymphaticas abſorbere: tunc & phænomeni ratio aperitur. A dolore enim, & ſumma anxietate animali illata, omnes eius vires excitantur; fibræ & vaſa fortius contractiones, quibus donantur, exercent; muſculi in vibrationes fortes crebrasque concitantur, quibus fluida, quæ harum origines

---

i) vid. Monro on the art of injecting in the Edinburgh Med. Eſſ. V. 1. art. 9. p. 88.

k) DIEMERBROECKIUS in anat. C. 13. De vaſis lymphaticis & de lympha. Si ligatura inter ventriculum & hepar fiat, qua ſimul vena portæ cum ductu biliario comprehendatur; mox enim, dummodo in animali vivo hoc tentetur, inter ligaturam & hepar fit horum vaſculorum intumeſcentia, quæ multum increſcit; ſi hepar manu leviter prematur. vid. etiam Heiſter. in Compend. anatom. §. 217.

Digitized by Google

nes hauriunt, celerius promoventur; dum ſimul etiam impeditur lymphæ progreſſus a ligatura, quæ venæ portarum iniici nequit, quin lymphaticarum ramos magnos, quæ eam cingunt & amplectuntur, comprehendat.

Et a preſſione externa potius, quam a fluidi per arteriam hepaticam velocitate aucta, repleri, ab ipſo Diemerbroeckio in loco citato comprobatur. Intumeſcentiam enim multum increſcere, ſi hepar manu leviter prematur, animadvertit.

(P) Funiculum quoque ſpermaticum vinculo conſtringi, teſtes dein agitari & comprimi iubent *l*), ut turgida ſe clare conſpectui ſubiiciant vaſa teſtium lymphatica; quod, niſi ratione iam nunc prædicta, ægre ſane explicari poteſt.

(Q) Porro, leni compreſſione & agitatione, vaſa lymphatica in viſceribus etiam corpore exſectis in conſpectum duci, & Graafius, & Ruyſchius docet *m*). Tam parca vero humoris copia in arteriis, poſt mortem, & poſt exciſionem ſupereſt, ut vix putari queat, per compreſſionem & agitationem ex arteriis in venas lymphaticas urgeri; ſed in cellulis & cavis latitantem harum oſtia ingredi, in oſtia & in ramos minores ingreſſum propelli. Quæ ſic fieri, plus quam veriſimile ſubſequentia reddunt.

(R) Ovis liene, ſcilicet, diu in aquis macerato, vaſa eius lymphatica aqua impleri & turgere Malpighius vidit *n*). Quod idem mihi obſervatum eſt, dum porci teſticulum in aquam per dies aliquot immiſſum leniter agitarem. Neque coniicere licet, hoc humori in arteriis, vel in venarum lymphaticarum initiis, prius latenti, nunc vero in ramos maiores adacto, deberi. Antequam enim omnes celluloſæ aquis inflatæ

l) GRAAF de viror. organ. genital. p. 36. DIEMERBROECK in Anat. C. 22. hæc habet: „ſi aliquanto ſupra teſticulos vaſa „ſanguifera ligentur, tuncque teſtes agitentur, mox obſervabuntur vaſa lymphatica intumeſcere.

m) GRAAF de viror. org. genit. p. 36. RUYSCHIUS de ſplenis lymphæ ductibus.

n) MALPIGHIUS de ſtructura glandul. conglobat.

inflatæ ſunt, compreſſio, vel agitatio ad ea replenda, nihil valuit.

(S) Apud plures auctores legimus, mercurium, aut ceram, in arterias meſentericas adactam, vaſa ipſa lactea proſpere repleviſſe *o*); etiamque adfirmare haud dubitarunt, ſuper inteſtina ipſa, immediatum inter arterias meſentericas venasque lacteas dari commercium *p*). Inde, quum ſimili omnino fabrica gaudeant venæ lymphaticæ, non ſine veriſimilitudinis quadam ſpecie aliquis forte opinari poteſt, his etiam tale cum arteriis eſſe commercium, vel arterias dari lymphaticas, unde, in quibusdam ſaltem locis, venæ lymphaticæ ortum ſuum ſumant. Quum vero tam in aperto, tam apud omnes in confeſſo ſit, venarum lactearum eum eſſe uſum, ut chylum ab inteſtinorum cavo abſorbeant; hauſtum in ſanguinem deferant: patet omnino, nexum, ſi ullus iis cum arteriis intercedat, uſus tantum ſecundarii eſſe poſſe. Proinde, ſi liquores in arterias immiſſi in venas etiam lymphaticas ſine effuſione tranſirent; quod tamen nondum certo eſſe factum demonſtrare laboravimus: ab analogia oſtenderet tantum, valere inter illas, ut inter venas lacteas, in progreſſu ſuo commercium & communicationem uſus ſecundarii cum arteriis. Nos vero experimentum hocce de commercio inter arterias venasque lacteas ineuntes, eventus ad corollarium huic ex diametro oppoſitum duxit, uti iamiam explicandum veniet.

(T) Supra commemoravimus, nos ſæpiſſime mercurium in

---

o) TYSON of the ourang outang p. 35. COWPER on BIDLOO Tab. 46. MANGETUS in Theatro Anatom. p. 168. & nuper TARIN in Problem. Anatom. Utrum ſcilicet, inter arterias meſentericas, venasque lacteas, immediatum detur commercium.

p) COWPER in Phil. Trans. No. 220. or in Lowthorps Abridg. v. 3. p. 109. The lymphatics derived from the extremities of the arteries join with the lacteals before they leave the external ſurface of the inteſtines. Tarin. l. c. Quum vaſa lactea primi generis per aortæ truncum materia ceracea repleviſſet, exinde, dari iis cum arteriis commercium immediatum, conſtare, profert.

Digitized by Google

in arterias, ſenſim aucto eiusdem pondere, immiſiſſe; numquam vero tam fauſto eventu, ut in venas lymphaticas, vaſis integris, tranſiret: extravaſatione autem facta, ſive in arterias venaſve, ſive in ductus excretorios, ſive in ipſas celluloſas, infunderetur, venas lymphaticas repleri poſſe.

Quod experimenti genus, variis in viſceribus, variisque infuſis liquoribus, ſimili omnino cum eventu perpetuo nobis ceſſit.

De experimentis in hominis & quadrupedum teſticulis ſumtis, in diſſertatione inaugurali fuſius diximus; & ſupra quædam etiam ad literam L.

Experimenta in liene vitulino ad literam I. videre licet.

In hepate etiam inſtitutis par fuit ſucceſſus. Poſt ſubtilem, ſcilicet, ſed iuſtam repletionem, nulla in conſpectum prodierunt vaſa lymphatica. Subito vero ac violenter in hominis arteriam hepaticam immiſſa cera, vaſisque diſruptis, vaſa lymphatica, venæ portarum, veſicæque felleæ tunicas perreptantia, inque partis hepatis inferioris ſulcis ſita, bis egregie replevi. Neque ab arteriarum ſurculis origines ſuas ducere, exinde certa fide conſtitit, quod arteriarum rami tenuiores ceram non admiſerant, &, dum eorum origines cultro explorarem, ramos nullos valde ſubtiles deprehendi; ſed variis in locis, & in hepatis ipſius ſubſtantia, & inter veſicæ felleæ tunicas celluloſas, materia effuſa plenas, ex quibus in vaſorum lymphaticorum ramos, evidenter dilaceratos, ceram urgere potui.

Conſimili prorſus ratione, infuſa, ſcilicet, vehementer in hominis aortam materie glutinoſa, cinnabare tincta, ventriculi ipſius & inteſtinorum quamplurima vaſa lactea primi generis, inter tunicas eorum decurrentia, replevi.

Et quidem in ventriculi latere anteriore plexum vaſorum lacteorum inſignem animadverti, cuius ramuſculi in plures ramos maiores concurrentes, inter tunicam externam & muſcularem, ad curvaturam eius minorem aſcendebant, ibique ex ventriculi tunicis emergebant. Ubinam vero finirentur, pro certo dicere nequeo. Nam propter fluidi extravaſati

Digitized by Google

copiam, eos ulterius perſequi non potui. Quum autem in venas gaſtricas rubras minores non insererentur; & in venæ gaſtricæ ſuperioris truncum terminari veriſimilitudini repugnet: in ductum ideo thoracicum deſinere, mihi omnino vero propius videtur.

In inteſtinis tenuibus plurima vaſa lactea materiem coloratam receperant. In inteſtinis craſſis unicum tantum, ad curvaturam coli ſiniſtri lateris ſuperiorem, deprehendi: quamquam, inteſtina craſſa multis vaſis lacteis donari, certo novi.

Vaſa hæc lactea ſeu valvuloſa eſſe, eorum decurſus, ſpecies nodoſa, & hoc porro, tam certum quam quod certiſſimum effecit, quod materies ſemifluida in ramos maiores facillime propelli, ſed non repelli in minores potuit. Per extravaſationem repleri, indubium fuit: quoniam, in quo loco effuſa fuerit materies, ex eo tantum proveniebant; & nonnullis in partibus, ramos tantum craſſiores ſubierat materies, quæ etiam ex celluloſa poterat in eos urgeri.

Ex quibus iure meritoque colligere licet, *nullum inter arterias meſeraicas venasque lacteas immediatum ſuper inteſtina ipſa dari commercium;* ut celeberrimi quidam anatomici venditarunt q), ſimili forte experimento decepti. Nec, dum materies ceracea ex arteriis in vaſa lactea ſecundi generis tranſit, anaſtomoſes ideo ſubtiles ramuſculorum quærere licet. Hoc enim per extravaſationem intra glandulas conglobatas meſentericas contingere poſſe, longum eſt ex quo obſervavi r).

Hæc experimenta auctores ſaltem refellunt, qui a fluidorum in arterias immiſſione, & ſubſequente vaſorum lymphaticorum repletione, arterias lymphaticas indubie demonſtrari contendunt.

Hæc vero ſimul commonſtrare, a cavis & a celluloſis vaſa lym-

q) TYSON, COWPER, MANGET, & TARIN ſupra citati.

r) Præparata hæc vaſorum teſticuli, lienis, hepatisque lymphaticorum: ventriculi inteſtinorumque lacteorum, liquoribus aptis condita conſervamus; pluribusque Berolini demonſtravimus.

Digitized by Google

lymphatica origines ſuas primas ducere, i. e. oſtia vaſorum lymphaticorum patula in hæc hiantia, & primos eorumdem fontes ac exortus, invenire & ſubire fluida arte infuſa; promulgare non audemus. In quibusdam experimentis veri quamdam quidem ſpeciem præ ſe fert; in reliquis vero clare patet, tenerrimos horum vaſorum ramuſculos dilacerari, & per ramuſculos dilaceratos aditum ſibi quærere fluidum; quapropter in illis etiam idem contingere, omnino credibile ſit. Et ſemel ingreſſus mercurius, facile, ob valvulas, ulterius ulteriusque propelli poteſt.

(U) Lympha ex proximo de arteriis educi creditur; quum coloris flaveſcentis & aliquando rubicundi deprehendatur *s*). Hoc quidem vel ex eo oritur, quod arteriarum fines, qui venarum lymphaticarum principia finguntur, tantum dilatantur & ampliantur, ut tales globulos admittant; vel, quod arteriarum rami laterales, in celluloſas & in cava exhalantes eos in hæc dilabi ſinunt. Hoc vero, æque ac illud, veriſimile adparet, variisque in corporis locis ſæpe contingere novimus.

Et ab extravaſatione, aliquando ſaltem, lympham & chylum colorem rubicundum mutuare, vel ſanguinolentum evadere, Wepferi *t*) experimentum quoddam confirmare videtur. Cani ſcilicet maiori mercurii ſublimati drachmam cum mica panis in bolum redactam, hora octava matutina exhibuit. Vix quadrante horæ elapſo, magno nixu vomere coepit. Circa horam nonam mucum cruore tinctum, poſtea magis magisque cruentum, & ultima vice atro rubeſcentem, evomuit. Circa ſextam veſpertinam fæces cruentas excrevit, poſtea nigras & piceas. Poſtridie in ſtabulo canem mortuum invenit. Ductus thoracicus, & chyli receptaculum, lympha cruenta plena erant. Sed, aperto abdomine, plurimum ſanguinis extravaſati inter hepar & ventriculum in hypochondrio ſiniſtro, ut & intra duplicaturam omenti circa ventricu-

 lum,

s) HALLER in pr. lin. Phyſiolog. §. 181.
t) WEPFERUS de Cicuta aquat. p. 300. 1. 2.

Digitized by Google

lum, invenit. Ventriculus muco cruento ſpumeo viſcido plenus; ſimilis mucus in toto reliquo inteſtinorum ductu conſpiciebatur; in recto fæces pice nigriores. Ablata tunica fibroſa gulæ & ventriculi, inter illam & tunicam nerveam, ſanguinem grumoſum extravaſatum in plurimis locis reperit, ut & in pleriſque inteſtinis inter has tunicas. In ſanguinis extravaſatione igitur, lymphæ cruentæ cauſam quærere licet. Nam a vi tam vehementi tamque ſubito admota, rumpuntur vaſa, tantumque dilatari patiuntur minime. Experimenta vero prædicta monſtrant, facile ab extravaſatione impleri poſſe vaſa lymphatica, ut & lactea.

(V) Nec valida contra ſententiam noſtram exiſteret obiectio, lympham ſcilicet, in venis lymphaticis *valvuloſis*, & humores in variis corporis cavis & in eius ſuperficiem, in omnibus ſuis dotibus haud convenire. Maxima quippe & tenuior pars, per venarum rubrarum ramos inhalantes, qui ubique ſcatent *u*), abripitur; dum certa tantum portio a venis lymphaticis ſorbetur, quam præterea per abſorptionem & tranſitum per has mutari, & alias dotes acquirere, veriſimilitudini minime adverſatur.

Circumſpectis experimentis & argumentis variis pro arteriis lymphaticis venis lymphaticis valvuloſis reſpondentibus, rationibusque ſubductis, ſententiam hanc iis non tantum non ſtabiliri; ſed & hæc etiam, eas abſorbere, haud levem ſuſpicionem iniicere, oſtendere operam dedimus. Supereſt, ut demonſtremus, oſtiolis eas patulis, multis in corporis locis, fluida haurire.

(W) Et, quod omnino admiratione dignum eſt, auctores ipſi, qui acriter pro arteriis lymphaticis, uti primis venarum lymphaticarum fontibus, pugnant, experimenta nihilominus tradunt, quæ has ex cavis humores ſorbere ſatis evincunt; quamquam talem concluſionem haud collegerunt. Ita Nuckius *x*), in capite, cui titulus eſt, de vaſorum lymphaticorum ori-

u) Vide in primis Abr. Kaau Boerh. de perſpiratione.

x) NUCKIUS in adenographia.

Digitized by Google

origine, ea, ſi quæ de lymphaticis lienis coniecerit excipias, in genere ex arteriis derivat; poſtea vero vaſa renum lymphatica, per fluidi in ureterem & in pelvim renum infuſionem, replere docet; & porro animadvertit, ſe huius experimenti ſucceſſum magis optatum vidiſſe, ſi primum vaſa renum arterioſa & venoſa cera repleta fuerint *y*). Hoc vero, ſi ex hiſce origines ſuas duxerint vaſa lymphatica, plane contingere non poſſe, nemo non videt.

(X) *Cowperus* etiam vaſorum lymphaticorum origines a vaſis ſanguineis repetit *z*); & tamen per ductus biliarios, per ureterem, & a penis cellulis, impleri poſſe tradit *a*).

(Y) Celebris *Ferrein b*) vaſa hepatis lymphatica, fluido in ductus biliarios infuſo, replevit; & quidem ab experimento ſuo colligit, ortus ſuos quadam ex parte a ductuum bilem ferentium initiis ducere.

(Z) *Peyerus* porro, vir fide omnino dignus, lympham nonnullis animalibus circa hepar flaveſcere vidit *c*), cui *Kerckringius* addit, lympham non tantum ſubflavam, ſed etiam amaricantem, in vaſe lymphatico, per ſummam veſicam felleam reptante, ſe reperiſſe. Quæ itidem teſtantur *Sylvius* & *Reverhorſtius d*); claro omnino documento, per vaſa lymphatica bilem reſorberi.

Gg gg 3 (AA)

y) NUCK. in adenograph. C. 6. p. 62.

z) COWPER, in Introduction to Bidloos Tables p. 5. The true origin of the lymphatic veſſels is from the extremity of the blood veſſels.

a) vid. COWPER, explication of Tab. 38. f. 1. Tab. 43. f. 5.

b) FERREIN Hiſt. de l'Acad des Sciences 1733. Les vaiſſeaux lymphatiques du foye tirent en partie leur origine du principe du tuyaux biliaire.

c) I. CONRADUS PEYERUS in meth. hiſt. anatom. medic. Cap. 6. p. 159.

d) FR. SYLVIUS diſp. med. VI. 2. *Reverhorſtius* de motu bilis §. 20.

Digitized by Google

(AA) Ill. *Hallerus e*), & nos etiam *f*), vaſculum ex epidydimide ortum deſcripſimus, quod, niſi ſit vel epidydimidis, præter conſuetudinem, in duos ramos diviſio; vel unum e vaſis ſemen e teſticulo efferentibus a reliquis aberrans, & epidydimidi, ad partem eius mediam, vel inferiorem, coniunctum, quæ prima fuit noſtra ſententia *g*), & cuius non levis iterum ex quibusdam experimentis ſuſpicio incidit: maxime inſigne vaſorum lymphaticorum abſorbentium exemplar ſuppeditat.

(BB) Tam arcta inter venas lacteas & lymphaticas occurrit ſimilitudo, ut, ſi naturæ ſimplicitatem & congruentiam ſpectemus, minime credibile fiat, illas eſſe venas abſorbentes, has vero non eſſe.

(CC) Denique, multis in corporis locis, vaſa lymphatica valvuloſa fluida oſtiis ſuis ſorbere, ſequentia ſatis teſtantur. Teſtantur etiam, plerasque glandulas conglobatas inſignes ſaltem quosdam ramos abſorbentes accipere.

Huius luculentum & notiſſimum exemplar ſuppeditat in primis glandularum conglobatarum inguinalium tumor, bubo dictus, qui coitum impurum adeo frequenter excipit, & qui ſine partium exeſione haud raro invadit, quum primum ſit contagionis indicium.

Si enim venenum cum ſanguinis gyro per totum corpus deferretur, cur inguinales potius, quam axillares, cervicales, aut alias, ſimilis omnino fabricæ, glandulas occupat? Neque ullum eſt, in ſingulari quadam & abdita harum glandularum compage, perfugium. Nam, ſi alia loca primum vitiaverit venenum, non inguinales, ſed vicinæ glandulæ, parti corruptæ & cordi interiectæ, laborant; uti iam iam animadvertendi locus erit.

In venarum igitur lymphaticarum abſorptione, vera ratio collo-

e) HALLERUS in Phil. Trans. N. 494. §. 12.

f) In EDINBURGH. phyſical eſſays v. I. art. 16. & in Diſſert. Inaug. 1755.

g) Diſſert. Inaug. p. 49.

collocanda eſt, quæ a genitalibus ortæ ad glandulas inguinales feruntur. Aliud enim non datur commercium.

(DD) Nec ex alia cauſa fieri, luculenter porro ex eo comprobatur, quod in nutricibus, quæ infantes lue venerea infectos lactitando vitiantur, inter prima contagionis ſigna ſæpe ſe manifeſtant tumores axillares. In infantibus vero, quibuscum nutrices lue laborantes lactitando morbum communicant, primo ſæpenumero invaduntur colli glandulæ conglobatæ *h*).

Lues ſcilicet, venarum lymphaticarum oſtiis hauſta, ad glandulas, per quas tranſeunt venæ lymphaticæ, properat, & in earum anguſtiis hæret. Sic obſtructæ, & abs acri etiam vellicatæ materia glandulæ, in tumores adtolluntur.

(EE) Eiusmodi vero exemplis, ab aliis morbis ductis, rem adhuc illuſtrare, nec inutile, nec a re alienum erit.

In variolarum inſitione, quæ apud nos multum invaluit, plerumque, facta in brachio leviſſima inciſura, filum linteum vel xylinum pure varioloſo imbutum imponunt. Morbo ita arte effecto, ſæpiſſime oriri tumores in axillis, uſu compertum eſt; adeo, ut pro ſigno certiſſimo a multis habeantur, haud fruſtra inſtitutam fuiſſe inſitionem *i*). Et quum per plures annos inciſura tantum in uno brachio, non, uti olim, in utroque peragatur: animadverſum eſt etiam, in quo latere facta ſit inſitio, in eodem glandulas axillares intumeſcere.

Idcirco turgere crediderunt medici, vel quod minori vi foras illic propellatur venenata materies *k*); vel quod fluxionem, uti loqui amant, in partes vicinas inducat inciſio. Tales vero ratiocinationes quam infirmæ, quam parum veriſimiles ſint, unicuique liquet. In glandulis enim lateris inciſi minori vi foras propelli materiam, quam in glandulis alterius late-

---

h) Practicos hæc non latent, & in noſocomiis venereis quotidianis exemplis comprobantur.

i) In primis a Do. Doctore *Archer*, noſocomii varioloſi Londinenſis medico.

k) v. Mead, de variolarum inſitione.

lateris, vel quam in reliquis corporis locis, unde credibile fit? Neque hoc exponit, undenam intumeſcere incipiant, antequam febrem accendat materies, & effectus ſuos in ſanguine & in corde edat. Quid? quod ex levi adeo vulnuſculo ſubſequitur levis inflammatio, quà tantam fluxionem adferri minime fingi poteſt. Nec omnino adfert. Si enim vulnuſculi oras excipias, neque cutis, neque celluloſæ rubent, aut tument, inflammationemque aut ſtimulum oſtendunt; & inciſura, quæ vulgo infra humeri medium inſtituitur, longe a glandulis axillaribus remota eſt. Ad cauſas igitur ambiguas recurrere nihil opus eſt; dum a venarum lymphaticarum inhalatione egregie explicatur phænomenon. Reſorptum ſcilicet venenum, & verſus cor progrediens, glandulis axillaribus, quas venæ lymphaticæ extremitatis ſuperioris ſalutant, tumores efficit.

(FF) Inſigne etiam exemplar vidi, quod luculenter demonſtrat, capitis ſuperficiem venis lymphaticis abſorbentibus obſitam eſſe.

Domina quædam, diu capitis doloribus vexata, medici ſuaſu, emplaſtrum epiſpaſticum ſummo capiti admovit, ut cutem exulceraret, & fonticulum faceret. Exorta vero circa totum collum, præſertim a parte poſteriore, magna glandularum conglobatarum intumeſcentia, wax kernels anglice dicta, emplaſtrum detraxit, tumores hoſce inſolitos cantharidibus tribuens. Remoto, brevi detumuerunt glandulæ. Quum vero alia medicamina fruſtra adhiberet, paulo poſt cantharides iterum in auxilium convocavit, eodem omnino iterum cum eventu. Si quidem glandulæ tantum conglobatæ, ad quas feruntur venæ capitis lymphaticæ, hoc in caſu adficerentur: deberi illud particularum cantharidum acrium & irritantium per venas lymphaticas abſorptioni, & in glandulas conglobatas delationi, ambigi profecto nequit.

(GG) Multa apud auctores exempla proſtant, ubi extremarum corporis partium morbi & ulcera glandulas axillares & inguinales tumoribus ſollicitarunt. Ita in paronychia dolen-

Digitized by Google

lentiſſima, celeb. van Swieten *l*) tumorem ſubito ſub axilla ortum fuiſſe ſæpe vidit; licet in extremo digiti apice hæreret malum. Cuius cauſam ponit, quod in molliſſima pinguedine glandulæ hæreant, a compreſſione muſculorum liberæ, &c. A morbis etiam crurum & femorum glandulas inguinales in tumores adtolli, Ruſſel animadvertit. Cuius rationem a fluxione quadam repetit *m*). Et D. Reymarus, qui diſſertationem eruditam de fungo, vel tumore albo vulgo nobis dicto, articulorum, in qua multas proprias obſervationes habet, meditatur, interrogantem me certiorem fecit, ſe ſæpius vidiſſe glandulas inguinales, ſi hic morbus genu invaderet, tumoribus inflari, qui brevi poſt genu amputationem diſparuerint. Hos tumores a venarum lymphaticarum reſorptione provenire, ex iis, quæ iam diximus, vix in dubium revocari poteſt.

Hiſce exemplis elucet, venas lymphaticas abſorbentes valvuloſas, a capitis ſuperficie, ab oris cavo, a mammis, a corporis extremitatibus dictis, a genitalibus, procedere. Varia inſuper adtulimus, quibus, arterias lymphaticas venis hiſce reſpondentes argumentis minus firmis ſuſtineri, non tantum comprobare conati ſumus; ſed & experimenta ipſa in hunc finem adlata, variaque horum vaſorum phænomena, fabricam & decurſum prorſus ſingularem, lacteorumque analogiam, & naturæ ſimplicitatem ac conſtantiam, veriſimillimum reddere, *vaſa lymphatica valvuloſa per totum corpus venarum abſorbentium ſyſtema efficere.*

CONSECTARIA.

Quum anatomia ad medicinæ praxin, & ad utilitatem reſpicere debeat, conſectaria quædam adnectere, viſum eſt.

(α) Chirurgi quidam, multum in praxi verſati, gonorrhæam virulentam, & luem veneream, quæ præter genitalia omnes fere

l) v. D. van SWIETEN in Boerh. aphor. §. 416. p. 728.

m) RUSSEL on ſea Water p. 47.

Digitized by Google

fere corporis partes adficit, natura ſua prorſus diſcrepare, nec illam in hanc mutari umquam, adſerere non dubitarunt. Diſputarunt etiam, an bubo ad hanc, vel ad illam potius, referri debeat. Ex ſupra dictis vero adparuit, bubonem eſſe materiæ contagioſæ per venas lymphaticas intus ſuſceptæ, & in glandulis conglobatis obſtructæ, effectum. Ex quo igitur demonſtratur nexus inter gonorrhæam virulentam, & luem iam invaleſcentem; quum ſit quaſi medium inter hanc & illam. Si enim omnis materia morboſa in glandula obſtructa hæreat, & ſuppuratione ſuperveniente eiiciatur, æger a lue tutus evadit. Si vero non omnis hæreat; vel ſi bubo diſcutiatur, i. e. ſi venenum procedat, & ſurſum per venas lymphaticas ductumque thoracicum in ſanguinem progrediatur: cum reliquo corpore communicatur malum, & ægrotus lue venerea, vulgo dicta, laborat. Mirum quidem videtur, res experientia quotidiana comprobatas in dubium revocari.

(β) Lues venerea, uti vidimus, per venas lymphaticas ſæpe in corpus ſibi ingreſſum quærit; & in glandulis conglobatis, quas ſalutat, haud raro hæret. Mercurius, nec quatenus ſanguinis velocitatem & vim incitet; nec quatenus particulas morboſas eiiciat: ſed ratione quaſi ſpecifica, ſi practicis nonnullis fides adhiberi debet, huic morbo mederi videtur. Hinc forte haud prorſus inutile eſſet, mercurium & mercurialia loco primario adfecto admovere; quæ, iisdem viis inſiſtendo, veneni vires fortaſſe lenirent, vel delerent, antequam ſanguinem ingrediretur.

(γ) Omnes fere medici, bubonis ſuppurationem potius, quam reſolutionem eiusdem, moliuntur. Hanc enim luis venereæ periculum ægro intentare, experimento compertum eſt. Nuper vero chirurgi quidam, ut minori cum tædio & ægri incommodo ſanitatem reſtituerent, bubones radicitus excidere tentarunt. Et quidem, ſi operatio hæc caute inſtituatur, nam propter arterias venasque vicinas diſcrimine plena eſt, ac antequam glandulæ magnopere intumuerint, non tantum minus tædii & doloris, ſed minorem etiam contagii metum, ægroto incutiet. Nam & materiam iam receptam tollit;

Digitized by Google

tollit; & communicationem ulteriorem veneni per venas lymphaticas intercipit. Quod in primis proficuum erit, ſi ulcuſcula cancri dicti adſint, qui perpetui videntur eſſe morbi fomites, vel quaſi organa venenum venereum conficientia & ſecernentia.

(δ) Apud Auctores, qui de peſte egerunt, frequens occurrit obſervatio, bubones, nimirum peſtiferos, ſuppuratione ſolutos valde ſalutares eſſe. Et, ſi prima infectionis in ægrotante nota fuerit huiusmodi tumoris inexſpectata eruptio; quod quidem & medici Galli, & alii etiam ſpectatæ fidei auctores nobis adſertum reliquerunt *n*); unde veriſimile videatur, ab abſorptione materiæ peſtiferæ per venas lymphaticas hunc provenire: hoc in caſu, exciſionem harum glandularum eximii uſus fore, ſpes eſt. Radicitus enim tollit materiam peſtiferam in glandulis hærentem; obſtat, ne plus eiusdem, hiſce ſaltem viis, ſanguini immiſceatur; & fonticulum, vel ulcus, efficit, per quod corpus a particulis noxiis, iam forte in ſanguinem abreptis, liberari poteſt *o*).

(ε) Peſtem ſæpius glandulas faciei, colli, & extremitatis ſuperioris occupare, quam inguinum & extremitatis inferioris, animadvertitur; ex hoc forte, quod illæ aeri externo plus exponuntur. Hinc corpus bene tectum habere, ad peſtem avertendam quiddam valebit.

(ζ) Corporis inunctionem, quæ venarum lymphaticarum oſtia oppilat, & luis venereæ, & peſtis forte etiam contagium, quatenus per cutim externam ſuſcipitur, depulſuram, non ſine cauſa coniicere licet.

(η) Variolarum inſitio, contagio naturaliter contracto, præter alia multa, in eo præſtat, quod in hoc venenum in aere

Hh hh 2 flu-

n) V. MEAD de natura & origine peſtis.

o) MEAD, de curatione peſtis, hæc habet. Ubi peſtis minus ſævo morſu laceſſit, in molliores decumbit glandulas, quæ ad corporis ſuperficiem prominent, quales ſunt inguinales, axillares &c. Si convaleſcere datur ægrotanti, tumores ii, uti in variolis, legitimam nanciſcuntur ſuppurationem, morboque naturam hac via exonerant.

Digitized by Google

fluctuans in primas vias, inque pulmones, adtrahitur, in quibus latitare & inflammationes & obſtructiones valde periculoſas excitare valet; in inſitione vero arte effecta, vitium organa minoris momenti, & ſubcutanea tantummodo, percurrit, antequam ſanguini immiſceatur. Hinc raro virus organa nobiliora adoritur; ſed cutem, quam hic morbus plus quam alias partes adfectare videtur, petit.

(ϑ) Quam feliciter ceſſerit variolarum inſitio, neminem latet. Morbillorum vero inſitionem multo utiliorem & feliciorem fore, omnino perſuaſum habeo. Nimis enim notum eſt, quam proclivis ſit hic morbus ad pulmones infeſtandos; quantamque exinde ſtragem edat. Hoc primo contagio in aere volitanti, & in pulmonum cellulas inter inſpirandum hauſto; iis tenaciter adhærenti; inflammanti; tuſſim hinc, vel naturæ conatum ad materiam noxiam depellendam, concitanti; magna ex parte deberi videtur. Si vero per inſitionem arte factam inducerentur morbilli, ab inflammatione pulmones magis vacuos fore; & cutim fere tantum morbum invaſurum eſſe, veriſimillimum fit. Hoc ſi ita contingeret, quantum commodi & utilitatis generi humano adferret? Incommodi aut damni nihil adferre poteſt experimentum. Inſitionem fieri poſſe, probabile eſt; ſi tantum puſtulæ, vel maculæ maturæ goſſypio perfricentur, & hoc dein, vel recens, vel vitro accurate obturato immiſſum & conſervatum, vulnuſculo indatur, eadem prorſus ratione, ac materia varioloſa.

(ι) Scrophula glandulas conglobatas & lymphaticas præſertim occupat. Hinc medicamenta externa deobſtruentia & ſtimulantia hoc in morbo in primis profutura cenſendum eſt: quum per venarum lymphaticarum reſorptionem immutata fere ad ipſius ſedem pertingere poſſint; atque exinde ſolida aptius ſtimulare, materiam morboſam efficacius corrigere & mutare valeant, quam remedia interna vulgo adhibita, quæ per longas vaſorum ambages debilitata & permutata, ad loca adfecta tandem feruntur.

(κ) In omnibus denique glandularum conglobatarum adfectibus, multo ſæpius, quam ſolet, in uſum revocanda ſunt remedia externa.

Et

Digitized by Google

Et hæc ſunt, L. B. quæ de venis lymphaticis, & de earum in primis origine, proponenda habuimus. Quæ quam imperfecta ſint, quamque multa iis adiici poſſint, nos non latet. Plura etiam conſideratione digna intacta ſupereſſe videntur; de quibus, ut & de vaſis lacteis, & de glandulis conglobatis, quædam olim diſſerere in animo conſtituimus: quum nos non parum incitent & adiuvent experimenta nonnulla, proſpere omnino inſtituta, quibus, vaſa lymphatica, glandulasque lymphaticas; lactea inſuper, non tantum ſuper ventriculum & inteſtina decurrentia, ſed ea quoque quæ inteſtinorum ſunt, in toto ſuo tractu tranſituque per glandulas meſentericas, mercurio & cera replevimus. Quæ pleraque ante ſex menſes abhinc figuris adcurate exprimi curavimus, quas tamen evulgare temporis anguſtiæ in præſentia vetant.

REFLEXIONS SUR L' ALPHABET ET SUR LA LANGUE Palmyreenne, &c.

h. e.

DE ALPHABETO ET LINGUA, PALMYRÆ olim uſurpata, Exercitatio. Auctore BARTHELEMIO, Abbate, Academiæ Regiæ Scientiarum Socio, & Regalis numiſmatum theſauri Cuſtode. Multa renaſcentur quæ iam cecidere. Horat. Art. Poet.

Lutetiæ Pariſiorum 1754. apud H. L. Guerinum, & L. F. Delatorrem, pagg. 32. cum tabb. æn. 3. in 4.

Felix & glorioſum ætati noſtræ Ἕυρημα. Redit enim tandem in lucem ſepulta tot ſeculis nobiliſſimæ urbis Palmyrenæ dialectus, & quæ belli furoribus preſſa dudum conticuit, nunc litterarum beneficio pulchre reviviſcit. Multorum illa doctiſſimorum hominum ingenia pridem exercuit, omninoque fatigavit: donec eluctari aliquando e caligine, adiuta *Bartholomaei* noſtri celerrimo acumine & ſpectandi elegantia, liceret. Placet ergo libellum Viri egregie docti

ita in hæc Acta transferre, ut nihil eorum, quæ in eo memoranda videntur, prætermittatur.

Dicit primum de illis, qui in enucleandis litteris Palmyrenis operam poſuerunt, vel, ſi mavis, perdiderunt. Earum guſtum aliquem viris doctis princeps tradidit *Gruterus*, publican- Pag. 4.
do Inſcriptionem Palmyrenam. (Collect. ſuæ p. 86. Edit. A. 1616.) quæ in marmore anaglyptico duo Numina peregrina, & Inſcript. Græcam, habebat adiuncta. Sed ille characteres prioris Arabicos credebat, quod Palmyram in Arabia ſtatueret. *Ioſephus* autem *Scaliger* (de Emend. Temp. Lib. V. Cap. 427.) neceſſum habuit fateri, ſe plane, quales illi ſint, ignorare: cum alioqui Vir ſummus iactaret, ſibi in Chinam usque expeditum iter ſine interprete fore. Mox *Samuel Peti-*
5. *tus*, Inſcriptionem eandem explicare aggreſſus, Sphinge digna ænigmata enixus eſt, (in Epiſt. ad Peireſc. A. 1632. apud *Sponium* in Miſc. Erud. Antiq. pag. 2.) ſibique perſuaſit hæc in ea ineſſe: *Tremuit ſenectus, vacillavit planta* pedis: *ſub volam utique Daemonis lucis indigena tuus moeſtus fuit, ſplendere ſqualor eius,* (id eſt, ad eius ſplendorem factum fuit:) *ligatus eſt ipſe, age, proiice, domus in ſummo periculo verſata eſt, abundavit aſſer manſuetudinum irrigans petras ſive ſolitudines,* cet. Conatus eſt idem Vir doctus docere, aliquam his verbis rationem ſubiectam eſſe. Sed hunc eius laborem omnem vanum fuiſſe nunc denique intelligimus, ubi, duce *Barthelemio*, compertum habemus, Inſcript. laudatam nihil velle amplius, quam, *menſe Schebat A. 547.* aerae *Palmyrenae, civem quendam eius urbis, ſuo aere monumentum conſtrui feciſſe, honori Deorum Agliboli & Malacbeli ſacrum, idemque ſuae & liberorum ſuorum ſaluti dicatum fuiſſe.* Fecere autem inprimis diſcrepantia huius Inſcript. exempla, ut eruditiſſimi quique omnem eius de-
6. clarandæ ſpem & animum abiicerent. Tamen illum, vergente ſeculo, reſumſere, cum eſſent A. 1691. a mercatoribus Anglis complures Inſcript. Palmyrenæ, quarum plerisque comites erant Græcæ, in patriam miſſæ. Verum in his & paucitatem, & deſcribentium incredibilem ſocordiam, deſiderabant ſagaciores. Quibus rebus factum eſt, ut extricari

ex

Digitized by Google

ex illis nihil poſſet, agnoſcente *Eduardo Bernardo*, *Abrah. Sellero*, & *Tho. Smitho*. Hi etiam cum aliis in eo conſenſere, Palmyrenas litteras ſine dubio ad Syriacas accedere. *Henr.* contra *Noriſius*, & *Tho. Hydius*, Phoenicum progeniem dicebant. Nihil hac communi fluctuatione, vel deſperatione potius, t[illegible]ritus *Iac. Rhenferdius*, in Periculo Palmyreno, A. Pag. 8.
1704. v[illegible] easdem inſcriptiones, adeo mutilas & corruptas, ter[illegible] [illegible]ulto certe, quam illi ſuperiores, infelicius. Iam e[illegible] litteram tollit aut addit; iam vocem integram ſcindit, mutat, tranſponit; iam Hebræorum ſermonem, iam Arabum, iam Romanorum, in ſubſidium vocat: Alphabetum autem quod effingit, prorſus inſtabile eſt, & ab omni fundamento deſtitutum. Ceterum, ne Rhenferdianæ ſpecies 9.
doctrinæ quemquam falleret, iuſſus eſt ab Academia Art. Liber. Pariſienſi *Renaudotus* A. 1706. ſcrutari, num Inſcriptiones illæ πολυθρήλητοι quidquam lucis adferre linguæ Palmyrenæ posſint? Quarum ille mendas & hiatus innumeros contemplatus, negavit, illas huiusmodi uſum unquam præſtituras. Neque aliter *Gallandus* ſenſit, poſtquam Inſcript. Gruterianæ exemplar correctius examinaſſet. Quare clariſſima Academia non dubitavit, a fruſtraneis laboribus ea in re ſuſcipiendis eruditos dehortari.


Verum hanc tam triſtem profitendæ ignorantiæ necesſita- 10.
tem eadem gens ſuſtulit, quæ primum cognoſcendi oris Palmyreni deſiderium excitaverat. Qui enim A. 1753. luculentisſimum de Palmyræ Ruinis opus in Britannis edidere, Inſcriptiones Palmyrenas XIII, inter alia divitis Orientis ſpolia, perquam accurate tabellis mandatas, & novas plerasque, propoſuerunt. Octo illarum totidem Græcis iunctæ erant: id quod ipſis Anglis coniecturam ſuggeſſerat, in utrisque eadem perſcripta videri. *Barthelemius*, ut primum Inſcriptiones illæ oculos eius ſubierunt, inſtituta comparatione Græcas inter & Palmyrenas, non mediocrem utilisſimæ inventionis ſpem concepit. Hæc autem ſubito fauſtis indiciis ita confirmata fuit, ut iam 12. Februarii A. 1754. hoc eſt, duobus poſt dies, quam Inſcript. memoratæ in eius notitiam perveniſſent, in-

integrum Alphabetum Palmyrenum Academiæ Regiæ Eleg. Litter. offerret. Iſtud Vir, non minus modeſtia, quam eruditione commendabilis, hoc conſilio ſe prodere ait, ut intelligatur, quam facilis fuerit Palmyr. litterarum his ſubſidiis revelandarum via.

Pag. 11. ſqq. Huius tamen muniendæ cauſſa, quædam præcipienda ſibi exiſtimavit. Ea ſunt fere huiusmodi. I. In detegendo Alphabeto populi cuiusdam, cuius linguam neſcimus, minus tuta ſemper ratio eſt, ad Alphabetum vicinæ gentis confugere: ea vero longe ineptisſima, ex plurium populorum diverſis Alphabetis opem petere. Hac methodo nonniſi informis & incertisſima collectio obtinetur. Quodſi autem ea felicitate utamur, ut in monumenta linguæ ignotæ talia offendamus, in quibus ſine controverſia voces aliunde notæ inſint; ſi hæ voces notæ ignotis, quibus reſpondent, ſubiiciantur, atque tum idem utrinque ordo & poteſtas eadem efficiatur; verbo, ſi Inſcriptiones ignota lingua exaratæ, notioribus aliis coniunctæ, Alphabetum ipſæ ſuppeditent, quod ad eas conſtanti ratione legendas ſufficiat: utique hoc Alphabetum recipiendum eſſe putat. II. Quodſi vocabulum aliquod, aut nomen proprium, repetitis vicibus in una Inſcript. occurrat, neceſſe eſt, illud omni loco iisdem literis ſcriptum eſſe, neque diverſitatem ullam deprehendi, niſi quæ a manu ſcribæ orta ſit. III. Sunt in Alphabetis linguarum Orient. litteræ eiusdem pene figuræ, ſed alienæ tamen poteſtatis, v. c. Hebræorum ב & כ, ד & ר; ut Syros & Arabes taceamus. Eadem ergo varietas in Alphab. Palmyreno exſpectanda venit, eſtque revera in illo ſpectabilis. IV. Idem plane de more Orientalium dixeris, voces Græcas & Latinas ita pingentium, ut, omisſis vocalibus, puncta adhibeant, ſed quæ in libris ſcriptis ſæpenumero deficiunt, atque adeo frequentius in monumentis. Et ipſe hic mos apud Palmyrenos conſpicitur.

13. ſqq. His principiis & veris & neceſſariis inſtructus Auctor acutisſimus, non poterat non feliciter in Alphab. Palmyreno exſtruendo verſari. Nos quidem hoc eruditæ curioſitati Lectorum

Digitized by Google



Digitized by Google

Digitized by Google

rum dedimus, ut reſurgentis linguæ formam delineatam in tabula ſiſteremus. Cum illa Hebraicæ & Syriacæ proxima ſit, Tab. III. Hebraicas literas, cum Auctore, e regione adſcribi curavimus. Sed earum nomina quoque & poteſtates ſuperaddere nihil attinebat. Iam illud nemo mirabitur, Palmyr. Alphabeti ductus per nonnullas litteras varios eſſe: id enim deſcribentium, quin & lineas ducentium peccatum eſt. Princeps & genuina elementi cuiusque figura quæ eſſet protinus adparuit, ſi ab uno *Tzade* diſcedas, cuius imago Cl. Auctori ex Inſcript. Romæ ſervata fuit repetenda.

Videamus de capite cauſſæ, nimirum, quem ad modum Pag. 14. penitus perſuaderi Barthelemio potuerit, hanc, quam conſti- ſqq. tuit, eſſe veram certamque Alphabeti Palmyreni formam, ordinem, poteſtatem. Igitur, ſi Græcam Palmyrenamque Inſcriptionem, quas itidem adumbrari penicillo artificis iusſimus, ſpectes, vocem in Græca primam deprehendes ΣΕΠΤΙΜΙΟΝ. In Palmyrena quæ illi reſpondet, vox prima ſeptem litteris abſolvitur, quas tantiſper fingamus eſſe ספטמיוס, ac habebimus pariter *Septimios*. Sed hanc primam fictionem Doctiſſ. Auctoris, reliquæ utriusque Inſcriptionis voces, ſtupente ipſo, confirmarunt. Nam, cum in Græca ſuccedat vox ΟΥΟΡΩΔΗΝ, in Palmyrena vidit ורוד, *orod*, redeunte ſcilicet ea figura, quam in prima voce τὸ ו eſſe dixerat, ר autem & ד pene ſimilibus, quippe quæ nonniſi punctis apud Syros differunt, v. c. ܪ & ܕ hoc loco autem iis carebant. Ergo ſenſim, apparentibus continuo aliis litteris, quas nunc ex Græcis divinare, nunc ex ſuperiorum vocum uſu confirmare licebat, omne Alphabetum prodiit. Hoc iam ita planum eſſe credimus, ut exempla cumulare non ſit opus. Cl. Auctori vero viſum eſt, ut maximam invento fidem faceret, præter eam Inſcriptionem, quam in tabula expreſſimus, aliam inſuper teſtimonii loco producere, atque ex ea docere, aptiſſime cohærere omnia, quæ primum coniectura duntaxat aſſecutus fuerat.

Excuſſis demum omnibus Inſcriptt. intelligit, nihil eſſe 19. ſqq. quod eum a ſtabilita ſententia retrahere poſſit. Nomina pro-

pria Inſcriptt. Græcarum, Romana partim, partim Orientalia, in Palmyrenis adcurate reddita ſunt, inflexa ſolum ſcriptione ad Syriacæ linguæ genium. Voces autem ortu Græcæ in Palmyrenis Syriacæ ſunt, v. c. ΒΑΡ ΚΑΣΙΑΝΟ, *filius* Caſſiani, *Schenath*, annus, pro ΕΤΟΥΣ, &, quod prima Inſcr. poſt vocem ΑΡΓΑΠΕΤΗΝ habet, *Akim*, id eſt Syris, *poſuit, conſtituit*. Quæ ſatis evincunt, Palmyrenam dialectum parum a Syriaca abeſſe. Duo & viginti litteras eam complecti, iam S. *Epiphanio* (adv. hær. L. 2. T. 2. p. 629. edit. Petav.) obſervatum eſt. Quid? quod idem etiam videtur eius cum Syrorum ſermone cognationem arctiorem teſtari. Videndus hic *Relandus* Palæſt. p. 526. qui & *Theodoreti* locum profert, adſerentis, hanc linguam in confiniis Euphratis fuiſſe frequentatam.

Pag. 21. ſqq. Ceterum Inſcriptiones toties dictæ ad hiſtoriam Palmyrenam illuſtrandam nihil conferunt: quippe quæ ſingularia ſolum facta breviter narrant. Neque tamen utilitate carent in explicandis, quæ adiunctæ ſunt, Inſcriptt. Græcis, & in vera nominum Orientalium lectione conſtituenda. En tibi, Lector, exemplum. Vox ΔΙΣΜΑΛΚΟΥ poſt ΖΑΒΔΙΛΑ collocata in Inſcript. Græca A. 1695. edita (in Philoſ. Tranſact. n. 218. p. 70.) e Palmyrena agnoſcitur hoc ſignare, *Zabdilam filium Malci fuiſſe*. Alia Inſcr. (ibid. p. 171.) Deum *Iaribolum* habet, quem doceri eadem via facile poteſt eſſe Deum *Lunum*, qui Orientalibus pro Luna audit.

24. Sed *Barthelemius* noſter nihil patitur Palmyrenarum litterarum ſuperare, quod non curate inſpiciat. Itaque & *Gruteri* illam Inſcr. quam ſupra tetigimus ornavimusque Auctoris verſione, propius monſtrat. Litteræ eius, ſi pauca demas, cum reliquarum Inſcriptt. formis conveniunt. Ne vero quemquam nonnulla diverſitas moretur, folio tertio & literæ illæ & Inſcriptio ipſa Hebræis elementis exprimitur. Eodem loco aliam exhibet Inſcr. quæ a *Sponio* (in Miſc. er. Ant. p. 3.) & *Relando*, (Palæſt. p. 526.) propoſita, nunc rectius deſcripta, Hebr. litteris reddita eſt. Ex ea diſcitur, Soli apud Palmyre-
26. nos *Malacbeli* nomen hæſiſſe. Poſthæc candide & prudenter monet

Digitized by Google

monet Clar. Auctor, lectionem vocum Palmyrenarum, quamvis cognito Alphabeto, nondum omnibus liberam eſſe difficultatibus. In Occidentis quidem linguis lectionem vocabuli alicuius ex natura litterarum, quæ illud componunt, ut plurimum firmari. Alia omnia dialectos Orientales manere. In his perpetuo voces quæ præcedunt aut ſequuntur, conſulendas eſſe; monumenta punctis vocalibus deſtituta plures verborum ſignificationes admittere; vocum diſtinctione nulla duce, ſingulis vocabulis pro lubitu plures aut pauciores litteras poſſe adſignari. Accedere litterarum ſimilitudines, monumenta corrupta, ectyporum mendas: quæ univerſa nos continuo cogant, alii litteræ aliam ſubſtituere, concedantque maxime noxiam libertatem, ubivis dubitandi, diluendorum autem dubiorum rationem nullibi deprehendere. Se quidem audacter pronunciare, *minus operoſum eſſe, Alphabetum aliquod Orientale oblivioni & tenebris ereptum reſuſcitare, quam eo ad illuſtranda monumenta, quae oculis uſurpare non datur, uti.*

Sunt apud nobilem periegetam Anglum (*Pocok.* Deſcript. Orient. T. I.) Inſcriptt. rupibus montis Sinai inſculptæ, videnturque a Palmyrenis non abhorrere. Sed illæ, dum adcuratione maiori transſcriptæ legantur, nonniſi ſuſpicionibus locum faciunt. Aliquanto certiore fiducia de illis Inſcriptt. quæ in Commentarios Societatis Regiæ Londinenſis (N. 201. p. 776.) relatæ ſunt, ſententiam ſuam promit Doctiſſ. *Bartholomaeus.* Viſuntur illæ in vicinia ruinarum Perſepoleos, loco quodam, cui *Naxi Ruſtan* nomen. Ibi in petra inciſos equites duos ſpectes, quos Alexandrum M. & Perſam aliquem heroam incolarum plerique eſſe volunt. Adſunt ibidem Inſcriptt. duæ Græcæ, totidemque idiomate ignoto. In prioribus exarandis manus cælatoris ſæpius & graviter erravit. Utramque honori Alexandri ſacram exiſtimat *Hydius,* de Relig. vet. Perſ. p. 519. Sed ea cum opinione pugnat primum artificis Græci, qui putatur, inſcitia, dein *Dei & Regis Regum* cognomina, a monumentis Alexandri aliena. Melior est de ætate harum Inſcriptt. Auctoris noſtri coniectura. Ita

Pag. 27.

28. ſqq.

enim ille. Lingua Græca, Alexandri victoriis in maiorem Aſiam introducta, eadem cum imperio Græcorum ſata habuit. Senſim in peius mutata, ad extremum peregrinam quaſi formam induit. Has viciſſitudines numi Regum Parthorum claris ſignis oſtentant: imo horum epochæ ex illarum temporibus optime ſuppleri queunt. Hoc ergo ſi attendimus, Inſcriptt. τȣ̃ *Naxi-Ruſtan* ætatem primorum Impp. Romm. indicabunt. Præterea, cum iisdem lapſibus ſcribentis inquinatæ ſint, quibus numi Parthici; cum in his quoque *Dei* & *Regis Regum* tituli exſtent; cum denique illud ΑΡΣΑ — Inſcriptionum noſtrarum, ex quo *Hydius* ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ effinxit, longe elegantiore interpretatione dimidium vocis ΑΡΣΑΚΟΥ ſit: vix quidquam obſtat, quo minus has Inſcriptt. ad Parthicos Reges referamus. Paria fere de ætate illorum ſentiunt *Cornelius Brunus* Itin. T. IV. p. 340. & 363. itemque præclarus ſcriptor Gallus *Chardin* Peregr. T. IX. p. 111. Quod de iis, quæ ignoto ſermone traditæ ſunt, adfirmat *Hydius*, eas Palmyreno ſimiles videri, id *Epiphanii* loco, (adv. Hær. L. II. T. 2. p. 629.) qui multos Perſarum Palmyrena lingua uti docet, conſentaneum eſt. Quid? quod Perſæ adeo Syriaca adamarant, ut Græcis etiam ſuæ ditionis, quod *Moſes Chaeron.* L. III. ſcriptum reliquit, eorum uſum imperarent.

Nos Doctiſſ. *Barthelemio* pulcherrimi inventi laudem iterum gratulati, in iis quæ de ſpe ex Palm. Alph. propullulante ait, libenter adquieſcimus. Nam niſi inſigniores fructus nobis illud præſtet, ſatis habebimus, eius ope numos & inſcriptiones quasdam explicaſſe: imo ſatis, in hac tanta litterarum Orientalium obſcuritate, novo nos radio locupletatos eſſe. Supereſt ut quæ *Io. Siwintonus*, litteratiſſimus in Britannis Vir, in lingua Palmyrena item enodanda feliciter tentaverit, tum dicamus, quum in eius commentarium inciderimus.

Pag. 31.

IO-

IOHANNIS GOTTLOB BOEHMII, IN ACAD. Lipſ. P. P. inter Arcades Criſenii Beroenſis Poemata.

Brunſvigæ 1757. impenſis Orphanotrophæi, plag. 15. in 8. mai.

Etſi hæc ipſa Cl. *Boehmii* noſtri poemata in his Actis noſtris, iam olim merito laudavimus; tamen ob ſingularem præſtantiam ac venuſtatem, bis omnino laudari merentur, præſertim, quum hæc nova eorum Editio, & multis inſignioribus acceſſionibus ſit auctior, & præterea quoque externam ſpecioſam formam, ornatior. Natus profecto ad omne Carminis genus videtur Cl. Auctor, præcipue tamen ad elegantiſſimum, ſed & ſimul difficillimum, nempe Elegiam. Numeri ipſius ubique faciles, ſuaves, iucundi, puri, & ſponte quaſi nati, neque ſale & acumine vacui, videntur, adeo, ut nec ipſo illo beatiore ævo indigni eſſent, quo Naſones, Tibulli, Propertii, aliaque ſplendida & æternum victura meliorum poetarum Nomina floruerunt. Maximam illorum partem, una cum ipſo Libello, dedicavit ſuo noſtroque Mæcenati, illuſtriſſimo Comiti LOSIO, cui poſt Deum, famam fortunamque, ſuam gratus debet, ac debebit, donec vivat: adeo ut hinc meliorem patronum invenire vix potuiſſet optimus poeta, nec digniorem poetam ac laudum præconem tantus patronus ſumma laude digniſſimus. Occurrunt & ſubinde Carmina varii argumenti, nunc iucundi & ludicri, nunc vero moeſti ac flebilis, ut ſcilicet res ſunt humanæ, in quibus omnibus ubique ipſam rerum naturam tam preſſe & religioſe quaſi ſequitur, ut quos ipſe mente ſua prius præſenſerat diverſos affectus, in lectorum ſuorum animos, ſingulari & paucis conceſſo artificio, feliciter transfundat. Ex triſtibus iam unicum laudaſſe, exempli loco ſufficiat Epicedium ad maieſtatem Virgilianam proxime accedens, quod in manſuram ſemper memoriam *beatae Trilleriae*, foeminarum optimæ, compoſuit poeta optimus: ut taceamus iam nobile

Digitized by Google

illud Carmen Elegiacum pari ſpiritu ac venuſtate elaboratum in illuſtre B. *Manteuffelii* funus, tanto Heroe & Mæcenate profecto digniſſimum. Ex lætis vero & amoenis, illam in primis cultiſſimam Elegiam neminem omnino poenitebit legiſſe, quæ meritas laudes celebrat blandiſſimæ *ruſticationis Kiesvetterianae.*

Sed perquam difficile eſt, optima ſeligere & potiſſimum commendare, ubi omnia bona ſunt & laude digna: Quod ipſi æqui & harum deliciarum intelligentes lectores haud dubie nobiscum candide fatebuntur, nihil forſan reperturi, quod deſiderent, aut reprehendant, niſi ſolam ipſius huius lepidiſſimi Libelli brevitatem. Forte tamen vehementer dolebunt, ubi viderint, cl. Auctorem ſub finem ſui elegantiſſimi opuſculi, Muſæ ſuæ facili, amoenæ & obſequioſæ triſtem & pæne moroſum repudii quaſi libellum nihil plane tale merenti, miſiſſe: ſed hi ſciant in ſuum ſolatium, amantium & poetarum ſacramenta tantundem fere habere ponderis ac fidei, & perfidiam illam, præſertim ratum, non venia ſolum, ſed & laude, eſſe dignam. Ita ſcimus Bembum, Lotichium, Scaligerum, Menagium, Huetium, Santolium, aliosque magni nominis poetas, pari quidem modo, arti poeticæ ultimum dixiſſe vale, ſubito tamen, mutato in melius animo, ad dulces ante omnia Muſas reverſos fuiſſe. Quos magnos duces, ſicut eos ingenii ſublimitate & mira Carminis pangendi felicitate hucusque præclare ſequutus eſt, ut & in poſterum, ſubita mutati durioris conſilii poenitentia, imitetur clariſſimus noſter Auctor, communi litterarum elegantiorum amore, eum hic publice hortamur ac precamur.

NOVA LITTERARIA.

Profeſſores Academiæ Lugduno-Batavæ, qui curando Legato Stolpiano præſunt, latis in ſolenni conventu ſuffra-

fragiis de Diſſertationibus ad quæſtionem anno ſuperiori propoſitam:

„Quo usque Doctrina moralis pervenerit apud illos,
„qui beneficio Divinæ revelationis deſtituti, ſola ratione
„duce uſi ſunt:

cenſuerunt, præmium numi aurei bis centum & quinquaginta florenorum, nunc quidem adſignandum eſſe *Gerardo Gulielmo van Oſten de Bruyn*, Icto Harlemenſi, cuius Diſſertationi latinæ præfixum erat Symbolum:

Superanda omnis fortuna ferendo eſt.

Quandoquidem tamen cel. iudices, non ſine animi delectatione, deprehendant, haud detrectaſſe Viros eruditos undique meditationes de graviſſimo argumento propoſito cum ipſis communicare, & alias quoque Diſſertationes ad ſuperiorem proxime accedere, vehementer cupiunt his quoque eruditorum hominum lucubrationibus aliquale honoris teſtimonium exhibere, ſimulque, per progreſſus in doctrina morali factos, ad feram animi tranquillitatem, meditationum & demonſtrationum varietate, magis magisque viam pandere: ut hac ratione piæ B. *Stolpii* voluntati cumulatius ſatisfiat.

Rogant itaque humaniſſime Auctorem Diſſertationis latinæ, cui ſymbolum eſt:

Φάσκοντες ἔιναι σοφοὶ ἐμωράνθησαν.

nec non Auctorem Diſſertationis belgicæ, cui ſymbolum:

λάθε βιώσας.

Ut ante menſis Novembris exitum ſignificent, malintne ſua nomina Diſſertationibus addi, quemadmodum ultro id petiit deſideravitque Auctor Diſſertationis, cui ſymbolum eſt:

Relligio vincat, noſtrae ſit regula vitae.

num

Digitized by Google

num vero celari? Quod quidem poſterius, ſi nihil nuntient doctiſſimi Auctores, quorum nomina ignoramus, proiectis in ignem ſchedulis, fiet, ante editionem trium harum Diſſertationum, quæ ſimul cum ſcripto, cui decretum eſt præmium, propediem prelo ſubiicientur, ut in omnium cognitionem veniant.

Literæ ſine impenſis mittendæ in poſterum inſcribentur *A. van Royen*, Medic. Prof. Inſtituti Stolpiani h. t. Actuario, Lugduni Batavorum.

Digitized by Google

NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipſiæ

Calendis Novembris Anno MDCCLVII.

SEX. AURELIUS PROPERTIUS, UMBER; & in eum IOANNIS PASSERATII Prælectiones Solennes, ſive Commentarii; aliquantum contracti: IANI BROUKHUSII notæ ſelectæ: IOANNIS ANTONII VULPII Animadverſiones perpetuæ, atque Indices locupletiſſimi. Omnia ex accurata eiusdem VULPII recenſione.

Patavii 1755. T. I. 4. Alphab. 9. plagg. T. II. 4. Alphab. in 4.

Catullum & Tibullum, a Celeb. Editore recenſitos, excipit hic caſtigatiſſima Propertii editio. Contigit nimirum Vulpio Propertii editio princeps, qua caruit Broukhuſius. Prodiit ea A. 1472. & ſimul Codex MStus Bononienſis. Inde non tam in eo verſatur diligentia eius, ut Propertium ex ingenio emendet, quam ut emendationes Broukhuſii & aliorum, libris non addicentibus, reiiciat. Ordinem quoque priſtinum, iam a Scaligero mutatum, reſtituit. Vocat has mutationes p. 207. T. I. flagitia Ioſephi Scaligeri. Scaliger nimirum, ut ſibi principatum in litteris & dictaturam ſumſerat, putavit ſibi licere, nullis libris auctoribus, Propertii verſus ex una in aliam Elegiam revocare; nimirum obſcuritatem cauſſatus, & minus aptam ſententiæ continuationem. Sed nihil vetat, eſſe homines doctrina excellentes, in quibus ſit mirabilis quædam vis cognitionis & ſcientiæ, eosdem tamen

Digitized by Google

men poeticæ rationis & venuſtatis non ſatis peritos. Hi omnia diffingere atque interpolare conantur, quæ ipſorum palato non ſapiunt. Sed cavendum eſt ab iis, qui poetas, Lyricos præſertim & Elegiacos, ad amuſſim dialecticam, vel geometricam, ſi diis placet, exigere volunt, (qui morbus eſt huius ætatis,) & μέθοδον quandam iis præſcribunt homines inepti: quum huiusmodi poetarum vera & propria μέθοδος ſit ἀμεθοδεία. Nihil enim mirum, iis, quibus ob amorem fluctuet animus, orationem præterea & ſententiam fluctuare. Verum hæc intelligere non omnium eſt, ſed eorum tantum, qui Gratiis litaverunt.

Recentiorum poetarum loca Propertianis reſpondentia exhibuerat Broukhuſius. Talis eſt ingentis animi ac fulminantis eloquentiæ poetæ Sarbievii L. II. Ode 1.

Fruſtra, Poloni, cingimus oppida
Muris, & arces addimus arcibus:
Delubra ſi ſqualent, & altis
Caelituum viret herba tectis.

Repetitur hic locus a noſtro, I. p. 263. Recentiorum Italorum quoque ſcripta excuſſerat Broukhuſius, & loca ſimilia appoſuerat. Talium locorum hic amplum occurrit ſpicilegium, ex Poematibus Petrarchæ, Dantis, Bocatii, Areoſti, Taſſi, Caſæ, & aliorum. Exemplum eximium p. 82. Regina illa apud Ludovicum Areoſtum lib. 28. Rolandi Fucentis, quum pumilionem deperiret, eiusque complexibus uteretur quandocunque ipſi collibuiſſet, illum tamen ſemper accuſabat ut remiſſum & languidum in amore. Sic igitur affecta erat, ut noſter hic Ponticus. Ipſa verba afferemus hilaris poetæ, ſtrophe 37.

Trova l' altro di ancor, che ſi lavora,
E l'altro. al fin non ſi fa feſta giorno.
E la regina (che gli par più ſtrano)
Sempre ſi duol, che poco l' ami il nano.

Præſertim vero Obſervationibus Grammaticis elegantioribus abundat hæc editio. Tale p. 32. eſt veriloquium lacerti & muſculi; quando lacerti partes brachiorum dicuntur a cubito

ad

Digitized by Google

ad manus vertebram, eo, quod Latini eos ideo ita vocaverint, quod illorum tori exſtantes lacerto reptili ſimiles quodammodo ſint. Ob parem cauſſam, partes carnoſas humani corporis muſculos dici, quod in motu contractæ, circumflatæ ac ſpiritu plenæ, parvos quaſi mures referre videantur. Pag. 127. M. Antonius Muretus Oratione 13. Volum. 2. operoſe argutatur multa, ut hiſtoriæ definitionem ab Auctore Rhetoric. ad Herennium, itemque a Cicerone lib. 1. de Inventione, traditam, ineptam & abſurdam eſſe oſtendat: *Hiſtoria eſt res geſta, ſed ab aetatis noſtrae memoria remota.* Verum ſcriptores iſtos hiſtoriam pro antiquo exemplo, quod oratoribus uſui eſſe poſſit, peculiari quadam ſignificatione accepiſſe; quomodo etiam Propertius, loco, qui illuſtratur, obſervat Cl. Vulpius. P. 217. in nota Paſſeratii, mulieres apud Catonem in Originibus, capillum cinere ungitantes, ſimiles ſunt noſtris farina eos adſpergentibus. Hodierni moris originem Keyslerus in Itinerario a Polonis derivat, qui ſic occultare voluerint Plicam Polonicam. Sed hoc veſtigium apud Catonem multo antiquius eſt. Fine tantum differunt mulieres veterum & noſtræ, pro guſtuum diverſitate. Illæ capillum cinere ungitant, ut rutilus ſit crinis; noſtræ pulvere farinaceo eum adſpergunt, ut albeſcere videatur. Bombycem Propertius II. 3, 15. genere maſculino effert:

Nec ſi qua Arabio lucet bombyce puella;

Martialis quoque idem ei genus tribuit Epigr. 33. lib. 8.

Tam leve nec bombyx pendulus urget opus:

Inde recte mirum dicit Celeb. Editor, Hieronymum Vidam, tantum poetam, in carmine de bombycibus, femineo ſemper genere uſmu, niſi forte ſubaudiendum ſit tinea, ut ſit tinea bombyx. Prætenue eſt, monere tam minuta: & tamen in his quum ſæpe peccent hodierni noſtri Alcidæ, quos in cælum tollit cirratæ pubis admiratio, tantum non inſaniunt ubi monentur. Nauſeam ſæpe creat lectori nimia Broukhuſii negligentia; quum naturali pulcritudine defluat Vulpius. Sic p. 309. nimis largus eſt Broukhuſius in exſcribendis Adverſariis ſuis, quando præcipit: Noli audire Palmerii, nec Gebhardi ran-

 cidas

cidas Veneres. Hæc ſufficiebant; ſed addit ſibi non temperans: hæ quidem fætutinæ ſunt olidorum verborum. Illud remedium, quo propendentes vetularum mammæ ita contrahi & conſtringi poſſint, ut virginalium mammarum ſimilitudinem gerant, & quod ab Antonio Rambaldo de Collalto ſe didiciſſe ait Cl. Editor p. 340. explorent, quibus neceſſe & volupe eſt. Patere Lector, hic inſeri unum ex Bene dictis Paſſeratii; nam & ipſius Prælectiones Solennes hic contractæ ſiſtuntur. Legitur id p. 344. Qui duxerit uxorem, uno menſe felix eſt. Sed ille menſis multis eſt breviſſimus.

Vidiſtis pleno teneram candore puellam,
Vidiſtis fuſco,

canit Propertius II. 25. v. 41. 42.

Quid ſit fuſcus in puella candor, verbis Sannazarii explicatur in Arcadia, Proſa 4. *E'l viſo alquanto più lunguetto che rondo, di bella forma, con bianchezza non iſpiacevole, ma temperata, quaſi al bruno declinando.* Lineolam —, quæ Græcis Grammaticis ὑφεν dicitur, in hac ceterum editione compluribus in locis reſtitutam videas. Ignorant eam iam fere Typothetæ Germani. Unde lectu digna ſunt, quæ de ea ad hunc verſum Propertii:

Nunc-Dea, quae Nili flumina vacca bibit:

monet Paſſeratius p. 469. Præmittitur Tomo I. index omnium verborum & locutionum locupletiſſimus, & exaſciatiſſimus, in quo ii præcipue articuli, qui ad Hiſtoriam, Geographiam, & Mythologiam veterem pertinent, mira lectorem ſuavitate perfundunt, confectus cura & ſtudio Ioannis Antonii Vulpii.

Parte altera, quæ III. & IV. Propertii Elegiarum libros complectitur, eadem, qua coepit via, pergit elegantiſſimus Vulpius. Immiſcentur ab eo ad ſingula fere carmina, quæ recreare lectorem poſſint, lumina amoenioris doctrinæ. Talia ſunt, quæ p. 573. de Parallelis Perraltii, Sycophantæ inſignis, monet. Eodem referas, quæ p. 579. ex Claudii Fleury Hiſt. Eccleſ. afferuntur, Capellanos nimirum dictos fuiſſe, qui antea appellati ſint Camerarii; quia capellæ dictæ fuerint,

quas

Digitized by Google

quas antea nominabant cameras. Illud autem negligendum non eſt, quod p. 662. dicitur, paucas admodum eſſe Ovidii ſententias amatorias, quarum ſemina ille non petiverit ex Elegiis Tibulli ac Propertii. Horum igitur fontes primum deguſtandi ſunt Poeſeos ſtudioſis, antequam ad Ovidium, qui eos ingenio vincit, pergant. Etruria, in his commentariis Vulpianis, paſſim ſine adſpiratione ſcribitur. Neque tamen nullius plane momenti ſunt, quæ a Paſſeratio p. 666. pro adſpiratione adferuntur. Obſervatur enim illic, Hetruriam dici, quaſi ἑτερέργιαν, & per Syncopen ἑτρέργιαν, ex ἕτερος alter & ὅρος finis, quia fines eius fuerint usque ad ripas Tiberis. Illud porro ingenui eſt interpretis, fateri etiam vitia ſui Auctoris, quæ a plerisque diſſimulantur. Igitur, cum alibi, tum p. 689. monet Eruditiſſimus Vulpius, in Propertii carminibus nonnullas occurrere ſententias obſcuras, ambiguas, atque impeditas; a quo vitio diligenter ſibi caverit Ovidius. Neque illud nauci eſt, quod p. 769. reiecta explicatione Broukhuſii, Scaligerum quoque, qui tam acutum cernebat, Libri III. Eleg. 15. lippum tractaſſe & inunctis oculis, dicit Vulpius. Similiter idem p. 781. audaces, & non neceſſarias mutationes cavere iubet. Neque tamen ſemper Vulpio vapulat Scaliger. Quando enim Propertius L. III. Eleg. XVIII. refert, Marcellum Baiis in balneo exſtinctum, aurea dicitur Scaligeri annotatio, eademque tota apponitur, qua defenſionem poetæ parat. Conſtat enim, Marcellum ab Antonio Muſa, Medico, aquarum frigidarum lotionibus enectum fuiſſe. Dio id teſtatur, & diſertim ſcribit Servius, eum in Stabiano periiſſe. Verum Propertius, iudice Scaligero p. 804. b. maluit mendax Liviæ adulari, quam verum dicendo ſibi periculum creare. P. 853. ad verſum Propertii,

Poſtaque Pollucis nympha ſalubris equo

ridet Broukhuſius Florum, quod legibus Hiſtoriæ contemtis ſecure ineptiat, dum L. II. c. 2. ſcribit, duos iuvenes candidis equis, apud Iuturnæ lacum, pulverem & cruorem, eo die, quo victus Perſes in Macedonia, abluentes, Caſtorem & Pollucem fuiſſe creditum vulgo. Addit enim Belga: o hominem

acutum, qui, unde quis venerit, tam perite conieĉtat ex ſolo anhelitu. Sed animadvertit hoc loco Vulpius, Florum multa quidem peccaſſe Hiſtoria ſcribenda; hoc tamen loco cum crimine abſolvendum eſſe. dicere enim, *vulgo creditum*, non, ſibi tradidiſſe famam, non, verum fuiſſe. Pertinere porro, addit, ad fidelem Hiſtoricum & accuratum, celebres etiam populi opiniones de re aliqua narrare, maxime de religione, iudicium autem legentibus relinquere. Quid? quod ipſi imperatori Poſtumio perſuaſum fuerit, quod Florus narrat, ut cuſi eius numi exprimant. Initium Eleg. 24. L. III.

Falſa eſt iſta tuae, mulier, fiducia formae,
Olim oculis nimium facta ſuperba meis,

inter cetera illuſtratur ſequentibus. Iuſtinus L. XXVI. c. 3. fiducia pulchritudinis. Veterum imitator Ioannes Bocatius, (nella Fiammetta lib. I.) ma veramente mi fuggì la fidenza, la quale io nella mia bellezza ſoleva avere. Et lib. 4. Manifeſta coſa è, l'umana bellezza eſſer fior caduco, e da un giorno ad un altro venir meno: la quale ſe di ſè dà fidanza ad alcuna, miſeramente a lungo andare, ſe ne trova proſtrata. Ad L. IV. Eleg. 1. v. 52. & 53.

Vertite equum, Danai: male vincitis. Ilia tellus
Vivet; & huic cineri Iuppiter arma dabit.

hæc notat emunctæ naris interpres, Vulpius. Animadvertite adoleſcentes, non temere invenietis aliud diſtichon, quod huic Propertiano, elegantia, rotunditate, vi, pondere conferri poſſit: ei certe, qui fatuo palato non ſit, & auriculas Midæ non habeat, ſordebunt præ hoc Martialis acumina; aliter enim catuli olent, aliter ſues. Ad L. IV. Eleg. 3. v. 45.

Romanis utinam patuiſſent caſtra puellis,

obſervat Cl. Vulpius, Romanos Philippi Macedonis conſuetudinem fortaſſe imitatos eſſe, qui in expeditionibus eſſe comites uxores noluerit; longe diverſus in hoc a Dario, quem debellarit Alexander. Hunc enim, adiicit, totius belli tempore, ſecum trecentas quinquaginta pellices circumduxiſſe. Iocoſe dein a Franciſco Bernio, (dell' Orlando inamorato, Lib. 2. Canto 23. Stanza II.) id illuſtrari obſervat, verbis:

Ave-

Aveyano un' uſanza i Re pagani,
Che per Dio grazia à noſtri anche è rimaſa,
Che fra lor combattendo, o cò Criſtiani,
Mai non laſciavan le lor donne a caſa:
Non ſo, ſe lo facean per ſtar più ſani,
O pur ſu queſta foggia perſuaſa,
Perchè nella battaglia il Dio d'Amore
Gli faceſſe più bravi, e di più core.

In v. penult. Eleg. 4. L. IV. vulgo adhuc ſic legitur:

A duce Tarpeio mons eſt cognomen adeptus,
O vigil, iniuſtae praemia ſortis habes.

Eum locum p. 1020. duabus Epiſtolis, (quarum uni Vulpius reſpondit, & reſponſum inſeri curavit,) tentat Andreas Baſſanus, Canonicus primum Concordienſis, dein ſtudiorum moderationi in Seminario Romano a Benedicto XIV. P. M. præfectus, & pro *a duce Tarpeiio*, legi vult, a nece Tarpeiæ. Diſertiſſimæ ſunt hæ epiſtolæ, & dignæ quæ legantur. Pag. 1077. ad notam Broukhuſii emendationem quandam, ex ingenio Nic. Heinſii profectam, capitalem appellantis, monet Eruditiſſimus Vulpius, ingenioſas huiusmodi & frequentes coniecturas, totos paullatim nobis mutare auctores. Quare nihil eſt movendum, addit, ſine vetuſtis Codd. non enim quæritur, quid ſcribere aliquis potuerit, vel debuerit, ſed quid vere ſcripſerit. Ad hoc Broukhuſii: tam verum eſt illud I. C. Scaligeri, paucis mortalibus datas eſſe aures poeticas, quod legitur p. 1090. animadvertit Vulpius: ſed nec ipſe Scaliger ex eorum paucorum numero fuit.

Lanuvium annoſi vetus eſt tutela draconis

canit Propertius L. IV. eleg. 8. v. 3. & multa ad hunc draconem pertinentia in fratris ſui libro de Lanuvinis, florentis quondam Latii populo, legi hic narrat Editor. Fuit is Ioſephus Roccus Vulpius, e Societate Ieſu, V. Kal. Oct. A. 1746. Romæ mortuus. Liber autem, de quo ſermonem facimus, eſt liber octavus Latii veteris profani; quod opus, inchoatum a Cardinali Petro Marcellino Corradino, laudatus Roccus Vulpius continuaverat & abſolverat. In eiusdem Elegiæ v. 22. Cyn-

Cynthia Poetæ auſa dicitur per imputos frena movere locos. Hoc exemplum merito ad animum revocatur annotatori ad Sectani Satyras, qui ad Sat. VII. v. 140. artem hanc veteribus feminis ignotam fuiſſe ſcripſerat. Adduntur hic alia duo exempla, alterum ex Homeri Odyſſ. L. VI. prope finem; alterum ex Ovidii amor. Eleg. 16. Carminum etiam a ſe elaboratorum, & quibus vere veteres æmulatus eſt, ſegmenta hic illic exhibet ingenioſiſſimus Vulpius. Ex ungue leo diiudicetur, dum poema eius de morte catuli ex pag. 1210. exhibemus.

Favilla miſeri frigida, heu dominae bibit
Lacrimas: & ulli ſi latraverint canes,
Haec adſuturum fingit, & ſe decipit.
Lubens rediret ille: ſed prohibet triceps
Cuſtos; & Orco verba non poſſunt dari.

In fine huius Tomi exhibetur 1) index auctorum, qui in commentariis Paſſeratii, Broukhuſii, & Vulpii, ad Propertium afferuntur, laudantur, illuſtrantur, emendantur, notantur; 2) index rerum & verborum, quæ in commentariis Paſſeratii, Broukhuſii, & Vulpii, afferuntur & explicantur.

DE PRINCIPIIS ANIMALIBUS EXERCItationes viginti quatuor, in Theatro Collegii Medicorum Londinenſium habitae, a GULIELMO BATTIE, *M.D. Collegii eiusdem Socio.*

Londini 1757. Alph. 1. plag. 17. in 4.

Eruditiſſimus harum exercitationum Auctor diſciplinam methodicam ornare voluiſſe videtur, uti ex Exercitatione 1. apparet, in qua ſuum de opere ſuſcepto conſilium expoſuit, quod de *Principiis animalibus* Phyſiologiæ & Pathologiæ inveſtigandis cepit; de eius quidem generis principiis, quæ detecta morborum omnium, tam externorum, quam internorum cauſa proxima, tum detegendis, tum avertendis, tum radicitus tollendis, tum oppoſiti ſui virtute itidem detecta, & coercendis, & mutandis, ſola ſufficiant, quæque ſola fixa tan-

tandem ac determinata artis medicæ totius fundamenta ſolida & inconcuſſa ſtabiliant. Quo loco & de variis doctorum hominum, circa principia artis, opinionibus, liberius dictum eſt. Illud autem ut idonea ratione perficeret, Exerc. 2da, methodi geometricæ & phyſicæ quæ ſint diſcrimina, diſſeruit, ac notas tres eſſentiales principii animalis cuiusvis expoſuit, his quidem expreſſas verbis: 1) Principium animale eſt, quod idem & vere exiſtit, & clariſſime innoteſcit; 2) quod effectus nonnullos in corpore animali quolibet neceſſario profert; 3) quod cauſam ſui ipſius materialem nullam inter cauſas ſecundarias dictas adhuc detexit. Simul vero principium animale primum cohæſione corporea, i. e. conatu approximandi mutuo particulis materiæ quamplurimis innato, contineri monſtravit. Exerc. 3ia methodicorum veterum de Stricto & Laxo doctrinam laudat quidem; eos tamen, qui illam ſolam ad artem medicam laudabiliter faciendam ſufficere putarunt, aut etiam conatum illum approximandi mutuum fibrarum motricium particulis a natura inſitum, vel pro ipſa muſculari actione, vel pro eius cauſa habuerunt, erroris arguit, & tandem *principium animale ſecundum* actione muſculari, i. e. particularum ſolis animatis corporibus propriarum motu alterno abſolvi, ait, in qua quippe notæ illæ tres, Exerc. 2da adductæ, utique conſpicuæ ſint. Id quod Exerc. 4. 5. 6ta ulterius probare ſtudet, ubi, aut ſuccum nerveum in villos muſculares influentem, aut elaterem fibrarum muſcularium, cauſam motus muſcularis eſſe, fidenter negat; experimenta notiſſima illa, de nervis filo conſtrictis capta, ideo nihil probare ſibi perſuadens, quoniam eadem muſculi immobilitas, quæ nervum filo conſtrictum ſequitur, arterias venasque vinculo ſeu alio quovis modo arctatas, quanquam paulo lentius, excipiat, & quoniam fibræ muſculares, cultro acutiſſimo a corpore animali vivo celeriter abſciſſæ, motum alternum ſuum aliquandiu repetere pergant. Ob easdem quoque aliasque rationes, nec venarum, nec arteriarum ſanguinem, muſculos irrigantem, pro cauſa motus illius apprehendi poſſe. Eam igitur ob rem nihil ſupereſſe, niſi ut particulis, e quibus coaluerunt fibræ muſculares, motum ſponta-

neum, neſcimus quem, tanquam Principium animale ſecundum tribuamus. Quem quidem motum ſpontaneum ne gratis ſumere videatur, pervulgatam illam de vi inertiæ materiæ univerſæ eſſentiali opinionem Exerc. 7. 8va confutat, utpote quæ tanquam nimis temere præiudicata in cauſa ſit, cur doctiores quoque, corpus ullum, quamlibet animatum, absque impulſu corporeo prægreſſo moveri negent; cauſamque adeo motus muſcularis materialem, aut in ſucco nerveo, aut in ſanguine, aut in utroque quærendam eſſe, putent. Ipſam autem inertiæ vim non eſſe materiæ inſeparabilem & eſſentialem inde intelligi, quod corpora quæcunque, mota pariter atque immota, animo concipere detur, & quod non modo corpora quædam reipſa ſponte, i. e. ſine impulſu corporeo prægreſſo, mota, dari certum ſit, ſed & corpora omnia ſponte moveri credibile ſit. Exerc. 9. *Principium animale tertium* in ſenſatione ineſſe propterea opinatur, quoniam notæ illæ tres ad eam pertineant; ipſam autem ſenſationem ad ſubſtantiam cerebri medullarem & nerveam unice pertinere, atque fabricæ partium nervearum ſolidæ & ſpecificæ potius, quam ſucco nerveo deferenti, deberi. Ex dictis ſatis itaque conſtare, fibrarum animalium genus omnino triplex eſſe: alias nimirum ſimplices, alias muſculares, alias nerveas; quarum poſteriores duas, quamvis naturam ſimplicium nactæ ſint, tamen ab ſe invicem quam maxime differre putat Auctor. Exerc. 10. & 11ma effectus plerique, tum ſalutares, tum morboſi, cohæſioni fibrarum vel iuſtæ, vel iuſto ſtrictiori laxiorive debiti, adducuntur; quos, quoniam quisque facile intelliget, ſilentio præterimus, & ſolummodo notamus, nec tunicæ cuiquam arterioſæ, nec venoſæ, ullum motum muſcularem, verum ſolam elaſticitatem, tanquam cauſam ſanguinis iugiter moti, relinqui. Exerc. 12ma cauſam ſcorbuti principem in fibris nimis relaxatis ponit, ac Boerhaavio Aph. 1153. paulo aliter ſentienti refragatur, ſuppeditatque indicationes curatorias tres, quarum prima vaſorum præſertim lymphaticorum depletionem, altera fluidorum ſtagnantium motum reſuſcitandum, tertia fibrarum ſimplicium laxitatem emendandam, iubet. Inter remedia indica-

dicationibus his ſatisfacientia, aqua illa picea, virtute & diuretica & adſtringente dives, nec non aquæ minerales, iure laudantur. Exerc. 13. 14. 15ta exponuntur plerique effectus, tum ſalutares, tum noxii, qui fibris motricibus iuſto aut magis aut minus agilibus debentur; ac fibræ ex ipſæ dividuntur in genera tria. Primum genus eſt earum, quæ voluntatis imperio ſubiectæ ſunt; alterum earum, quæ voluntati imperanti auſcultant; tertium earum, quæ & ſponte ſua moveri pergunt, & voluntati obſequuntur. Ullum præterea muſculorum antagoniſmum dari, negat. Quid ſpaſmus, quidque paralyſis ſit, docetur. Prioris genus duplex ponitur: alterum, quo muſculus, particulis ſuis minimis motu præternaturali ad ſe invicem pertinaciter adductis, laborat; alterum, quo fibræ muſculares motu alterno contrahuntur laxanturque. Hoc muſculum *conſtrictum*, illud *convulſum* exhibet. Spaſmodicorum malorum effecta, ſatis quidem cognita iam, dilucide utiliterque explicat, ſimulque nonnullas de dolore a cauſis internis & abditis orto, & de ratione ei medendi, ſuſpiciones tradit. Exerc. 16. 17ma de principii animalis tertii effectibus agitur, i. e. qui ſenſationi tum iuſtæ, tum quocunque modo vitioſæ, debentur. Ipſa *ſenſatio* aut *delectationis*, aut *moleſtiae* eſſe dicitur: quarum illa quin naturæ animatæ utilis ſit, neminem unquam dubitaſſe opinatur Auctor; hanc vero animali cuivis ad ſui conſervationem utiliter datam eſſe, exemplis probat. Senſationem autem non aliter peccare, quam quod eadem aut nimia, aut non ſat vivida, aut fallax ſit, & porro fallacem, utcunque vitioſam, non ſemper tamen ac neceſſario fieri morboſam. Ad effecta morboſa ſenſationis ſupra modum moleſtæ, refert anxietatem illam, quam odor & ſapor quicunque, cæteris mortalibus aut tolerabilis, aut non iniucundus, parit; nec non ingratas ſenſationes illas, quas a tempeſtate pluvioſa ab Euro nonnulli patiuntur; item facilem illam proclivitatem ad odium leviſſima de cauſa ſuſcipiendum, fovendasque ſimultates ſuſpicionesque &c. Senſationis deficientis effecta itidem recenſet, rerum tam præteritarum oblivionem, quam præſentium inſcitiam, quæ interdum in veram fatuitatem

tem terminatur. Tertium functionis nerveæ adducit vitium fallacis, nimirum, quæ dicitur inſania, quæque virtutem nerveam ad ſummum usque gradum evectam, limitesque naturæ humanæ poſitos transgredientem, ſequitur, tanquam acutiſſimi ingenii exercitatione nimia, nec fere unquam intermiſſa, exculti, fructus acerbus. Eam tamen & ab aliis cauſis, veluti a labe hereditaria, nonnunquam derivari fatetur. Vitium autem id ſubinde nullas omnino moleſtias parere, nec ſemper ita peccare monet, ut vitæ quidpiam minitetur. Exerc. 18. glandulas ſiſtit tanquam partes animales, in quibus & virtus elaſtica, & motrix, & ſenſilis cernantur. Aſſertum hoc a rei exigentia, ab effectibus morboſis, & ab effectibus medicamentorum probari putat. His tandem omnibus corollaria quædam practica ſubiuncta ſunt. Exerc. 19. 20ma malorum animalium effecta nonnulla, item cauſas remotiores plurimas ratione certa & præcognita, aut præcaveri, aut radicitus tolli, aut cohiberi poſſe, & in eo *medicinam rationalem* ineſſe, dicit; idem vero non valere de morborum cauſis illis, quibus utcunque remotis, ſedes in fibris ipſis ſolidis eſt. *Actionem* corporum arti medicæ ſubiectorum, in *abſolutam* ſ. mechanicam, & *relativam;* & hanc rurſus *in ſingularem* & *ſpecificam* dividit. Abſoluta illa a natura materiæ univerſæ communi pendet, & medicinæ rationali, certæ ſcil. & a priori demonſtratæ, ſola ſubiecta eſt; exemplum petitur a cauſis vulnerantibus, ab acribus &c. Actio ſingularis a natura corpori agenti propria pendet quidem, ita tamen, ut omnia alia corpora, quotquot applicentur, eodem modo immutet, veluti in oleo omnia emolliente, & alumine omnia contrahente, videre ſit. Et his quidem medicinam rationalem quandam, veroſimilem dicendam, contineri. Actio corporum ſpecifica eſt, quæ & a natura corpori propria pendet, & huic illive tantummodo corpori accommodata eſt. Illuſtratur aqua regia, aurum, non item argentum ſolvente; Zibetho, aliis foeminis grato, ingrato aliis &c. In his ſimilibusque ſanam Empiriam fundatam eſſe, ait. De qua Exerc. 21. ulterius agitur, & amica medicinæ rationalis atque empiricæ conſpiratio oſtenditur. Exerc. 22. ex præmiſſis colligitur, ſedem

cor-

Digitized by Google

corpoream ſimilitudinis gentilitiæ, in prolem ſubinde propagatæ, in fibris quibuscunque animalibus eſſe; idem de malis hereditariis verum eſſe, hinc ea nullam rationalem & radicalem medelam admittere. Morbis nerveis ſenſum ſtrictiſſimum affingit, eosque vocat, qui debentur eiusmodi cauſæ, quæ nec perpetuo, nec pariter urgeat, nec fibris quibuslibet animalibus ullatenus ſit exterior. Exemplum in fibris motricibus a ſpaſmo febrium intermittentium periodice recurrente, in fibris nerveis ab epilepſia & inſania itidem periodice recurrentibus, petit. Prioris antidotum in cortice Peruviano repertum eſſe; poſterioris etiam nunc anxie deſiderari. Exerc. 23. alias ex præmiſſis colligit conſequentias, ſed nil novi inferentes. Cauſam mortis animalis proximam, in preſſione medullæ nerveæ cranio contentæ præternaturali, ponit, ac cerebro potius, quam aut cordi, aut pulmonibus, indicatione vitali conſulendum eſſe putat. Exerc. 24. nec phyſiologiæ, nec pathologiæ principia ulla, ex fluidis animalibus erui poſſe, neque unquam fluida animalia ita a ſtatu naturali recedere opinatur, ut ipſorum vitia quæcunque ſint cauſæ morborum proximæ.

Perdocte quidem hæc omnia pertracta ſunt; ſingula tamen non omnibus placebunt. Pauca adducere liceat. Vim irritabilem in ipſa ſolidæ partis fibrarum motricium fabrica, nullo habito ad contenta fluida reſpectu, ponendam eſſe putat Cel. Auctor, iis permotus experimentis, quæ fibras muſculares, a vivo animali avulſas, aliquandiu palpitare docent. Sed experimenta illa tantummodo probant, in iſtis fibris motricibus tantum ſupereſſe fluidi nervoſi, ut palpitatio illa ſine novo influxu illius fluidi fieri queat. Neque aliud inferunt fibræ cordis, quæ, quamvis fluida inde expreſſeris, motus tamen alternos aliquot dare pergunt. Vis namque ea, qua conamur fluida ex fibris exprimere, ſi ſatis valida, longe facilius ſuppoſitam illam fabricam partis ſolidæ deſtruet, quam omne fluidum nervoſum inde abiget; cum id procul dubio & perquam ſubtile & tenax ſit, & canalibus ſeu filis tenuiſſimis contineatur, adeoque rudiori illo modo non ita facile inde exprimatur. Nec cum iſta hypotheſi ſatis bene ſimul ſtare poteſt ea Auctoris

ris opinio, qua ſedem & cauſam proximam morborum ſtricte dictorum nervorum, in ipſa nervorum ſubſtantia ſolida hærere putat. Illi enim morbi, periodice recurrentes, cauſam proximam etiam periodice invadentem arguunt; quæ, qualis in iſta eſſe queat hypotheſi, intelligi non poteſt. Nullo præterea argumento idoneo exiſtimamus aſſertam eſſe differentiam fibrarum motricium & ſenſilium, qua motrices omni ſentiendi facultate carere ponuntur. An denique ſatis recte humida a claſſe cauſarum proximarum ſecludenda ſint, iudicent ii, qui artem medicam, tot medicaminibus abſorbentibus, incraſſantibus, acria obvolventibus, ſpiſſum & concretum ſolventibus, bilem corrigentibus &c. carere non poſſe ſciunt.

FRANCISCI MARIAE GAUDIO, EX CL. reg. Scholarum piarum, de naturæ vi & lege generali Diſſertatio, illuſtriſſimo Domino Comiti Emerico Cſakio nuncupata.

Romæ 1756. ex typographia Octavii Puccinelli. p. 32. fol.

Eſſe vim quandam generalem naturæ, quæ diverſis modis determinata, per innumeros diverſos effectus ſeſe manifeſtet, multorum hodie, eaque non improbabilis, eſt opinio. Et Newtonianos quidem pro ea vi habere vim attractionis, inter omnes conſtat. *Boſcovichius* autem, celebris in Collegio Romano Mathematum Profeſſor, haut ita pridem conatus eſt titulum illum alii vindicare vi, quæ in minimis quidem diſtantiis particulas materiæ infinita actione ab invicem repellat; in maioribus modo attrahat, modo repellat; in maximis autem conſtanter verſus ſe mutuo trahat. Auctor huius, quam indicamus, ſcriptionis doctiſſimus, cum neutris
Pag. 31. facit. „En paucis, inquit, noſtram ſententiam. Subſtan„tiam quamlibet proprie dictam non eſſe niſi ſimplicem, no„va atque invicta demonſtratione confeci in diſſertatione *de* „*natura extenſionis;* ſimplicia etiam impenetrabilitate gaudere, „ſimpliciſſima & nova ratione oſtendi. Impenetrabilitas au„tem, adæquate concepta, non ſolum locum ſubſtantiarum tue-

„tur,

Digitized by Google

„tur, ſed ipſas ſubſtantias, earumque omnes determinationes, „& ſtatus omnes; nec patitur, ut ulla in ſubſtantiam, cui „inſidet, mutatio inducatur, quin ſubſtantia inducens in ſe „etiam mutationem ſuſcipiat, ut in diſſ. cit. oſtenſum eſt. „Hoc reſpectu impenetrabilitas mihi eſt vis activa, & illa qui- „dem, unde omnium mundi mutationum ratio dependet.“ De hac ergo vi generali naturæ, Auctor, in peculiari libro fu- Pag. 32.
ſius exponere, eam ad formulam algebraicam revocare, & ex hac demonſtrationes principiorum generalium, in naturæ ana- lyſi adhibendorum, eruere conſtituit. Præmittere autem illi libro voluit hanc diſſertationem, in qua rationes, cur neque Newtonianis, neque *Boſcovichio*, hac in re aſſentire poſſit, mo- deſte, & uti philoſophum veritatis amantem decet, explicat. Initio docet, ſi vis a ſola diſtantia pendere ponatur, facile poſ- ſe legem eius generaliſſima quadam formula algebraica com- prehendi; ipſeque aliquot eiusmodi formulas exhibet, quarum unam æquiparat formulæ, a *Boſcovichio* in diſſ. *de lege virium* 12.
in natura exiſtentium propoſitæ. Sed quanquam hanc *Boſco- vichii* diſſertationem videre nobis nondum contigit, facile ta- men ex iis, quæ inde hic adducta legimus, iudicare licet, aliam eſſe *Boſcovichii*, aliam noſtri Auctoris formulam, & ve- ram analyſin, qua *Boſcovichius* ad ſuam formulam pervenit, huic non fuiſſe perſpectam. Deinde propius accedens ad propoſitum A. contra *Boſcovichium* negat, formulam, vel li- neam curvam, quæ relationem vis ad diſtantias generatim ex- ponat, limites habere debere, in quibus valor vis pro certis valoribus diſtantiæ vel maximus vel nullus ſit. Rationes, quibus ſententiam ſuam confirmat, hæ fere ſunt: primo, quod 14.
ſubſtantia eſſe nequeat omni vi exuta; vis autem, neque ad at- trahendum, neque ad repellendum determinata, non differat a vi nulla, cum, quod omnimode non ſit determinatum, id neque exiſtat: ſecundo, quod, mutatis diſtantiis, mutari qui- 15.
dem debeat vis, ſed non ipſa lex, ſecundum quam vis mute- tur, lex autem ea mutetur, ſi vis, hactenus repellens, atque inverſam aliquam rationem diſtantiárum ſecuta, evadat at- trahens, & deinceps creſcat in directa aliqua diſtantiarum ratio-

Pag. 16. ratione: tertio, quod limites illi, in quibus vis repellere deſinat, & attrahere incipiat, vel contra, non a ſola diſtantia pendeant, ſed ab aliis cauſis, quæ ad modum applicationis virium revocentur. Non autem probat ſolum ſententiam ſuam Auctor, ſed etiam rationes, quibus limites illi curvæ virium defenſi ſunt, ad examen vocat, atque earum levitatem commonſtrat. Tandem totus in eo eſt, ut doceat, demonſtrationem, qua *Boſcovichius* ſuam virium legem munire ſtuduit, non idoneam eſſe. Nempe, omnis nervus illius demonſtrationis in eo poſitus eſſe videtur, quod ſalva lege continuitatis, duæ particulæ materiæ, quantisſibet viribus verſus ſe mutuo impulſæ, ad contactum pervenire unquam nequeant. Iſtud principium, ait Auctor, eſſe quidem a ſe iam refutatum, in diſſertatione *de natura extenſionis*, (nobis nondum viſa), ubi contactum, ſalva continuitatis lege, admitti poſſe oſtenderit, dummodo imaginariæ motus notioni realis ſubſtituatur: tamen idem illud hic denuo ſic aggreditur, ut demonſtrare conetur, ſi continui notio non imaginaria, ſed realis, menti informetur, falſum eſſe illud principium. Sed quanquam hoc loco Auctor, quid inter continuum reale atque imaginarium interſit, & in quo continui realis notio conſiſtat, egregie, & ad mentem *C. Wolfii* docet: tamen perfectam argumenti, quo *Boſcovichius* nititur, ſolutionem, hic non invenimus. Nimirum, debebat Auctor demonſtrare, in colliſu duorum corporum, ſalva realis continuitatis lege, mutari poſſe utriusque corporis velocitatem, etiamſi hæc mutatio cum ipſo contactu incipere ponatur; aut, ſi hoc fieri nequeat, certe ante ipſum contactum ſic poſſe, ſine ſaltu reali, celeritates amborum corporum mutari, ut ea tandem ad contactum mutuum perveniant. At vero omnia, quæ hanc in rem Auctor adfert, huc
30. redeunt: etſi in motu relativo punctorum, quæ in ſuperficiebus duorum corporum, ſibi mutuo occurrentium, prima confligant, continuitas minime deprehendatur: tamen, ſi motus abſoluti ratio habeatur, qui in exercitio vis motricis conſtituatur, imminui eum per ſeriem continuam, id quod in diſſertat. *de natura extenſionis* a ſe oſtenſum ſit. Vidimus,

quæ

quæ Auctor contra *Boſcovichium* diſputaverit. Contra Newtonianos, qui legem attractionis hac formula $\frac{1}{xx} + \frac{n}{x^3}$ comprehendi volunt, (deſignante *x* diſtantiam variabilem, *n* lineam conſtantem), breviorem diſputationem inſtituito cuius ſumma hæc eſt: precariam eſſe iſtam formulam, & nulla demonſtratione confirmatam. Credimus, id ultro Auctori largituros eſſe Newtonianos, quod nulla demonſtratione formulam ſuam fulſerint, ex principiis generalibus & metaphyſicis ducta; quippe qui ſedula duntaxat naturæ obſervatione in penetralia naturæ duci nos poſſe affirment: verum propterea precariam eſſe illam formulam, & æquo iure aliam quamvis aſſumi poſſe, ſummo iure pernegabunt. Nam, ſi actiones vis generalis naturæ a diſtantiis pendent, ex obſervatis adhuc diligenter naturæ operationibus, quæ quotidie non tantum in magnis, ſed & in parvis diſtantiis, fiunt, Newtoniani admodum probabiliter collegiſſe videntur, legem, ſecundum quam vis attractionis agat, prædicta formula exponi debere. Hoc ergo impetu victos ſe eſſe, Newtoniani vix fatebuntur; at ſpem aliquam nobis facit Auctor, fore, ut *eorum ſententiam fortaſſe alias urgeat validius & fuſius.* Interim hic generatim contra eos monet, lubricam atque incertam valde eſſe eorum rationem philoſophandi: phænomenis enim tuborum capillarium cogi eos aſſumere attractionem in plus quam duplicata ratione diſtantiarum reciproce ſumtarum agentem; phænomenis autem cohæſionis commoveri ad rationem triplicata inverſa diſtantiarum maiorem, aliisque phænomenis perſuaderi, ut attractiones ſtatuant ſpecificas, in diverſis rebus diverſas. „En redditam, inquit Auctor, philoſophiæ admirabilem illam „veterum naturam explicandi facilitatem! Neque enim aliud „ſunt veterum ſpecificæ qualitates, quam principia ex intuitu „phænomenorum explicandorum aſſumta. In eo ſolum differunt, quod precariis principiis ſuperſtruunt calculos, & „geometricas demonſtrationes, veteribus inuſitatas.“ Pag. 20.

Digitized by Google

Friedrich Carl Caſimirs, Freyherrns von Creuz, Verſuch über die Seele ꝛc.

i. e.

FRIDERICI CAROLI CASIMIRI L. B. DE CREUZ, Reg. Boruſſ. Acad. Scient. Sodalis, Commentatio de Natura animorum, PARS SECUNDA.

Francofurti & Lipſiæ 1754. apud Knochium & Eslingerum, plag. 11½. 8. mai.

Partis primæ, ex qua hic libellus ductus eſt fere omnis & copulatus, brevem explicationem propoſuimus nuper in his ipſis Actis ad anni LV. menſem Decembrem. Cum autem præter ſpem opinionemque noſtram impedimenta plura interceſſerint, quo minus deinceps eodem tempore partem ſecundam explicaremus: nunc quidem paullo copioſiore diſputatione conabimur efficere, ut hæc enarratio etiam ſine illa recte poſſit intelligi & facile. Quod ſi minus conſequamur, Lectores ſtudioſos Creuzii, id eſt tantum non omnes, ad iſtum, quem modo demonſtravimus, in Actis locum delegamus.

Omnis pars ſecunda dividitur in locos tres, quorum unus oſtendit, animum poſt mortem corporis ſemper remanere; alter de eo eſt, eundem in nihilum interire omnino non poſſe; tertius denique docet, quæ in animum poſt mortem cadere videantur. Summa loci primi his duabus formulis ineſt, §. 6. *Si Deus in condendis hominum animis conſilium mortalitatis ſecutus eſt, eidem originem hominum, vitam, fortunam, mortem, & omnem omnino mundum accommodavit. Sed hoc falſum eſt; igitur illud etiam.* Et contra §. 15. Si Deus poſt mortem animos ſemper remanere voluit, ad idem conſilium reliquam omnem huius mundi rationem conformavit, ita, ut utraque res inter ſe conveniret. Atqui ſecundum verum eſt; ergo primum etiam. In aſſumtionibus cum poſita ſint omnia, earum rationem inde a pag. 1. ad 55. ſubtiliter Ill. A. reddidit, ita ut, ſubiectis de ortu hominum, vita, fortuna, morte, & univerſo mundo, brevibus ſenten-

tentiis, iisque ex uſu rerum humanarum diligentiore, lectione varia, & hiſtoria petitis, utramque approbare contenderet. Sed has ſententias in epitomen colligere non licet. Igitur tantummodo leges, quas nobis I. A. in diiudicanda iſta animorum vel mortalium, vel immortalium, cum reliquo mundo convenientia, ſequi viſus eſt, adſcribamus, & quidem eo modo, quo ad priorem formulam transferri debent. Sunt autem hæ. I. Reliquus mundus cum mortalibus animis una res, non plures & diverſæ, eſſe videtor. Quod de una re dicitur, id in ſimilitudine & parilitate ordinis, viciſſitudinum, mutuaque ultimarum & mediarum partium ad uſum coniunctione cerni putat. Itaque fit, ut, cum res coeleſtes omnes & terreſtres, quamvis loco & conditione varientur, quod ſint, idem permaneant, animi, ſi poſt mortem eſſe deſinant, ab hac unitatis lege recedere videantur. §. 4. & 16. II. Omnis mundus cum eiusmodi animis res integra; ſine his mutila, cui ad plenitudinem aliquid deſit, eſto. Integritas in eo ineſt, ut partes omnes habeant ad quod referantur, nec fruſtra, adeoque temere ſint. Sic voluntates hominum, conſilia, inſtituta, quibus, quantum licet, omne futurum tempus & infinitatem amplectuntur, mortis ob interceſſionem exitum non habent, ſed fruſtra ſunt. §. 2. & 10. III. Mundus, qui animos mortales continet, ſummis Dei virtutibus, tanquam cauſſis effectus, reſpondeto. At primo concedere, ut vitæ quam breviſſimæ, beatitas contrariis ſtudiis, curis, & periculis interpellетur ſæpiſſime & conturbetur, Optimi Dei non eſt. §. 11. & p. 36. 37. Deinde, quæ ab immortalis gloriæ cupiditate proficiſcuntur, ea, ſi animi cum corpore moriantur, nullum uſum habent, & temere ſapientiſſimo a Deo in hominibus aut inchoantur, aut eſſe permittuntur §. 13. Indignum autem Dei cum ſapientia, tum benignitate eſt, animis eiusmodi vim ingignere, quæ eos in mendacem immortalitatis ſpem opinionemque adducat p. 16. Porro hac in vita ſæpius bonis male eſt, & malis bene §. 14. Denique ab æquitate divina abhorret, ſenes decrepitos, & ſibi aliisque graves, in vita retinere; ſexcentis aliis vix ephemerorum fortunam dare, p. 4. & 22.

Digitized by Google

IV. Idem, qua animos mortales, ne quid repugnantiæ contineto. Atqui naturalis animorum affectio, qua etiam cum mortis periculo ad immortalem gloriam nituntur, mortalitati contraria eſt, ob pugnam interiorem, quæ hoc pacto ſubiectum, & quod ei ineſt, attributum diſtinet. §. 12. Similis eſt ratio eorum, qui prudentes & volentes mortem oppetunt, ita quidem, ut ſimul pietatem in patriam, magnitudinem hoſti iniuſto non cedentem, caſtitatem, amorem in maritos, ſtudium ſapientiæ & felicitatis, aliasque virtutes probent §. 23-25. Quamquam verendum eſt, ne hoc in genere prudentia civitatum regendarum humana, ad divinum totius mundi imperium, non ſatis tuto transferatur, inprimis a Philoſophis, qui ne ſub luna quidem res vel omnes, vel ſatis cognitas habent: tamen hic locus nobis mirifice probatur, modo ne I. A. §. 5. 6. 14. 15. 19. 34. contendiſſet, animos, quod corpori ſuperſtites eſſe videantur, propterea ſempiternos eſſe. Nam, etiamſi Euripidis in Aulide Iphigenia, quia, ſi ibidem morientem fingas, nec una res, nec integra, nec ſapientiſſimi Poetæ ingenio digna eſt, nec ſatis ſibimet conſtat, propterea periculum illud ſuperare recte putatur: tamen, quis eſt qui eandem, eadem de cauſſa, eſſe æternam, dicere ſuſtineat? Quid igitur, ſi quis e Stoicorum perſona animos poſt mortem aliquandiu quidem remanere, I. Cr. concedat; ſed, ſemper, neget. Certe, quas Ipſo præeunte, leges huius diſputationis tulimus, eiusmodi decreto haud adverſantur. Rationes autem, quæ etiam iſti dubitationi quandam probabilitatis ſpeciem concilient, præter Stoicorum auctoritatem, quæ haud contemnendi apud intelligentes ponderis eſt, fere hæ ſunt. Eſt placitum nobile, & veterum complurium uſu probatum: quicquid natum ſit, interire. Porro meminimus, nos nuper Lipſiæ virum quendam ſeptuaginta amplius annorum, doctum, ſapientem, divitem, & pro hominum modo inprimis beatum, audire, cum ex magiſtratus perſona ad cives, &, ut videbatur, meditatus diceret, ſe hanc vitam faſtidire. Quid, ſi tandem aliquando omnis vitæ faſtidium nos, & ſatietas, capiat? Nonne credibile videatur, cupiditates animorum finitorum

ter-

terminari finibus? Licet hoc fere videre in parvulis, pueris & adoleſcentibus, quorum pro ſua quisque vitæ conditione & parte, ſuis ſe cupiditatibus ſemper delectari & vult, & ſperat. At præter ſpem opinionemque cuiusque ætatis, fines finibus infinitas iſtas plurium rerum voluntates terminant. Quod vero dicunt, animos infinitæ vitæ cupiditate ardere, id nullam magnopere vim habet. Nam eiusmodi cupiditas aut alia eſt, quam putant, aut nulla. Si enim infinita vita eſt, quam omnis futuri temporis perpetuitas metitur, quis unquam eius depictam mente & cogitatione imaginem vidit, ut amore commoveretur? Sin autem infinitam intelligunt ſic, ut ſit, quæ huius vitæ ſpatium ſuperet quam longiſſime, iſta quidem animis ineſſe videtur, ſed, de qua quæritur, difficultatem non tollit, immo auget potius. Denique animadvertere attinet, hominum animos multa vehementer appetere, ſed in eum finem, quoad facultatem habere putant. Uti primum contra eſſe cognoſcunt, ita ſtatim ſpem ſtudiumque abiiciunt. Quis eſt litterarum paullo amantior, ſtudioſiorque, quin dies a cura & negotio vacuos nocte pervigili continuare velit? Sed idem, cum intellexerit, ſine maximo valetudinis vitæque detrimento id commodum obtineri haud poſſe, æquo ſe animo ad naturalem requietis alternæ neceſſitatem componet. Atque hæc ſunt, quæ nobis pro iſto Stoicorum placito in animum occurrerunt, quorumque nobis moleſtiam a Cr. doctiſſ. exemtam eſſe velimus, inprimis cum, qui ſequitur deinceps locus, omnibus ad fidem difficultatibus vacare non videatur. Sed ad iſtum pergamus, ſi pauca prius de uno argumento, quod e §. 29. initio reſtat, dixerimus. Ill. A. ſic: ſi animi defectiones, omni e corpore motu vitali penitus ſublato, uſum rationis relinquunt, ſequitur, mortem, quæ eo in genere his ſimilis eſt, ſimilem vim habere. Illud autem eſt; igitur hoc etiam. Quamquam id nobis perſuaderi ad veritatem etiam atque etiam velimus, tamen hæc formula laborare, & in contrariæ ſententiæ uſum facile converti poſſe, videtur. Duo aſſumuntur, quorum fortaſſe neutrum vix quisquam, ſi paullo ſubtilius rem exegerit, concedet. Unum eſt, omnem

 omni-

Digitized by Google

omnino vitalem corporis motum ad defectionem ceſſare. Atqui natura iſtius morbi & motuum vitalium interior profecto eſt, &, ut ita dicamus, tenuior, quam ut alterutram in partem quidquam vel percipi poſſit, vel decerni. Motus indicis in horologii manualis tabula verus eſt, & ante oculos; tamen eosdem & latet, & fallit. Sic magnetem inter & ferrum motus cieatur, qualiscunque demum ſit, neceſſe eſt. Sed, quod vel manu, vel oculo, vel alio quo experimento ſentiatur, eſt nihil. Itaque ſcire velimus, qui vel lynceo conſtet, in his, qui animo deficiant, ne minimum quidem auræ vitalis, ſeu ſpirituum animalium medio in cerebro continuari motum, præſertim, cum plerumque exigua quædam caloris vis, etiam in exterioribus corporis partibus remaneat? Alterum eſt, quod uſum, ait, rationis & cogitationis non una homines cum animi defectione deficere, ſed relinqui. At de eiusmodi hominibus, cum ad ſe redierunt, plures ſe, negant, ſenſu interiore, ſine quo tamen rationis (certe imaginariæ) uſus nullus eſt, quidquam vidiſſe, ſed, veluti ſomno graviore, & qui ſomniorum expers ſit, iacuiſſe conſopitos. Quodſi de intuitivo ſuo cogitandi genere ſe id diſputare Ill. A. dicat, Ipſi videndum eſt, ut ne ex eo, quod incertum eſt, certum deducere conetur. Ex his autem omnibus fit, ut non minus improbabiliter concludere ita poſſit. Si defectiones, ſalva corporis machinatione, ſed vitali motu in anguſtum locum coacto, aut præter ſenſum retardato, aut denique ad tempus repreſſo, uſum rationis animo adimunt; quanto magis credibile eſt, mortem, quæ, perdito in tabem putredinis unam omni corporis machinamento, omnem omnino motum vitalem ſiſtit, hanc vim habere, ut intelligendi, niſi facultatem, certe uſum ex animo tollat. Sed nunc de loco altero, eiusque partibus ſingulis ſingulatim, propter dignitatem ſententiarum & novitatem, videamus. Eſt autem argumentum I. hoc. Deus, cum, animos in nihilum interire, non poſſit velle, ſequitur, ut eosdem in nihilum cogere omnino non poſſit §. 42. Rationes afferuntur iſtæ: a) Individua cuiuscunque rei natura ad æternam perpetuitatem idonea eſt. Ex eo fit, ut Deus, cum ani-

Digitized by Google

animos individuos fecerit, eosdem ſempiternos eſſe, quæ Ipſius ſapientia eſt, neceſſario velit §. 36. b) Eſt in Deo, ob præſtantiam Ipſius ſummam & plenitudinem, una omnino, eaque ſumma, & omnibus ſingularibus virtutibus par facultas. Quod plures virtutes, ut potentiam ſummam, ſapientiam, ſcientiam, iuſtitiam, Deo tribuunt, id non ex rei veritate ducitur, ſed ex eo, quod mens finita infinitam vim & magnitudinem non ſimul capit, ſed ſenſim & per partes ſibi qualicunque modo depingit. Itaque efficitur, ut Deus unus plures in Deos, v. c. in ſapientiſſimum & potentiſſimum, mente & cogitatione a pluribus, quamvis imprudenter & falſo, dividatur, §. 37-39. c) Deus ipſe nihil intelligit fieri poſſe, niſi quod his quaſi duabus virtutibus, voluntati & ſapientiæ, pariter conſentiat §. 40. d) Qui igitur affirmant, Deum, qua ſit ſapientia, idem non poſſe velle, ſed idem, qua ſit potentia, facere poſſe: ii concedant neceſſe eſt, unius eiusdemque facultatis uſum in Deo ſimul & eſſe, & non eſſe, §. 43. Argum. II. Si ulla animorum ad nihilum coactio eſſe poteſt, iſta aut in interiore ipſorum natura, tanquam in cauſſa ineſt, aut in quadam Dei actione. At in neutro ineſt. Etenim ex animorum natura, cum individua ſit, abitus in nihilum intelligi nullo modo poteſt, §. 46. Quodſi autem id officium divinæ actioni attribuamus, duo incommoda urgent; unum, quod vis divina id, quod modo conſervarat, conſervare deſinit, adeoque mutatur, §. 47; alterum vero, quod conſilium Dei, de animorum æternitate initum, exitum non habet, ſed item mutatur, §. 48. Argum. III. Animorum in nihilum interitus ſecum ipſe pugnat, §. 49. Id duabus rationibus approbatur. Una eſt: Mentes, cum monades ſint, nec in partes interire poſſunt, nec paullatim & ad plures particulas temporis. Neceſſe eſt igitur, ut, ſi tollendæ ſint, cum in nihilum, tum vero ad unum præciſe temporis punctum, & ſimul tollantur. Quod ſi ita eſt, earundem τὸ *eſſe deſinere*, & τὸ *non eſſe incipere*, in unam temporis particulam, eamque minimam, conveniunt. Ex quo fit, ut eodem tempore, & ſint, & non ſint. At veremur, ne, ſi quis dicat, τοῦ *eſſe* finem

finem ad punctum ω; ſed τȣ̃ *non eſſe* initium ad punctum α pertinere, vis huius approbationis collabatur omnis. Sed altera hæc habet. Animus, dum eſt, ad omnia omnino temporis puncta ſui ſibi conſcius eſt. Fit igitur, ut ad illud etiam punctum, ad quod in nihilum redigitur, eiusdem conſcientiæ uſum habeat, & ſui ſibi interitus ſit conſcius. Sed hoc nihil aliud eſt, quam interire in nihilum, h. e. non eſſe, & id ſcire, h. e. eſſe. Et hæc duo ſimul eveniunt. Itaque neceſſe eſt, ut animus, ſi hoc modo evaneſcat, ad idem temporis punctum & non ſit, & ſit. At vero, etiam ſi concedamus, (nondum enim aliquid affirmamus,) omni omnino tempore animum ſui ſibi conſcium eſſe: tamen inde non efficitur, ut eiusdem conſcientiæ uſus adſit, ubi animus non ſit. Immo, animus, dum eſt, ſui ſibi conſcius eſt; illo ſublato, hoc ſimul & uno momento, veluti igne lignum & durities, tollitur. Argum. IV. Si ullius rei in nihilum interitus a Deo fit, efficitur, ut duæ in ipſo motiones ſimul inſint, quæ ſibimet invicem repugnant. Etenim una rem, ut ſit & permaneat, conſervat, eaque quaſi ex interiore Dei natura ad exteriores, h. e. ab ipſo diverſas, naturas tendit. Altera autem hanc ipſam actionem rerum conſervatricem comprimit, & quaſi in Deum repellit, §. 50. Nobis hæc diſputatio nimium, ut aiunt, probare videtur. Nam primo inde fit, ut, quia τὸ ex nihilo aliquid progignere idem actionum ſibi contrariarum par, quamquam ordine alio, complectitur, neque animus, neque omnino mundus unquam ortus ſit. Quod dubitamus, an placeat noſtris Phyſicis. Ill. Auctori placet §. 54. & 55. Deinde, cum iſta actionum pugna in cuiusvis rei, ipſo profitente, interitum conveniat, neceſſario ſequitur, ut omnis mundus, &, quæ dicitur, materia, nunquam interire poſſit in nihilum. Denique, cum, de Ill. Creuzii ſententia, omnis omnium actionum variatio eiusmodi pugnam moveat, videndum eſt, ne Deus parum, certe hominibus minus, valere videatur. Iſti quidem, ut lubet, modo initium alicuius rei moliendæ faciunt, modo finem. Sed Deus, ſi ita, ut diſputatum eſt, mutationum impatiens eſt, efficitur, ut nihil incipere

poſſit.

Digitized by Google

poſſit, aut finire, ſed eundem cogitationum, conſiliorum, actionum tenorem, ſine omni varietatis delectatione, perpetuo, & omni æternitatis tempore, tanquam Catalepticus, ſervet. Arg. V. Cuiuslibet rei in nihilum interitus, ideam aliquam, quæ in Deo ineſt, imperfectam reddit, & minus plenam, §. 51. Ratio redditur ſic. Deus ſola, eaque ſibi propria quadam mentis & cogitationis contentione, ex ipſis ideis, tanquam ſeminibus, omnia progignit. Porro autem, ideæ eorum quæ fieri poſſunt, ideæ minus plenæ ſunt, & integræ; ſed horum, quæ reapſe ſunt, omnes numeros habent, ut ad plenitudinem deſit nihil. Quæ igitur ſunt, ea ex divinis ideis, veluti e cauſſis effecta, & plenitudinis quaſi partes, apta ſunt & copulata omnia. Ex quo fit, ut, ſi quid in nihilum redegeris, eiusdem rei ideam, quæ in Deo ineſt, mutiles quaſi, & quadam plenitudinis parte deminuas. At nos primo veremur, ne quis ex h. l. colligat, mundum omnem divinis ideis contineri, nec præter has ideas quidquam aliud eſſe. Namque ex ideis progignuntur, & apta ſunt omnia. Et, quale eſt ſemen, talem eſſe fructum, veriſimile eſt. Deinde haud ſcimus, an hoc pacto mundus omnis, non ſolum naturæ intelligentes, pro naturæ divinæ parte habendus ſit. Etenim ideæ divinæ ad Deum, ſine dubio, pertinent. Harum autem quaſi partes, quibus plenitudo conſtat, animi humani & reliquæ huius mundi partes ſunt. Arg. VI. Nullius omnino rei in nihilum interitus a Deo fieri poteſt, niſi ita, ut, quod Ipſe ſumma & pleniſſima ſui numinis vi conſervare nititur, ipſe tollat, adeoque ſibimetipſe repugnet, §. 52. med. Cauſſa præmiſſa hæc eſt. Quæ ſunt, e divinis ideis formantur. Sed hæ a tota, eaque una Dei facultate ſunt. Argum. VII. Animorum in nihilum coactio eiusmodi naturas tollit, quæ neceſſario ſunt, §. 52. extr. Ratio, e placitis Creuzii, colligitur ita. Immortales animi & æterni nihil repugnantiæ habent, ſed mente & cogitatione intelligi poſſunt, §. 36. Quod intelligitur, fieri poteſt. Quod fieri poteſt, eiusdem in Deo idea ineſt. Iam vero cum Deus, pro naturæ infinitate, de vi ſua remittere poſſit nihil, aut relinquere, quod deſideretur: fit, ut ideæ mi-

nus plenæ & imperfectæ, quas ad §. 51. demonſtravimus, in ipſo loci inveniant omnino nihil. Quod ſi eſt, ſequitur, ut divinæ ideæ omnes plenæ ſint, & omnibus numeris abſolutæ, h. e. habeant ex ſe quaſi progenita in naturæ veritate rerum exempla, ad quæ pertineant. Denique, cum idem Deus omnium mutationum impatiens ſit (§. 47. & p. 77.): facile intelligitur, haſce ideas neque oriri unquam potuiſſe, neque occidere, ſed, quamvis ex ſumma eius facultate, aptæ ſint, tamen æternitate Ipſi & neceſſitate pares eſſe. Sed quales hoc in genere ideæ ſunt, talia eorundem ſint exempla neceſſe eſt. Nos de prioribus huius ſoritæ partibus dubitamus, an veræ ſint, & quidem auctore Ill. Creuzio. Is enim p. 80. 81. Deum, negat, quæ homines ſibi intelligant, omnia & eodem modo intelligere; & p. 81. fieri poſſe, ait, ut humano in ingenio plura nihil inter ſe pugnare videantur, quæ apud Deum facultatem haud habeant. Denique nosmet ipſi ſcire velimus, de hominibus quis unquam mente finita infinitam animorum perpetuitatem comprehenderit, ita, ut ſenſu interiore plane pervideret, hoc in genere repugnantiæ latere nihil? Sequuntur deinceps §. 54-56. tres dubitationes, quæ in loco & ingenioſe explicantur. Una eſt: Si animi ab omni æternitate ſunt, & neceſſario, ſequitur, eosdem Deos eſſe. Id ita eſſe I. A. negat ex eo, quod cauſſa neceſſariæ æternitatis in Deo ſit alia, alia in hominibus. Namque Deum neceſſarium eſſe & æternum, quod, cum Ipſe aliunde plane non pendeat, interior eius natura hanc virtutem habeat, ut non eſſe non poſſit; animos autem propterea, quia non ex ſe, ſed e Deo, tanquam ex æterna & neceſſaria cauſſa effectus neceſſarii & æterni, apti ſint & ſuſpendantur, §. 55. init. Nos h. l. quamquam a Deorum incommodo I. A. merito liberamus & libenter: tamen haud ſcimus, an ſibimetipſum repugnet, quod dicit, æternos æternæ cauſſæ animos effectus eſſe. Sic non poſſumus intelligere, quid ſit, ex omni æternitate aliquid procreare, *die ewige Schöpffung* §. 56. 57. Sed veniamus ad alteram dubitationem, quæ in his ineſt. Si neceſſitas præteriti temporis & æternitas in animos conveniat, effici, ut

iidem

Digitized by Google

iidem in fortuitarum (contingentium) rerum numero eſſe amplius non poſſint, contra quam noſtri Philoſophi tantum non omnes contendant. I. A. ita ſe expeditum putat, ſi dubitationem veram concedat eſſe, & ſublata re, nomen retinendum cenſeat. Primum igitur animos fortuitos eſſe negat, hoc ſenſu, quo Philoſophi velint, ut ſint naturæ, quæ, ſi per ſe & ſolæ ſumantur, non eſſe poſſint. Rationes ſubiicit has tres. 1) Animi, ſi per ſe, & ſine firmamento, e quo quaſi pendeant, ſpectantur, apti ex ſe ſunt toti, nec extrinſecus immutari poſſunt. 2) Ex eo, quod mundi partes ex alio alium in locum ſitumque ſubinde tranſeundo mutantur, & perpetuo fluunt, male colligunt, omnem mundi compagem mutabilem eſſe ſic, ut ex nihilo oriri poſſit, & occidere in nihilum. Nam hæc duo plane inter ſe differunt. Nobis hoc πολυθρύλητον argumentum, quo ſane Metaphyſici inprimis nituntur, cum mundum hunc e nihilo coortum eſſe contendunt, indigere nonnullo vel approbationis, vel illuſtrationis adminiculo, videtur. Sed id diſputare pluribus in præſentia non licet. 3) Ex iſta de rebus fortuitis ſententia efficitur, ut omnis cum animorum multitudo, tum vero mundus omnis, temere ortus ſit & ſine cauſſa. Nam a Deo oriri non potuit, quod is immutabilis eſt, nec novi conſilii, aut novæ actionis quicquam, ullo temporis veſtigio ſuſcipit. (v. ad Argum. IV.) Et præter Deum, a quo iſta omnia eſſe poſſint, habemus nihil, §. 55. extr. Nos hanc controverſiam integram noſtris Metaphyſicis relinquimus. Hi vero de ſua & auctoritate, & veteri *der zufälligen Dinge* (fortuitarum rerum) poſſeſſione, videant, ne quid detrimenti Ontologia capiat. Id unum admonemus, rem, ut nos quidem intelligimus, maximi momenti & periculi eſſe. Nam, ſi fortuitarum rerum nihil eſt, neque per immutabilem Dei naturam exiſtere & extare ullo unquam tempore quicquam poteſt, quod non ab omni æternitate extiterit: neceſſario ſequitur, ut omnes omnino Dei motiones & molitiones neceſſariæ ſint, neque libertati, quam dicunt, voluntatis, locus relinquatur ullus. Ex quo fit, ut eandem facultatem temere ſibi attribuant homines & arroganter. Nihil

Digitized by Google

hil enim habere ſibi videri debent, quo Parentem ſui O. M. antecellant; nihil, quod non ab eodem benigniſſime datum ſit. Is autem, etiamſi velit, qui in animos transfundere poſſit, quo Ipſe careat? Deinde vero illud veremur vehementer, ut ad tantam incommodorum vim præſtandam ſatis ſit, quod a prudentiſſimo Cr. dicitur, *zufällige Dinge* (fortuita) retinenda eſſe, ſed hoc ſenſu, ut ſint, quæ per ſe & ſola extare & permanere haud poſſint, ſed firmamento aliarum rerum omni tempore indigeant; *Nothwendig* autem (neceſſarium) ſibi, dicit, appellari, quod eiusmodi firmamenti vim habeat, nec aliunde pendeat. Itaque fieri, ut & animi, & mundus omnis, quod a Deo, tanquam columna ſuſtineantur, res fortuitæ ſint; & Deus, quia rationem ſuæ naturæ & æternitatis ſuſpenſam non extrinſecus, ſed ex ſe habeat, neceſſarius ſit, §. 56. At, ut olim Auguſtus, nominibus popularium magiſtratuum relictis, ſed vi ademta, rem Romanam tollere inſtituit, ita nobis Ill. A. rationem totius mundi & imperii formam mutare, ſed conſilium rerum novarum & ſtudium, veteri appellatione & occultare, & commendare, videtur. Ne quis autem temere h. l. commoveatur, res adhuc ſalva eſt. Certe tam operoſa novarum definitionum machinatione nihil aliud proficitur, niſi, ut nomina *zufällig* & *nothwendig*, ex antiqua ſua ſede & legitima, in novum, *des Abhängigen und Unabhängigen* (rerum ex ſe & aliunde pendentium,) domicilium, contra conſuetudinem germanice philoſophantium, immo omnino loquentium, transferantur. Iſta autem incommoda, quæ modo attigimus, manent. Quod planius etiam ex his, quæ deinceps dicenda ſunt, intelligetur. Sequitur enim tertius dubitandi locus p. 76. de eo, mundum omnem, & animos, non ita neceſſarios eſſe, uti Creuzius velit, h. e. ut ullo ante tempore non eſſe non potuerint. Rationes adſcribuntur duæ. Una eſt, Deum ab omni æternitate conſilium huius mundi & inire, & prætermittere potuiſſe. At Ill. A. p. 77. eiusmodi deligendi e pluribus conſilii facultatem Deo ineſſe negat, propterea, quod tribus incommodis prematur: a) Ut Deus conſilium mutare poſſe, dicendus ſit; b) ut idem vim ſuæ facul-

tatis

Digitized by Google

tatis modo intendere, modo relaxare poſſe videatur, quorum utrumque immutabili Ipſius naturæ repugnet; c) ut concedendum ſit, Deum in conſiliis ſuſcipiendis ſui negligentem eſſe, nec ullam rationem habere. Nam aliter fieri non poſſe, ut plura, eaque contraria conſilia, parem deligendi facultatem habeant. Sed altera huius tertiæ dubitationis cauſſa p. 78. hæc eſt. Qui aut aliter, aut plane non eſſe potuerit, mundum poſſe intelligi. I. A. reſpondet, eiusmodi mundum, qui imagine notionis contineatur, & qui extra animum reapſe ſit, differre inter ſe longiſſime: illum cogitando a Deo disiungi; hunc autem ex ipſo & pleniſſimo divinæ facultatis uſu aptum eſſe & copulatum. Igitur utriusque rationem etiam inter ſe differre. Inde fieri, ut, quamvis, qui cogitatione depingatur, mundus non eſſe poſſe videatur; tamen, qui in rerum veritate extet, ob immutabilem illum divinæ facultatis uſum neque immutari poſſit, neque non eſſe. Vide ſis argumentum VII. Sed de dubitationibus, earumque defenſione, ſatis. Nunc reliqua duo argumenta perſequamur, ſi pauca prius de prioribus monuerimus. Omnis hæc diſputatio, a periculoſarum & ſpinoſarum ſententiarum, quæ Deum & mundum omnem in unum cogere, & vocabulo Dei præter inane quoddam, idque ſimplex, infinitum, & immutabile, cui mundus innatet, concedere nihil conantur, iſta igitur diſputatio, ab eiusmodi ſententiarum patrocinio propius, quam pro noſtro in tantum philoſophum animo vellemus, abeſſe nobis, & haud dubie etiam aliis, videtur. Nos tamen nihil decernimus, atque etiam, qui hæc legerint, eos rogamus, ut contemtæ religionis chriſtianæ ſuſpicione ne moleſti Ill. Auctori ſint, ſed potius ab omni ſe aſſenſione contineant, donec alio loco, (brevi autem id futurum ſperamus,) ipſe, quid de Deo, Mundo, & Inani Lucretii ſentiat, copioſius & dilucidius demonſtraverit. Etenim ſola fortaſſe orationis brevitas, quam is ob multitudinem civilium negotiorum, & otii anguſtias, ſecutus eſt (v. §. 58.), hanc interpretationis difficultatem obiecit. Noſtrum autem opinionis timorem, quæ deinceps ſunt, confirmant. Argum. VIII. ſic habet. Animo vel uno in nihilum redacto, plenitudo

divinæ naturæ & abſolutio deminuitur. Rationes ſubiectæ ſunt tres. 1) Mundus omnis, cuius partes ſine dubio animi ſunt, tanquam frequens partium numerus totum, plenitudinem divinam continet, p. 79. 2) Ita efficitur, ut divina ſapientia minus, quam antea, vim ſuam exſerat, p. 80. Etenim animi, ſuo quisque e ſpectaculo, quandam huius mundi, tanquam ſcenæ, partem intuentur, conf. §. 9. Igitur, his ſublatis, fit, ut, quæ iis attributæ fuerant, mundi partes, ſine ſpectatoribus, h. e. fruſtra ſint. 3) Intelligentia divina hoc pacto quasdam ſui quaſi partes, quibus abſolvitur, h. e. ideas amittit. Namque, a) evaneſcentibus in nihilum animorum exemplaribus, divinæ eorundem ideæ minus integræ (v. Arg. V.) redduntur. Sed idearum id genus cum Deus inpatiens ſit, neceſſario fit, ut ideæ eiusmodi animorum evaneſcentium evaneſcant ſimul; & loca quaſi vacua in divino ingenio relinquant. *Es würde in dem göttlichen Verſtande, daſs ich mich ſo ausdrücke, ein leerer und alſo überflüſſiger Raum ſeyn, wo noch eine Vorſtellung fehlte,* p. 80. b) Deinde etiam videndum eſt, ne ſingulare quoddam idearum genus omnino depereat, quod cum ob infinitam divinæ mentis plenitudinem recte deſideretur, tum vero ab eadem ſine animorum interventu præſtari nullo modo poſſit. Etenim, animi, pro ſuo quisque loco & ingenio, ſuum ſibi, eumque proprium idearum veluti mundum progignunt; qui tamen ab eo, qui extra cogitationem eſt, disiungi non poteſt, p. 81. Quot igitur ſunt animi, totidem cogitabiles mundi ſunt. Atque de animis uno ſublato, eiusdem omne idearum σύςημα nullum eſt. Neque, quod fortaſſe aliquis putet, eiusmodi idearum detrimentum divina vi reſarcitur. Nam eodem modo, mens infinita & finita, ideas ſibi confingere non poſſunt. Iſta enim omnia ſimul; hæc autem ſingula ſingulatim, certe pauca ſimul, contuetur. Unde etiam fit, ut in finitis ingeniis plura coniungendarum idearum genera inter ſe convenire fortaſſe videantur, quæ in infinita mente ſibimet repugnent, p. 81. Arg. IX. ſapientiæ repugnat, iubere, non eſſe id, cuius eſt uſus alius omnino nullus, niſi ut ſit, & omni æternitatis tempore

pore

pore permaneat. Sed ex eo genere animi ſunt. Id approbatur ſic. Uſus animorum a) neque in eo cernitur, ut virtus divina nobilitetur. Iſta enim ſe contenta, &, ut ita dicamus, infinitior eſt, quam ut a finita animorum vel omnium vi aut capi, aut ſatis recte cognoſci poſſit, & prædicari, p. 79. Neque b) is eſt, ut divinum ingenium adiuvetur aut delectetur. Namque eorum ideæ ipſis ſunt propriæ, neque a Deo, ob infinitam naturæ diverſitatem, eadem ratione conformari poſſunt & cognoſci, p. 81. Neque c) eo valet, ut de animis alter alterius ſapientiam & beatitatem invicem adaugeat. Etenim eodem modo omnes ſuum quisque ſibi idearum mundum, eumque ab alienis prorſus diſtinctum, inter ſe habent; ſui ſibi quisque conſcii ſunt; & ſua quisque vi, ſine alieno adminiculo, ſi a Deo diſceſſeris, extant, p. 82. Igitur d) fit, ut iidem eo ſolum comparati videantur, ut ſuum quisque locum in mundo expleant, &, veluti partes totum, univerſam naturæ plenitudinem abſolvant. Nihil eſt h. l. quod nos denuo ſollicitet, niſi quod neſcimus, quid Theologis noſtris reſpondeamus, ſi quis ſit, qui queratur, Philoſophos palam ſuſtinere obloqui libris divinis. Etenim, cum hi, Deum affirment, omnes hominum cogitationes cognitas & præceptas habere, Ill. Creuzium negare p. 80. 81. 82. genus notionum finitum infinitum in Deum omnino quadrare. Itaque fieri, ut hominibus etiam improbiſſimis, conſiliorum Deo occultandorum ſpes proponatur & impunitas, contra quam ipſe p. 51. extra velit. Denique timendum eſſe, ne Luciani precationes religioſas aut plane irrideant, aut certe earum uſum otioſis mulierculis relinquendum contendant, ex eo, quod incertum ſit, pertineantne iſtæ ad Deum, qui ſenſum capiat, an in caſſum fundantur. Nunc reſtat, ut, quoniam ita inſtituimus, ſummam huius demonſtrationis ſolemni formula complectamur. Eſt autem hæc. Si animi in nihilum tolli aliter non poſſunt, niſi ſic, ut 1) in Deo unius eiusdemque facultatis uſus ſit ſimul, & non ſit; 2) ſuſcipiatur id, quod, cum ab individua animorum natura abhorrere videtur, tum vero immutabilitati divinæ repugnat; 3) ipſi in eodem temporis veſtigio, & ſint,

&

& non ſint; 4) duæ, eæque contrariæ, motiones in Deo inſint; 5) divinæ ideæ quadam ſui parte mutilentur; 6) quod a ſumma Dei vi, qua potentius eſt nihil, conſervatur, id evaneſcat; 7) cum ipſi non eſſe non poſſint, non ſint; 8) plenitudo divinæ naturæ imminuatur; 9) ſapientia divina fruſtra aliquid, & contra conſilium, h. e. inſipienter moliatur; Si igitur animi tolli in nihilum aliter non poſſunt, neceſſario fit, ut ad nihilum redigi plane nequeant. Sed primum verum eſt; ergo ſecundum etiam. De propoſitione qui dubitare ſuſtineat, arbitror, erit nemo. Etenim tota, ut Ipſe §. 43. 58. 59. admonuit, e principio repugnantiæ, i. e. ut nos interpretamur, ταυτολογίας, ducitur. Namque, ſi pariatione utare, hanc vim habet: ſi animi in nihilum redigi non poſſunt, iidem in nihilum redigi non poſſunt. Nonne autem hoc ipſum eſt ταυτολογεῖν? Itaque neſcimus, quid ſit, quare eiusmodi formularum genere, tanquam ἑρμαίῳ, magnopere lætemur. Sed veniamus ad aſſumtionem, in qua omnia ſunt, cuiusque veritas, ſeu potius veriſimilitudo, aliunde, quam e lege repugnantiæ, repetenda eſt. Atque in ſingulas fere eiusdem partes, quæ ſuo quodque loco paullo ante diſputata ſunt, hic omittimus. Sed de univerſo argumento videamus. Eius vis ſumma ſine dubio in eo cernitur, ut verum certumque ſit, Deo, qualem Creuzius dixerit, talem facultatem, h. e. unam, immutabilem, eamque omnibus vel diverſiſſimis actionibus parem, & pleniſſimo idearum genere refertam, ineſſe. Atqui id placitum, quantum nos quidem diſpicimus, ſpiſſiſſimis tenebris, noſtra etiamnum memoria, & magnis difficultatibus laborat. Primum enim mens humana, e qua, veluti imaguncula, omnis naturarum intelligentium, adeoque Ipſius Dei cognitio ducta confingitur, quam formam habeat & ſpeciem, qua quaſi materia ſit, latet. Conf. Cr. P. I. §. 59. Deinde, quam vim & obſcuritatem facultatis verbum habeat, nuper ad §. 48. P. I. demonſtratum eſt. Porro autem, interiorem naturæ infinitæ vim, finita a mente, præſertim hominum, qui ne mundum quidem omnem, qualis ſub luna ſit, perſpiciunt, aut capi omnino, aut recte cognoſci, vix credibile videtur.

Deni-

Digitized by Google

Denique, ut cum Ill. Cr. loquamur, hæc omnis vita cum in imaginario cognoſcendi genere verſetur, qui tandem ex eo, quod falſum eſt & mendax, colligere, quod verum ſit & certum, ullo modo poſſit? Relegat, qui volet, P. I. §. 36-56. Ex his fit, ut cum aſſumtio ex incognitarum rerum genere ſit, & parum cognitis aſſentiri non liceat, nos de iſta, adeoque tota formula & demonſtratione aſſenſum recte retinere videamur. Iam vero porro Hum. Creuzio quamquam pro induſtria & voluntate gratiam habeamus, tamen noſtrum animum ad certiorem æternitatis ſpem hoc pacto non ſatis confirmari, ingenue profitemur. Ipſe præſentiorem huius diſputationis vim ſenſit. Etenim eam veram, ad aſſentiendum certiſſimam, & tantum non invictam eſſe, pronunciat. Vide ſis §. 35. 53. & 58. Sed cauſſa ſine dubio hæc eſt, quod de iſta divinæ facultatis unitate, de fatali quaſi eiusdem immutabilitate, & de neceſſaria idearum plenitudine, plura Ipſius animo argumenta obverſantur, quam propoſuit. De alia cauſſa, quæ Ipſo auctore in mira ingeniorum diverſitate ineſt, vide ſis ſupra Argum. VIII. 3, b. & IX, c. Igitur, ſi quando de Natura Dei pluribus diſſerere & ſingulatim ſuſtinuerit, fortaſſe fiet, ut iſta demonſtratio alios etiam ſimili ad perſuadendum ſenſu commoveat. Nobis quidem adhuc de Philoſophia, (diſciplinam enim divinarum litterarum, uti fas eſt, excipimus,) quæ interiorem Dei O. M. naturam inveſtigat & contemplatur, optima ad coecitatem huius vitæ noctemque, & veriſſima ſemper viſa eſt vox illa Socratis, quam etiam in extremo ſpiritu non mutavit: *Nihil ſe ſcire, niſi id unum, ſe nihil ſcire.* Tamen hoc in genere ſi quis Socrate non phyſico plus ſciat, non invidemus; miramur potius, &, quod ad diſcendum datur, accipere animo avido, atque ad uſum vitæ transferre parati ſumus. Nunc veniamus ad locum tertium huius libelli, & ultimum, qui de animorum poſt mortem conditione & vitæ genere exponit. Sed in eo, quoniam diſputationes continet, quæ aut e ſuperioribus facile intelliguntur, aut in coniecturis verſantur, breviores ſimus. Specimina igitur pauca hæc ſunto. Pag. 95. Animi, ſi ſine corpore ſint,

 for-

formam ſui ipſorum & ſpeciem vident; eorum cogitationes, quia nulla ſignorum adinveniendorum mora retardantur, omnem huius vitæ celeritatem & difficultatem ſuperant longiſſime. Pag. 96. ex intuitivo intelligendi genere, quo ſolo utuntur, plus voluptatis capiunt, & omni ſenſuum confuſione vacant; ſic quando nos concentus muſici continuatione movemur, hi minimos quosque aeriorum elementorum tremores vident & numerant. Pag. 105. Iidem quodam communicandorum cogitatorum genere utuntur, ſed quod a verbis aliisque ſignis liberum eſt, & in ſolo eoque mutuo conſcientiæ uſu cernitur. Pag. 108. Notis ex hac vita animis oblatis, alii de ſuorum ſibi ſuperſtitum fortuna certiores fiunt; alii crudelitatis, iniuſtitiæ, & vanarum in philoſophando diſſenſionum admoniti, pudore & poenitentia ſuffunduntur; alii gratias ſibi a poſteris haberi, & ſe amari, gaudent, quod ſeverunt arbores alteri ſeculo utiles. Pag. 112. Ex alio alium in planetam dum transvolant, philoſophos fortaſſe offendunt, ad quorum ſapientiam Newtoni noſtri eſſe ſimii videantur. Pag. 117. Prodigia & larvas multi, ut de more ſeculi ſapere videantur, interdiu & apud alios vident; ſoli & noctu pertimeſcunt; id quod ipſum Hobbeſium feciſſe ferunt. Pag. 118. Lex, e qua prodigia vera agnoſci, & a falſis diſcerni poſſe videntur, hæc eſt: ut videamus, an ad conſilia paullo maioris momenti, & negotia, referantur. Pag. 119. In eiusmodi rebus maioribus ſunt bellorum exitus, ut apud Brutum, mortis noſtræ propinquitas, imminens calamitatis gravioris periculum, & aliorum incommodorum denunciatio. Pag. 133. Æternitas miſeriæ & ſuppliciorum, nec certa eſt, nec pugnantia continet. Rationes adſcribuntur hæ quatuor: 1) Qui eam Deo adverſari contendunt, accipiunt, quod a Philoſophis & Theologis dari non debuerat. Sic enim argumentantur. Si Deus hunc mundum præſtantiſſimum eſſe, ex animi ſententia, & neceſſario vult, idemque mundus ſine quibusdam animis, qui ſemper futuri miſeri ſunt, præſtantiſſimus eſſe non poteſt, ſequitur, Deum ſempiternam horum miſeriam ex animi ſententia & neceſſario cupere; ſed prius verum eſt, igitur poſterius etiam.

etiam. Atqui de duobus, quæ iſti aſſumunt, alterum, huic mundo, quod præſtantiſſimus ſit, animos ſemper miſeros neceſſario ineſſe, incertum eſt. Fit igitur, ut ne illud quidem, quod ex eo dependet, certum ſit, Deum eiusmodi infelicitatem neceſſario velle, & ob huius voluntatis neceſſitatem, iniuſtum, crudelem, & minus ſapientem eſſe. 2) Pag. 135. Fieri poteſt, ut animi hominum ſemper miſeri ſint, ita, ut culpa Deus vacet. Namque ſi, quod libri divini tradunt, uti fas eſt, accipias, Deum homines pari ad æternam beatitatem conditione progenuiſſe omnes, ſed eiusdem conditionis uſum arbitrio ipſorum & rationi reliquiſſe: facile intelligitur, etiamſi omnes omni futuri temporis æternitate miſeri ſint, tamen eius miſeriæ cauſſam in hominibus ineſſe omnem, in Deo nullam. Sed de illo hominum arbitrio, ut, quid Ill. A. videatur, plenius intelligas, confer ſis, quæ ad §. 50. extr. & 55. demonſtrata ſunt. 3) Pag. 136. Æterna hominum vel felicitas, vel infelicitas, utrum ad præſtantiam huius mundi vel minuendam, vel augendam valeat, an minus, non conſtat. Fortaſſe enim, ob inſignem huius terrarum orbis parvitatem, maior hominum pars, etiamſi ſemper futura miſera ſit, ad infinitum naturarum intelligentium, quæ in aliis mundi locis, & ſemper beatæ futuræ ſunt, numerum, in tanta paucitate eſt, ut de iſtis ſinguli ſingulis harum millionibus reſpondeant. Quo efficitur, ut illa animorum miſerorum multitudo, quamvis ingens nobis videatur, ſi univerſum mundum ſpectes, ne appareat quidem, ſed reliquo ſummæ præſtantiæ & beatitatis ſplendore obruatur. 4) Ne divinis quidem libris res conficitur. Hi enim, quamquam hominum improbitati æternitatem ſuppliciorum, nominatim, & dilucide denunciare videntur: tamen nonnullam contra ſentiendi cauſſam, auctore quidem Tillotſono, relinquunt. Is enim in Select. Conc. P. II, 11. *In ſuas quisque,* inquit, *comminationes hanc vim poteſtatemque habet, ut earum fidem, prout libet, praeſtare poſſit, vel mutare. Nam malis omittendis nemini iniuria fit, quod in praemiis pollicitationibusque contra eſt*, p. 137. Pag. 143. Tam amabilis ſine dubio beatitatis ratio eſt, & forma, ut verendum

Digitized by Google

ſit, ne, ſi adſpectus detur, & paullo certior eiusdem conſequendæ ſpes, plures eodem ex hac vita tranſitum ſibi, vi, & Dei iniuſſu aperire nitantur, quo ſummæ voluptatis uſum ſibi repræſentent. Reſtat, quod coronidis loco p. 145 - 168. eſt, carmen, ipſi libello, ubertate ſententiarum, verborumque elegantia, geminum. Inſcribitur: *Die Gräber* (*Sepulcra,*) Ode IV. propterea, quod tres odæ eiusdem argumenti olim ab Ipſo in publicum datæ ſunt. Continet autem præter eas, quæ e ſuperioribus diſputationibus repetuntur, alias cum de animorum immortalitate dubitationes, tum vero etiam de vanitate huius vitæ & obſcuritate querelas, ut recte Ipſi partim ſpem melioris vitæ confirmare, partim rariorem illam quidem, ſed valde neceſſariam rerum humanarum deſpicientiam, commendare poſſe videatur. Denique, ſi quæ dubitationes parum h. l. diſſolvantur, earum uberiorem explicationem Oda V. proponere pollicetur. Cuius nos rei fidem, quamquam ad incertum diem data eſt, tamen primo quoque tempore exſolutam cupimus. Iam vero ex iſtis certe ſuaviſſimis ſententiarum ſpeciminibus, quæ ex utroque opuſculo delibavimus, qualis integer ſit miſſus, facile H. L. iudicabit. Pauca tamen his addere adventicius appoſitarum epularum ornatus, quem in Epitomen transferre non potuimus, nos cogit. Eſt orationis genus, ſi a perpaucis diſceſſeris, purum, copioſum, &, quo inprimis lætamur, ingenioſo homine dignum, quod ſcholaſticis barbarorum terminorum moleſtiis plurimum vacat, & iocorum liberalium, comparationum, & alluſionum elegantia, pro argumenti tenuitate, legentis animum ex cogitandi contentione relaxat ſuaviter & reficit. Inprimis Poetæ, etiam veteres, (modo ne in his Poetam deſideraremus,) ad varietatem diſputationis & perſpicuitatem, ſæpius, & quidem auctore Cicerone Tuſc. Diſp. II, 11. non ſine delectu advocantur. Deinde vero ſententias ipſas, non ſolum inopinata quædam novitatis gratia, & utiliſſimus ad perſpicuitatem ordo & ſubtilitas commendant; ſed etiam admirabilis animi & magnitudo & modeſtia, quæ, cum humanitatis memor, ſua non vult tanquam a Pythio Apolline dicta videri, ſed ſe probabilia

Digitized by Google

lia coniectura, in his maxime, ſequi, profitetur; tum vero patiens veri & cupida, copiam contra, ſed humaniter, diſputandi libenter facit aliis, & ultro: *So offt ich auch in dem hohen Ton der Gewiſsheit reden werde, ſchlieſſe ich doch die Möglichkeit zu irren niemahls aus.* P. I. p. 160. coll. P. II. p. 100. §. 35. 53. 59. Denique coniuncta plerumque cum modeſtiæ amore, & prudens in omnem partem, & neceſſaria ad conſtantiæ laudem, diligentia, omnia argumentorum loca & aditus, ita vel dubitando, vel confirmando, munit, ut haud facile accidere poſſe reprehenſionis genus videatur, de quo locum habeat illud: *Non putaram.* Non veremur, ne non eiusmodi virtutes ſummam reliquorum librorum, quos Ill. A. humaniſſime promittit, in omnibus exſpectationem concitent. Sunt autem hi: a) De iis, quæ in Deo humanis ingeniis maiora ſunt, & tenuiora; quem in manibus iam habet, ſed perpolit diligentius: mentio eius fit in Præfat. P. I. b) De divinatione per ſomnia. P. I. p. 137. c) De divinatione univerſa, ib. p. 263. d) De animi & corporis commercio, ib. p. 223.

AN EXPLICATION OF ALL THE INSCRIPTIONS in the Palmyrene Language, &c.

h. e.

EXPOSITIO PALMYRENARUM INSCRIPTIOnum, quotquot ad hoc temporis in hominum doctorum notitiam venere, omnium, quinque epiſtolis comprehenſa, quas ad V. R. THOMAM BIRCH, Theol. D. & Regiæ Societatis Londinenſis Secretarium, exaravit IOANNES SWINTON, M. A. Collegii Chriſti, quod apud Oxonium eſt, & Societatis eiusdem regiæ collega.

9. plagg. cum 12. tabulis aere excuſis. 4.

Palmyrenarum inſcriptionum celebre nomen eſt in hiſtoria literaria Sæculi ſuperioris exeuntis, & huius medii. Ad quas interpretandas, mirum dictu eſt, quam vehemen-

Digitized by Google

ter exarſerint viri docti, quorum ſtudia in tractandis literis orientalibus verſata fuerunt. Anglis præcipue plurimum illæ debent. Hi enim ſunt illi, qui & primi eas in famam atque conſpectum produxerunt, & nuper iterum eas multo, quam ante, diligentius fideliusque, & ſermone enarratas, & radio cælatas, in opere illo ſplendidiſſimo reddiderunt, quo Palmyræ rudera expoſuere. Quorum hominum, quæ fuerint & quanta de his inſcriptionibus merita, non eſt huius loci, ſed alterius erit, dicere. Iam id agemus, ut, quanta cum ſagacitate, tum felicitate, verſatum *Swintoni* V. C. ingenium in illis inſcriptionibus interpretandis fuerit, pauciſſimis indicemus, quantum eius rei per ipſam earum inſcriptionum rationem fieri poterit; quæ ratio eiusmodi eſt, ut, niſi ipſæ inſcriptiones oculis ſubiectæ fuerint & obverſentur, neque ſatis verbis declarari, neque, quas earum Swintonus dedit interpretationes coniecturasque ſuper illis, eæ recte iudicari & æſtimari poſſint.

Prima itaque epiſtola illarum quinque, quibus omnes literaturæ Palmyrenæ reliquias complexus eſt Swintonus, gemino defungitur munere. Nam & quo tempore, & qua ratione in alphabeti Palmyreni cognitionem inciderit, & rem indagarit atque deprehenderit, quæ tot hominum doctorum ingenia fruſtra exercuerat, ſignificat; & ex alphabeti a ſe reperti rationibus, partem Palmyrenarum inſcriptionum illam interpretatur, quæ utroque ſermone, Palmyreno puta græcoque, exaratæ ſunt, & Swintonum pariter, atque *Barthelemyum*, virum in Francia doctiſſimum, in eam viam duxerunt, qua literarum olim obſcuriſſimarum vim rationemque tandem reperere. Reddemus ipſa Swintoni verba, ut de fide eius, in qua probanda multum laborare videtur, inter omnes conſtet. Nam, quum Barthelemius Pariſiis ita, ut Swintonus Oxonii, eodem propemodum temporis articulo, eademque via, Palmyrenarum literarum legendarum rationem excogitaſſet, atque libello in lucem edito expoſuiſſet, facile fieri poterat, ut alter alteri, quæ eius erant, ſublectum, & alienam gloriam in ſe derivatum iſſe, videretur. Intelligebat igitur

Swin-

Digitized by Google

Swintonus, omnem operam ſibi dandam eſſe, ut malam a ſe ſuſpicionem, & ab exiſtimatione ſua turpem maculam, averteret. Id quod ſe conſecuturum ſperavit dierum horarumque ipſarum, quibus Palmyrenarum literarum quasque primum perſpicere coepit, deſignatione tam diligente & pæne anxia, ut ſint futuri, quibus in demonſtranda ſua fide atque religione modum exceſſiſſe videatur.

Quas igitur literas Swintonus hoc in negotio primas ad Birchium dedit, die Maii trigeſimo anni 1754. exaratas, eæ hunc in modum ordiuntur. „Erat in ipſo exitu ſuperior „annus, quum complura exempla libri, qui ſub elogio *Ruins* „*of Palmyre* tum recens prodierat, Oxonium perferrentur, „& in his unum ad Virum Reverendum, *Godwynum*, Col„legii Balliolenſis Socium & præfectum. Iſtius viri docti „hortatu & exemplo, perluſtravi radio cælatas imagines veteris „ævi reliquiarum. Summam ea res nobis delectationem pe„perit, quamvis ſolis pæne tum quidem inhæreremus & ocu„los infigeremus inſcriptionibus, illis præcipue, de quibus per „has literas Tecum agere, Vir eruditiſſime, decrevi. Ita „vero eas ſpectabamus, ut ſolent homines rerum novarum „avidi, ad earum rerum oblatum repente conſpectum, quas „non intelligunt, ſtupere. Paullo poſt, ineunte hoc anno, „intelligebam e Godwyno, literarum quarundam Palmyrena„rum vim ab eo deprehenſam illa via fuiſſe, quod exaratas „ſermone Palmyreno inſcriptiones illas, quæ adiunctas habe„rent græcas interpretationes, cum his contuliſſet; eumque „ſe tuliſſe ſuæ diligentiæ fructum, ut voces nonnullas Palmy„renas integras legere queat. Qua de re quum certiorem „me faceret, idem mihi quoque auctor & ſuaſor erat, ut iis„dem inſcriptionibus, quæ utroque ſermone dictatæ & per„ſcriptæ eſſent, inter ſeſe comparandis animum adiicerem. „Sperare enim ſe aiebat, ea via ad cognitionem Alphabeti Pal„myreni tandem perventuros. Ego vero ut in ea re „perficienda operam tum quidem temporis collocarem, „negabam in poteſtate mea ſitum eſſe; aliis enim curis ani„mum eſſe occupatum, quas quam celerrime expediri, &

„ab-

„abſolvi ante alia omnia, neceſſe eſſet. Interea tamen, quas „horas ab arduo illo opere vacuas eſſem habiturus, promit„tebam eas novo huic ſtudio daturum, facturumque pericu„lum meorum in eo ſucceſſuum. Ita factum, ut die quodam „Saturni, 12. Ianuarii 1754. erat ille dies, eiusque diei hora „a meridie quinta, exemplum aliquod Ruderum Palmyreno„rum, ab amico mutuo acceptum, in manus ſumerem, & in„ſcriptiones græcas, quæ illo in opere numerorum ordine „ſunt XVI. XVII. & XIX. cum Palmyrenarum VIII. IX. & X. „animi quanta poſſem ſumma contentione compararem. „Quæ res tam feliciter mihi ſucceſſit, ut, antequam horæ duæ „præteriſſent, non ſolummodo viginti alphabeti Palmyreni „literas repererim, ſed etiam, id quod mirifice me exhilara„bat, tres illas inſcriptiones, quas poſteriore loco edidi, po„tuerim interpretari. Paullo poſt, illo temporis intervallo, „quod a ſeptima ad octavam ibat, Godwynus, quo laborem „leviorem mihi faceret, voces quasdam, a ſe ex inſcriptionibus „Palmyrenis exſculptas, & hebraicis literis expreſſas, ad me „mittebat, unaque vim & ſignificationem octodecim Palmy„renarum literarum. Eundem, quod mirere, vir ille doctus, „in charta ad me miſſa, & ordinem literis iisdem, & vim can„dem, quam ego, tribuerat. Id quod de inventi mei veri„tate certiorem me faciebat, & animum in præclara, quam „de eo conceperam, opinione confirmabat: — Proſpera „fortuna, qua in explicandis illis inſcriptionibus uſus eram, „quæ græcam interpretationem formulæ Palmyrenæ adiun„ctam haberent, animum mihi & calcar velut addidit, ut illas „quoque attingerem inſcriptiones Palmyrenas, quæ græca in„terpretatione carerent. At opus id erat multo impeditius, „neque tam plana via, atque in illo ſuperiore, procedebam: „videbam enim, literarum, in utroque genere, non mediocrem „eſſe disſimilitudinem. Superavi tamen & has tandem quo„que difficultates, ante exitum diei Iovis, 17. Ianuarii 1754. „quo tempore de viginti & una literis Palmyrenis certo mihi „conſtabat, & videbar eo mihi hac in literatura proceſſiſſe, „ut confiderem, ſeptem inſcriptiones, de tredecim univerſis, a

me

Digitized by Google

„me latine & anglice reddi poſſe; in quibus ſeptem inſcriptio-
„nibus tres eſſent, a quibus græca abeſſet interpretatio. Tan-
„dem ante finem Februarii menſis, anni huius ipſius, eo rem
„adduxeram, ut interpretandis univerſis tredecim inſcriptioni-
„bus par & idoneus ipſemet mihi viderer eſſe, una excepta
„duodecima, quippe cuius literæ non paucæ deletæ trunca-
„tæque eſſent. Quamvis in eo neque diu, neque multum mihi
„laborandum eſſet, ut & huius ipſius ætatem deprehende-
„rem: nota enim, qua ea deſignata fuerat, ſatis perſpicue ap-
„parebat: univerſæque inſcriptionis vim & rationem percipe-
„rem. Tantam quoque contraxeram eo tempore cum Pal-
„myrenis literis familiaritatem, ut eas, tanquam digitos meos,
„callerem, una litera *Tzade* excepta; quam tamen, ni mul-
„tum fallor, vel ipſam quoque tempore poſt reperii.

„Hi ſunt, Vir eruditiſſime, veluti gradus, per quos ad eum,
„quem tandem conſecutus ſum, literaturæ Palmyrenæ uſum
„aſcendi. Iam Tua cum venia adiungam Alphabetum Pal-
„myrenum, cum quibusdam modis literas plures inter ſe vin-
„ciendi. Tum accipe latinam & anglicam interpretationem
„ſex Palmyrenarum inſcriptionum, haud parum ab adiunctis
„græcis illuſtratarum; & aliarum quatuor, a quibus græca
„abſunt. Subiiciam illis obſervationes quasdam meas ſubita-
„rias, & notationes dierum, quibus inſcriptionum ſingulas
„quasque enodavi."

Habes Lector, univerſæ opellæ deſcriptionem, quam, ſive noſtris, ſive auctoris verbis legeres traditam, tua nil intererat: nobis non deerant cauſſæ graves, quare mallemus eam a te auctoris, quam noſtris verbis traditam, legi. Exſpectabis iam a nobis ſpecimina quædam inſcriptionum Palmyrenarum, & rationum, quibus Swintonus eas interpretatus eſt: verum vix audemus exſpectationi tuæ, ſane iuſtæ & æquæ, ſatisfacere. Nam inſcriptionum & interpretationum illarum ea eſt ratio, ut niſi cælatæ radio imagines inſcriptionum oculis ſubiiciantur, quod hoc loco fieri nequit, neque quantumvis diligens diſputatio, & rationum, quibus interpretationes Swintonianæ ſingulæ muniuntur, declaratio intelligi, neque

Pp pp iudi-

Digitized by Google

iudicium de ipſis rectum ferri poſſit. Id igitur unum univerſe monebimus, in exponendis Palmyrenarum inſcriptionum illis, quæ breves eſſent, græcamque haberent interpretationem, viſum nobis eſſe Swintonum ſatis bene feliciterque verſatum; at in illis longis, & græca interpretatione deſtitutis ipſe tu videris, operam ne luſerit, vel ex hoc uno ſpecimine inſpecto, quod ex epiſtola ſecunda excerpſimus. Ibi nempe inſcriptionem, quam ipſi placuit numero tertio ſignare, latine ſic interpretatur: nam hebræa quoque referre nil attinet. *Menſe Elul anni 360. donum hoc atque ara — Badi atque Amriſamſae & Zebidae filiorum Malchi, filii Iariboli, filii Naſae, repoſita*, (ſive *Donaria*) *Maddae* (ſive *Matthae*) *filii Abdebalis. quod cum aedificium collapſurum timeret ſervus eius aſcendens patrem ſuum ſera* (vel *peſſulo*) *clauſum abſtulit & propter ſalutem eorum & ſalutem fratris eius & liberorum ſuorum.*

Duas itaque primas epiſtolas implet expoſitio Palmyrenarum illarum inſcriptionum, quas Dawnkinſius, cum itineris & operis ſocio, in *Ruins of Palmyra* edidit. Tertia verſatur in illa interpretanda Palmyrena inſcriptione, quæ Romæ iam a longo tempore ſervatur, & a Grutero atque Sponio dudum fuit edita. Quorum libri quum ſint in multorum manibus, iuvat illius marmoris a Swintono repetere interpretationem ab ipſo excogitatam & traditam, quæ hæc eſt: *Aglibolo & Malacbelo & monumentum elevatum* (ſive *ſignum*) *argenti & ornatum eius paravit ex marſupio ſuo Iarhaeus* (vel *Iaraeus*) *filius Halibaei* (ſive *Chalibaei*) *filii Iarhaei* (vel *Iaraei*) *propter officium* (ſive *religionem*) *timoris* (i. e. ex voto, Iaræo in aliquo periculo conſtituto & timore perterrito facto) *& ob ſalutem ſuam & ſalutem liberorum* (vel *familiae*) *eius menſe Schebat anni 547.*

Quarta epiſtola ſignificat Swintonus, Barthelemii Abbatis libellum, nuper admodum in his Actis a nobis recenſitum, de ratione ab ipſo excogitata legendarum literarum Palmyrenarum, exeunte menſe Septembri 1754. ab ipſo auctore Pariſiis miſſum ſe accepiſſe una cum litteris, quibus incitatum ſe a Barthelemio fuiſſe, ut inſcriptioni Palmyrenæ, a Grutero primo

primo productæ, in qua interpretanda ipſemet quoque haud parum operæ inſumſiſſet, animum adiiceret. Marmoris deinde alterius Palmyreni, quod quale ſit ſtatim indicabitur, hanc exhibet interpretationem: *Baal Shems (Belo Soli* vel *Domino Soli) Deo Abileno domicilium (habitationem* vel *manſionem) incolumitatis* (vel *ſalutis) fecit Agathangelus.* Marmor illud Taibæ reperit, ad bidui triduive a Palmyra iter, & exſcriptum a ſe exemplum Romam attulit Petrus della Valle, cuius e ſchedis a ſe exſcriptum Maſſonus Bernardo dedit, qui in Palmyrenis inſcriptionibus exhibuit Roterodami editis, una cum græca inſcriptione, cuius compendium illa Palmyrena eſt. E Bernardo tandem illam repetiit *Relandus* in Palæſtina p. 526. n. 1.

Quinta denique & poſtrema epiſtola Swintonus tandem pergit & præſtitit id, quod ſuſcipere antea, difficultate rei abſterritus, detrectaverat, & negarat ſuſcepturum. Marmor nempe Palmyrenum alterum Romanum, ſed Grutero non viſum, a Sponio primo proditum, tum a Montfaucono, Relando l. c. n. 2. & Poleno redditum, interpretatur hoc modo: *aram hanc Malacbelo & diis Tadmor obtulit* (vel *dedicavit*) *Tiberius Claudius Calbienſes & Tadmorenſes* (vel *Palmyreni*) *diis ſuis votum ſolverunt.*

Qui ſtylum lapidarium uſu callent, eos iam ex hoc triplici, quod attulimus, ſpecimine, rationem interpretandi Swintonianam ſatis intellecturos eſſe confidimus, ipſosque, vel tacentibus nobis, quanti ea facienda ſit, ſecum æſtimaturos. Iudicium ipſi noſtrum interponere dubitamus, bene gnari, in re perobſcura, & multis obſita difficultatibus, quum facile ſit labi, oportere & lapſo veniam, & magna auſo eidem laudem paratam eſſe. Quodſi ſint qui dubitent, tantine fuerit, tanta animi contentione, tantisque æmulationis ſtudiis, intelligentiam paucarum literarum venari, quæ præclararum rerum non multum doceant: meminiſſe illos velimus, id natura inſitum animis hominum penitusque infixum eſſe, ut ignota mirentur & ſtupeant, cupiantque, quid eorum quodque ſit, comperire, modisque omnibus, ut id comperiant & aſſequantur, homines agere & contendere; ideoque inhumanum eum eſſe, qui ani-

Digitized by Google

animum ſuarum inventionum gaudio exſultantem, easque in medium proferre geſtientem, obiurgationum acerbarum velut frigore feriat. Nos igitur, quod unum hoc de libello referentibus ſupereſt, ordinem imaginum aere excuſarum perſequemur. Primæ igitur duæ meras Palmyrenas, hoc eſt barbaricis exaratas literis & ſermone, illas, quas Dawkinſianum opus exhibet, reddunt; proximæ quatuor græcas ex eodem loco repetunt. Septima tabula ænea Palmyrenorum monumentorum literatorum quidquid alibi, penes Gruterum, Sponium, & alios iacet, ſpectandum proponit; octava Palmyrenum Alphabetum ex mente Swintoni; quatuor reliquæ rationem numerandi, qua, ſi eidem credimus Swintono, Palmyreni uſi fuerunt. quibus in numeris exponendis, uno alteroque loco huius libelli, diligens admodum & copioſus auctor fuit.

PALLADII DE FEBRIBUS CONCISA SYNOPSIS, Græce & Latine, cum notis IO. STEPH. BERNARD. Accedunt gloſſæ chemicæ, & excerpta ex poetis chemicis, ex Codice MS. biblioth. d. Marci.

Lugduni Batavorum apud Philippum Bonk, & Traiecti ad Rhenum apud Nicolaum Muntendam, plagg. 12. 8. mai.

Favete, ſtudiaque veſtra plauſu & acclamationibus indicate, quotquot artis ſalutaris periti antiquos ſcriptores volvitis, nec in eorum partes tranſiſtis, qui omnia antiqua, ob id maxime quia non intelligunt, alto ſupercilio deſpiciunt atque contemnunt. Omni diligentia ac contentione id agit Clariſſimus Vir, *Io. Steph. Bernard*, ne vobis deſint nitida atque emendata exemplaria ſcriptorum artem humanæ ſalutis præſidem explicantium, quos olim magno numero tulit Græcia, ut ingeniorum omni præclara doctrina excultorum, ita medicorum præſtantiſſimorum fecundiſſima. Beneficio diligentiſſimi Viri nunc vobis copia facta eſt comparandi, nec ſine voluptate ſingularique fructu perlegendi, concinnam *ſynopſin de febribus*, quam dedit inſignis ille Alexandrinus

drinus Iatroſophiſta *Palladius*. Tam elegantes ſunt obſervationes, quibus illuſtravit ſcriptorem ſuum cultiſſimus *Bernardus*, tam nitidæ chartæ, tam denique mundi ſunt typi, quibus commendari emtoribus librum ſuum voluerunt bibliopolæ, ut parum aut nihil deeſſe *Palladio* videatur earum rerum, quæ lectionem antiqui ſcriptoris facilem ac iucundam efficere poſſint. In præfatione Clariſſimus Editor ex *Conringio* oſtendit, *Palladium* Alexandrinum fuiſſe profeſſorem, & *Iatroſophiſtae* titulum, quum omnes, qui medicinam publice docuerint, tum præcipue Alexandrinos profeſſores, ſibi arrogaſſe. De ætate *Palladii* varias opiniones recenſet, tamen ipſe aliquid certi pronuntiare non audet. Quod vero *Io. Freind*, in *Hiſt. Medicinae*, *Palladium Aetio* & *Alexandro* iuniorem eſſe, inde evincere conatur, quia *Palladius* illorum verbis utatur, merito negat doctiſſimus *Bernard* hoc argumento quidquam effici, quum ea, quæ *Palladius* ex *Aetio* deſcripſiſſe arguatur, totidem verbis iam legantur apud *Galenum*, ut adeo propius vero putandum ſit, *Palladium* & Aetium ex iisdem fontibus rivulos ſuos deduxiſſe. Poſt hæc de ſcriptis *Palladii* diſſeritur, ubi Cl. *Bernard* inter alia commemorat *breves interpretationes ſexti libri Hippocratis, de morbis popularibus*, quæ latine prodierunt cum medicis antiquis Græcis, a *Iunio Paulo Craſſo, Patavino*, Latio donatis, Baſileæ 1581. in 4. Has Græce etiam editas eſſe in tom. IX. Operum *Hippocratis* & *Galeni*, ex editione *Renati Charterii*, *Lindenius de Script. medic.* & *Fabricius* in *Bibliotheca Graeca*, tradiderunt. Fruſtra tamen has interpretationes *Palladii* in duobus exemplaribus *Bernardus*, & nos in tertio quæſivimus. *Lindenius* igitur ac *Fabricius* decepti videntur indice Charteriano operi præfixo, ubi inter alia ſcripta tum demum publicata *Palladii* iſtæ explicationes recenſentur. *Conringium*, qui *Palladii de urinis* librum referat, memoria lapſum iudicat Cl. editor, quum *Theophili* ſcriptum eſſe idem *Conringius* alibi agnoverit. Omittimus iam *Palladium*, & ad *chemica*, quæ titulus libri noſtri præfert, propius noſcenda feſtinamus. *Palladii* liber iſte paucas plagulas vix exceſſurus editor;

tori ſuo videbatur, ideo hic circumſpexit libellum alium, quo adiecto iuſtum volumen efficeretur. Idoneæ huic conſilio videbantur excerpta illa, quæ e MS. codice bibliothecæ Venetæ d. Marci enotata cum Cl. *Bernardo* communicaverat Vir Celebris, *Iac. Phil. d' Orville.* In his primum locum merito ſibi vindicant *Gloſſae chemicae.* Addiderat quidem *Cangius* Gloſſario ſuo eiusmodi gloſſas, ex alio codice deſcriptas: quia tamen Venetus codex Gloſſarium Cangianum plurimis locis ſupplere atque emendare poteſt, gloſſas iſtas ſi denuo publicaret, & cum Cangiano lexico conferret, operæ pretium ſe facturum Cl. *Bernardus* arbitratus eſt. Ex eodem codice publicatæ chemicorum carminum particulæ, *Heliodori*, *Theophraſti*, *Hierothei*, aliorumque, non ita magnam gratiam inibunt apud eos, qui integra aliquando ſibi hæc dari, quam ex eiusmodi abruptis laciniis de pretio iſtorum iudicare, malunt. Certe, ex *Heliodori* poemate excerpta edere, poſt emiſſum a *Io. Alb. Fabricio* tom. VI. Bibl. Gr. p. 790. integrum libellum, plane ſupervacaneum videri poterat, niſi ſperaſſet Cl. *Bernardus*, *Fabricii* apographum ex his excerptis uno alterove loco emendari poſſe. In gratiam eorum, quibus diverſas ſcripturas diiudicare volupe eſt, omnes locos, in quibus Veneti codicis excerpta a Fabriciano exemplari diſcedunt, huc transſcribimus. In inſcriptione carminis, pro *δι' Ἰάμβων*, quod exhibet *Fabricius*, codex Ven. habet *διὰ στίχων ἰάμβων.* v. 1. *γένης — ὡς πᾶν ἐμφανὲς.* v. 2. *Μυστηπόλοι.* v. 3. *γεῦσιν πᾶσαν.* v. 4. om. *μὲν.* v. 6. *προοιμίων λόγον*: [pro *λόγον* Bern. coni. *λόξων*]. v. 11. *ἐμπόνους.* v. 12. *πλήστων τε πάντιμον.* v. 13. *Νεῦσι — εὐκλεῶς πάλιν.* v. 14. *αὐτοῖς τὸ γνήσιον.* v. 183. *βλαστάνει* [quod verum putat Bernard]. v. 187. *θέσει*: [Bern. coni. *θέει*]. v. 191. *Ἀδρυνθὲν — τεκοῦση ζυγὸς.* v. 195. *ἄῤῥενι*: [Male Fabric. *ἄῤῥεν*]. v. 197. *Ἔσται ὅλης.* v. 199. *Καὶ*: [Bern. coni. *Κἂν.*] v. 201. *Πρώτης κλειδὸς πληροῦσα ἔργον δευτέρας.* [Sed in apographo d' Orvilliano inter hunc & priorem verſum ſpatium relinquitur, ut putet Bernardus in codice aliquid deeſſe]. v. 260. *Ὡς χριστοπάτραις.* v. 262. *τοῦ φωτὸς.* v.

263.

Digitized by Google

263. τᾶς βρέτας. v. 264. ἐμπλακημάτων. Miſſa facimus excerpta chemica, ſi hoc unum addiderimus, *Heliodori* carmen, haud contemnendi Myſtæ iudicio, non ſolum ſumma fide, verum etiam, ut inter chemica ſcripta, admodum dilucide ſcriptum eſſe. Idem, in ipſo carmine v. 105. ubi παρο-τῶν, ſine ſenſu, ac contra legem Pediam editur, παροπτων ſcribendum eſſe præcipit.

NOVA LITTERARIA.

ELISABETA AVGVSTA, Scientiarum atque Artium Promotrix, Optima, Maxima, in legibus Academiæ Imperialis Petropolitanæ, a Se inſtauratæ, clementiſſime prudentiſſimeque iuſſit, *ut Praeſes publicari quotannis curet problema erudito orbi ſolvendum, praemio centum aureorum propoſito illi, qui feliciorem prae caeteris ſolutionem illius argumenti exhibuerit.* Huic munificentiæ, Scientiarum incremento inſigniter profuturæ, ea, qua ſolet, ſolertia reſponſurus *Excellentiſſimus Academiae Praeſes, Praepotens minoris Ruſſiae Hetmannus,* AVGVSTAE *Camerarius ordinarius, Legionis Praetorianae Ismailovicae Protribunus, Ordinum Equeſtrium S. Andreae, Aquilae albae, S. Alexandri, & S. Annae Eques,* CYRILLUS COMES A RASUMOWSKI, poſt adiudicata annis 1755. & 1756. præmia, alias iterum quæſtiones curavit proponi, has nempe:

In annum cIↃIↃCCLVII.

Motus diurnos planetarum circum axes proprios, in primis Veneris vertiginem, cuius commodiſſime determinandae copiam annus 1756. faciet, accuratius obſervare, & inconcuſſis obſervationibus, iisque novis, una cum poſitione aequatorum, demonſtrare atque definire.

In annum cIↃIↃCCLVIII.

1) *Qua praerogativa conſtent magnetes artificiales prae naturalibus?* 2) *Quae ſit optima eos conficiendi methodus?* 3) *Utrum phaenomena nova per magnetes artificiales detecta, theoriae magneticae adhuc propoſitae ſatisfaciant? Si minus, ut quis novam eorum phaenomenorum explicationem ſuppeditet.*

Nunc

Digitized by Google

Nunc Academia declarat, cum de priori argumento nullam diſſertationem acceperit, quæ quæſtioni propoſitæ faceret ſatis, hinc terminum collationis præmii adhuc in duos annos prolongari.

In annum cIↄIↄcclix. proponitur quæſtio:

Sexum plantarum argumentis & experimentis novis, praeter adhuc iam cognita, vel corroborare, vel impugnare, praemiſſa expoſitione hiſtorica & phyſica omnium plantae partium, quae aliquid ad foecundationem & perfectionem ſeminis & fructus conſerre creduntur. Praemium itaque, & ſexum plantarum defendentibus, & impugnantibus, offertur.

Pro ſolutione quæſtionis optima præmium centum aureorum promittitur, ſub iisdem conditionibus, quæ adhuc obtinuerunt.

Invitantur ergo omnium gentium Viri docti, ut æque de hac, ac de propoſita in annum cIↄIↄcclviii. quæſtione, cogitata ſua atque obſervata ante diem I. Iunii cuiusque anni cum Academia communicent.

Publicatum Petropoli, in conventu Academiæ ſolemni die vi. Septembris cIↄIↄcclvii.

Digitized by Google

NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipſiæ

Calendis Decembris Anno MDCCLVII.

DICTIONNAIRE DE LA LANGUE BRETONNE.

i. e.

DICTIONARIUM LINGUÆ ARMORICÆ, QUOD eius antiquitatem non ſolum, ſed etiam affinitatem cum aliis Linguis antiquiſſimis, teſtatam facit; in quo præterea varia Scr. S. immo & e profanis Scriptt. loca, Etymologia item, multarum, ex Linguis aliis, vocum, exponuntur, illuſtrantur, Auctore LUDOVICO PELLETIER, e Congregatione S. Mauri Benedictino.

Lutetiæ Pariſior. 1752. ap. Franc. Delaguette, Alph. 5. plagg. 7. fol. max.

Nemo Brito bonus eſt, veteri dicitur Proverbio. Frivolum inde videri poſſit ſtudium, quod in illuſtranda lingua Britonum ponatur. Sed eſt hæc lingua omnium, quas hodie homines loquuntur, antiquiſſima, & dialectus veteris linguæ Celticæ. Hinc omni laude dignus eſt labor, quem in indagandis originibus eius collocavit R. P. D. *Ludov. Pelletier*, Religioſus Benedictinus Congregationis S. Mauri, ex cuius ſchedis hoc opus edidit R. D. *Taillandier*, eiusdem Congreg. Monachus, qui Tomum IX. Hiſtoriæ litterariæ Gallo-Franciæ, perinde ac Elogium D. Riveti, edidit, & Conſpectum Hiſtoriæ Campaniæ elegantem dedit. Dedicatus ab eo hic liber eſt Ordinibus Britanniæ minoris.

Soror eſt hæc lingua Armorica eius, qua incolæ Walliæ in Britannia magna utuntur. Uterque populus originem repetit a Celtis, quorum pater, pace noſtra, fuerit Gomer, filius natu maximus Iapheti. Ducentas voces Germanicas e Celtica lingua, in Gloſſario ſuo, deduxit Cl. Wachterus. Ultra progreſſus Dn. Süſmilch, integrum Dictionarium Celto-Britannicum collegit, in eoque mille admodum voces exhibuit, quæ ſono, formatione, & ſenſu, Britticis reſpondent. Utriusque curis uſus eſt R. Auctor. Græcæ & Latinæ quoque linguæ radices complures in Celtica abſconditæ latent: & quis miretur, ingentem vocum Celticarum numerum in hodierna Gallo-Francica lingua ſupereſſe, quum ipſi Galli veteres Celtice loquerentur. Sed Celtica lingua hodie in primis in Armorica & Wallia ſupereſt, quamquam utraque gens ea utitur paullulum variata. Iſtius igitur Armoricæ linguæ hiſtoria, origo, mutationes, quas experta eſt, & ſubſidia, quæ aliis linguis præſtitit, exponuntur hoc Opere. Termini artis, ſcientiarum, commercii, politices, & plerorumque opificiorum, incogniti ſunt huic linguæ. Inſervit ea vitæ tantum ruſticæ, adeoque ſolas continet notiones vitæ civilis communes. Monimentum omnium antiquiſſimum, quod hodie legitur in lingua Armorica, eſt libellus manu ſcriptus A. 1450. qui complectitur prædictiones ſic dicti Prophetæ alicuius, cui nomen erat Gwinglaff. Deſcripſerat is inter cetera Drama aliquod, de expugnatione Urbis Hieroſolymæ per Titum facta. Monemus hic in tranſitu, *Pelletierium*, qui manus Operi huic admovit, natum fuiſſe Cenomani 1663. obiiſſe autem iam a. 1733.

Præfationem excipit Catalogus vocum Germanicarum, Armoricis analogarum, quæ ipſi Operis Corpori inſeri non potuerunt. Agmen in eo indice claudunt voces, Armorica, furm, Franco Gallica, forme, figure, & Germanica forme, inter ſe comparatæ. Finitur enim hic index in littera F. Alphabeta duo Armorica, quæ ſequuntur, recentioris alicuius ingenii laſcivientis inventa nobis quidem videntur.

Proxima eſt diſſertatio de potentia & mutatione litterarum, in qua ſæpiſſime Grotio, Daviſio, Cambdeno, & Io. Gerardo Voſſio teſtimonium denuntiatur.

Ex

Digitized by Google

Ex Dictionario ipſo ea præcipue excerpemus, quæ ad illuſtrationem Scripturæ ſacræ, Auctorum claſſicorum, & linguæ Germanicæ pertinent.

Col. 2. voce Aba, *paff*, pulſus ſubitaneus ſignificatur. [Noſtris quoque hæc vox in uſu eſt, quando in re gladiatoria dicimus, piff, *paff*, puff.] *Acr* Britonibus ſordidum ſignificat. Affine Græcum ἄγρος, quando rus deſignat, [& *hager* Germanorum, quod macilentum denotat.] Quæ uſus fere univerſalis ſunt, ea in pluribus linguis conſervantur. Talis vox axis, Græcis ἄξων, Germanis Achſe, Gallis Eſſieu, Armoricis Ael & Ahel. Similis vox Saccus, Græcis σάκκος, Gallis le Sac, Germanis *der Sack*. Affeil & Affail, rechute de maladie, Germanis quoque uſitata ſunt, quando dicunt Abfall, quamquam alio ſenſu. [Alweder Belgis *iterum* dicitur; & poteſt alauda Armoricis Alweder dici, quia bis in anno redit.] Vox Britica *Hebrwng*, quæ pag. 11. ſub voce ambrove occurrit, ipſa vox Germanica herbringen eſſe videtur. Col. 16. voce Antronos Galli tempus per noctes metiuntur. Idem Germanis olim in uſu poſitum fuit. Unde in ius vocationes his quoque fiebant poſt XIV. noctes, id eſt die XV. qui terminus triplicatus dein Termino Saxonico occaſionem dedit. Quam vehementer Britones voces peregrinas immutent, docet vox *Arriagon*, Archidiaconus. Scala corruptionis hæc fuit: Archidiaconus, Arhiziagon, Arhiagon, & tandem Arriagon. *Aſconch*, inſtructio, doctrina, col. 24. a latino concio derivatur, præmiſſo augmento as. Aſinus Armoricis *Aſen* vocatur. Quum enim hoc animal rarum ſit in Britannia minore, vocis latinæ ultima tantum ſublata eſt ſyllaba. *Aval*, pomum, Col. 27. unde ſit, ignorare ſe dicit Auctor. Eſt vero purum putum Germanicum Apfel. Videtur autem Apfel dici, tanquam Abfal, quia fructus arborum ſua ſponte decidunt. Firmat hanc coniecturam Armorica vocem ſcribendi ratio. Aliter Cl. Wachterus in utroque Gloſſario. Multo plus ingenii præſto eſt in evolutione huius vocis apud Wachterum, in Gloſſario maiore, quam in Dictionario iſthoc Armorico. *Aut*, ſive *Aot*, monoſyllabum, Britis litus vel ripam ſignificat. Græci

Digitized by Google

eodem ſenſu vocibus ὄρχη & ἀκτὴ uſi ſunt: unde manavit Latinorum acta, ut apparet ex hoc verſu Virgilii Æneid. V. 613.

At procul in ſola ſecretae Troades acta.

Ea voce uſus etiam eſt *Cicero,* de littore Siculo, Verrina V. 81. Bar Britis & uvam deſignat, & examen apium. Unde ruricolæ inter eos apes diſperſas ſic convocare ſolent: Bâr, Bâr, Bâr wenanigou, id eſt, in uvam, uvam, uvam apiculæ. Et congregari eas in forma uvæ iam Iuvenalis monuit:

Examenque apum longa conſederit uva.

Bara Armorice panis dicitur. Similiter Hebræis ברה Barah eſt comedere. Idem Barah pro eſca ſeu cibo accipitur Thren. 4, 10. Eſt enim panis præcipuum hominis nutrimentum. Quare & Græci prandium, propter panis præſtantiam, ἄριστον dixerunt. Ab hoc Bara, in linguis quoque ſeptentrionalibus deſcendunt voces breade, bret, brot, broot, brout, & ſimiles. Proxime his accedunt Græcorum βορὰ, cibus, alimentum, ut & βρῶμα, βρῶσις, nutrimentum. Ab eadem radice forſitan eſt vox barbarus. Panem enim primo loco petebant advenæ peregrini. Baragouin, quæ vox Gallis ſermonem parum intelligibilem ſignificat, hinc etiam derivandum videtur. *Guin* enim Armorice vinum deſignat. Panem autem & vinum Briti a Gallis, linguam eorum non intelligentibus, præcipue petierunt. *Barlochou* eſt quatuor pedibus vel membris incedere, ut ſolent infantes, antequam ſtare poſſunt. Expreſſit rem Gregorius Nazianzenus in vita ſua:

Ἔντεν ἔβην τετράκωλος ἐπ' ὕδεος.

Barn iudicem deſignat, vel ſententiam iudicis, ut *barner,* & noſtrum Wernher, iudicem. Ex eodem fonte hic vox Baro deducitur. Nam & Barones vaſallorum ſuorum iudices fuerunt. Gallicum autem Baliverne ſententiam Balivii deſignat; quæ vox deriſui eſſe coepit, poſtquam ſæpe Baliviorum ſententiæ inanes eſſe coeperunt. Affinia ſunt Britonum *Bech* & *Beach,* voyage, Germanorum Weg, & Latinorum vehere. Sub voce *Beiſou, y* ſic pronuntiatur ut diphthongus *ei,* quod Briti cum Hollandis commune habent. [*Berna,* quæ Col. 55. proponitur, & unde deſcendit Gallorum locutio, faire ſauter

quel-

Digitized by Google

quelqu'un ſur la berne, iam veteribus cognita fuit. Sic enim in Collat. leg. Moſ. & Rom. Clodius, dum ſago iactatur, tam male acceptus eſt, ut poſt diem quintum moreretur. Quem locum illuſtrant *Cuiacius* Obſ. XIV. 4. & *Cornelius* van *Bynkershoek* Obſ. II. 5. *van de Water* Obſervat. I. 16. De eodem plura habent interpretes Suetonii ad Othonem c. 2. præcipue Caſaubonus. Martialis quoque eiusdem ludi meminit.] *Biz*, alias *Bec*, Armorice ſepulcrum ſignificat. Cambris ſepulcrum Bed dicitur. Qua voce quum Anglis & Germanis lectus veniat, lectum ſepulcro comparavit Owenus:

Angli Bed lectum vocitant, Cambrique ſepulcrum,
Lectus enim tumuli, mortis imago ſopor.

In lingua ſancta vox eadem & lectum & feretrum indicat. In poſteriori ſenſu obvia eſt 2. Regg. III. 3. *Böet* vel *Böed*, cibum, alimentum, deſignat. Inde Auctor cognomen Hectoris Boëtii derivat, idque Boëtius, non Boëthius ſcribi iubet. Cambdenum quoque Boëtius ſcripſiſſe, ait. Col. 88. eadem vox in lingua Cambrica, Saxonica, & Irlandica, quæ populum extraneum deſignat, etiam hoſtem ſignificat, in primis ſi vicinus ſit. Et hoc auctorem movet, ut vocem guerre ab Hebraico גר gher, extraneus, derivari putet. [Lingua Hebraica ſæpe in hoc Opere adducitur. Plerumque Grotii auctoritate, ex Commentariis eius ad vetus Teſtamentum depromta, utitur Collector. Grotius tamen Hebraica ſua pleraque omnia Buxtorfio debet. Wachterus, in Gloſſario minore, voce Schild, ipſe ſe ſecretorum eius linguæ ignarum fatetur. Dolendum hoc utique. Nam utut non omnia cum Bocharto ex Hebraica lingua deducere poſſimus, eſt tamen reginæ huius linguarum inſignis uſus, in innumeris radicibus, etiam Celticis & Germanicis, evolvendis]. Col. 91. *Breuzr* Frere dicitur, & a frater derivatur, quod eſt a Græco φρά-τηρ, tribulis, & hoc forſitan a φρέαρ, φρέατος, puteus, quia tribules eodem puteo utebantur. Col. 99. *Brum* nebulam ſignificat. In Calendario Iulii Cæſaris, a Blondello edito, bruma illi temporis ſpatio tribuitur, quod decurrit a die 24. Novembris usque ad diem 25. Decembris. Tum enim fre-

Digitized by Google

quentiores ſunt nebulæ. Virgilius tamen hanc vocem de tota hieme accipit:

Frigida ſub terra tumidum quem bruma tegebat:

& alibi

— — — *& horrida cano*
Bruma gelu.

Col. 104. & 105. vox militaris, Caporal, deducitur a Britico *Caborel,* diverſorio, quia hic præpoſitus militum etiam ea curaverit, quæ ad potum illorum pertinuerint. *Cambotta* Col. 114. pedum redditur. Eſt enim *cam* Britis curvum, *botta* ramus. Illuſtratur hoc veriloquium ex Theocr. Idyll. IV. v. 49.

Εἴθ' ἦ μοι ῥοικὸν τὸ λαγωβόλον, ὥς τυ πατάξω.
Utinam eſſet mihi curvum pedum, ut te verberem.

Armorica vox *Claz,* aliis *Cladd,* foſſa, Græce κλάσις, originem præbuiſſe poteſt voci latinæ, clades. Hoc certe ſenſu cladem adhibet Iuvenalis Sat. X.

Haec data poena diu viventibus, ut renovata
Semper clade domus, multis in luctibus, inque
Perpetuo moerore, & nigra veſte ſeneſcant.

Croc, uncus, originem præbuit verbo incrocare, quod in lege Salica occurrit. Verba ibi hæc ſunt: Si quis hominem, ſine conſenſu iudicis, de ramo, ubi incrocatus, deponere præſumpſerit. Ab hoc incrocare apud Gallos deſcendunt verba encrucher, decrucher, & excroquer. Voſſius negat, verbum incrocare hic poni pro ſuſpendere. Incrocare, inquit, libro de vitiis ſermonis, exponunt ſuſpendere: ſed puto idem eſſe ac inflectere, incurvare, ſimilem reddere unco: nempe a Germanico ac Belgico croken, curvare, flectere, rugare, quod a nomine croke, curvatum. Sed firmat Collector noſter receptam contra Voſſium ſententiam eo, quod incrocare ſi in hoc loco inflectere ſignificaret, verbo deponere opponi non poſſet. Neque inde, quod crocare ſimplicis inflectere ſignificat, ſequi recte monet, eundem ſignificatum eſſe compoſiti incrocare. *Croug,* patibulum: *Crouga,* ſuſpendere. [Ab hac voce deſcendere putamus noſtrum *Krug,* vas cereviſiarium.

Sunt

Digitized by Google

Sunt enim anſata hæc vaſa, ut ſuſpendi poſſint. *Κρόκος*, urna, unde alii nomen vaſis noſtri, Krug, derivant, adhuc melius reſpondet voci Krus, in Germania inferiori uſitatæ.] *Cuit* Armoricum reſpondet Gallorum *en*, quod pro inde ponitur. Cumque venatu aliquid apprehenderis, fac mihi inde pulmentum. Geneſ. 27. [Illud *en* nec latinis penitus incognitum, apud quos interdum abundat, ut in XII. tabulis: Si en ſiet, qui in ius vocatum vindicit mittito.] *Cûn*, mitis, rudi apud Britos opponitur. Inde atavus iis Tat-cûn, pater mitis; abavia vero Mam-cûn, mater mitis dicitur. [Creſcit enim cum numero graduum deſcendentium, amor in eos adſcendentium.]

Diski, Britis & diſcere & docere ſignificat. Deſcendere vox videtur a Græco *δίσκος*, unde & manavit verbum diſcere. Diſcum enim proiicere, corporis exercendi cauſſa, ſolebat iuventus. Inde apud Latinos dicitur diſci indoctus, & apud Græcos *τῶ δίσκω ἀπείρως ἔχων*. Inde Galli quoque enſeigner dicunt, tamquam in ſignum, in diſcum inſtruere. Vocabulum *Dreiſt* affinitatem habet cum noſtro dreiſt, eo quod audaces omnes difficultates ſuperant. *Fol*, ſtultus, ſtolidus, inſipiens, opponitur voci *Fur*, quæ ſignificat ſapientem. Fuit hoc Epitheton etiam in Latinitate medii ævi in uſu. Ioannes Diaconus, in vita S. Gregorii M.: At ille, more Gallico, ſanctum ſenem increpitans follem. Abbas Wilhelmus, Analectorum ſeculi XI. p. 257. follem me verbo ruſtico appellaſti; ubi verbum ruſticum ponitur pro verbo Gallico. Scribitur etiam *fallus*. Unde Regem Carolum ſimplicem promiſcue ſtultum, ſimplicem, fallum, & follum dici videas. Accedit proxime Græco *φαῦλος*, cui illud Evangelii raka reſpondet. Collector putat, S. Hieronymum inde formaſſe ſuum follere: Si pes laxa pelle non folleat. Sed ibi folleat ſignificat inflectitur. *Folligken-mac*, petit fous de Mai, quid ſignificet, ignorare ſe fatetur Auctor. [Forſitan a Maiumis deſcendit, quas ſuo adhuc ævo Coloniæ actitatas, in epiſtolis ſuis deſcribit Petrarcha.] *Gaſt*, furcæ bicornes, etiam in Germania inferiori cognitum eſt. [*Galimatias*, in Diſſertationibus Huetianis

nis ab Abbate Tilladet editis T. II. p. 129. e foro Gallicano repetitur, ubi olim latine perorabant advocati. Quum enim lis de gallo eſſet, advocatus, poſtquam aliquoties gallum Matthiæ appellaſſet, tandem Gallimathias confuſanee dixit. Unde c. l. ſermo confuſaneus Gallimathias dictus eſſe fertur.] In dictionario noſtro Britico longe alia origo vocis indicatur. Derivatur enim ab *Un-den-callet*, homo durus, unde manaverit Gall-mat-ia, verus Gallus. Putat enim Collector, Britos interrogatos a Gallis, an ipſi quoque Galli eſſent, reſpondiſſe Gall-mat ia, verus Gallus. Armoricum *Gran*, grus, pro geranio in toto Belgio adhuc in uſu eſt. A *Garm*, clamor, deinde deducitur nomen Germanorum, quoniam Germanis uſitatum fuerit prælia cum clamore ordiri. Cæſar L. VII. de bello Gall. Multum ad terrendos noſtros valuit clamor; & Lib. III. de bello civ. Neque fruſtra antiquitus inſtitutum eſt, ut ſigna undique concinerent, clamoremque univerſi tollerent, quibus rebus & hoſtes terreri, & ſuos incitari exiſtimaverunt. Additur, Homerum vocem χάρμη quoque pro clamore bellico adhibuiſſe Iliad. 5.

Ἔνθ' Ἕκτωρ δύο φῶτε κατέκταν εὖ εἰδότε χάρμης.

Quemadmodum Virgilius etiam vocem carmen adhibuerit pro clamore bellico Æn. III. poſt med.

Solaque culminibus ferali carmine bubo
Saepe queri & longas in fletum ducere vices.

[*Gars*, anſer, Germanis non Goſe, ſed Gans dicitur.] *Ghis*, Guiſe, & Germanicum Weiſe, ſine dubio adfinia ſunt. Ghis monoſyllabum antiquius videtur quam Weiſe, a quo illud Gallicum Guiſe derivabat Cluverius. Germani non, (ut dicitur col. 346. voce Goa) pro fermentare dicunt gehen, ſed gähren. (*Gwir* monoſyllabum, verum, iuſtum deſignat. Latini quoque, (ut in hoc Articulo obſervatur,) verum pro iuſto dixerunt. Cicero: Negat verum eſſe, allici benevolentiam cibo. Cæſar L. IV. de B. G. Neque verum eſſe, qui ſuos fines tueri non potuerint, alienos occupare. Virgilius, Æn. XII.

Quae-

Digitized by Google

Quaecunque eſt fortuna, mea eſt: me verius unum
Pro vobis foedus luere, & decernere ferro.

Similiter S. Paulus 1. Cor. XIII. veritatem iniquitati; & S. Lucas XVI. 11. τῷ ἀδίκῳ τὸ ἀληθινὸν opponit. Inde nomen regis illius Britanniae, cuius mentionem iniicit Iuvenalis, Arviragus, iuſtum ſignificat; quo cognomine inter Galliae reges Ludovicus XIII. clarus fuit. Verba Iuvenalis Sat. IV. haec ſunt:

Regem aliquem capies, aut de temone Britanno
Excidet Arviragus: peregrina eſt bellua. —

Merum quoque Auctori nihil aliud eſſe videtur, quam vinum verum. Favet ſententiae Theocritus Idyll. 29.

Οἶνος, ὦ φίλε παῖ, λέγεται καὶ ἀλάθεα
Κ'ἄμμες χρὴ μεθύοντας ἀληθέας ἔμμεναι
Κ'ἠγὼ μεν τὰ φρενῶν ἐρέω κεῖατ' ἐν μυχῷ.

[Begayer, non, (ut col. 417. l. 3. dicitur) Germanis Hackein aut Hackern ſignificat, ſed ſtamlen.] *Keghin*, culina, Germanis Küche, veriſimiliter derivatur a Gallico coq, quoniam gallus gallinae coquus eſt, & quando eam ad cibum a ſe praeparatum invitat, clamare ſolet, cok, cok, cok. *Quimper-Corentin*, civitas Britanniae inferioris, eademque patria Harduini, col. 480. eſt a Kemper, compar, & coriſepitum. Sed ex iis quae dicuntur, non ſatis conſit ratio, vel Gallicae, vel Latinae denominationis. Harduinus ipſe in notis ad Plin. L. IV. c. 18. dicit, nomen huius urbis civitatem moenibus circumdatam & muratam ſignificare: ſed non addit rationem etymologiae iſtius, nec dicit, utrum de voce Quimper, an de Coriſepito loquatur. Avenam, (ut col. 488. ſub voce Kerc'h ex Voſſio obſervat Auctor,) Romani ſeminare non ſolebant: unde mirum non eſt, cerevifiam iis incognitam fuiſſe. Vocem Laquais, poſt tot aliorum ariolationes, etiam ex Britico ſermone derivari poſſe col. 508. & quidem a voce *Laka*, putat Auctor. Poſſe enim, addit, eam derivari ab Imperativo Lakâit, ponere, quoniam id officii genus a ſervis omnium frequentiſſime exigatur; inde ſervi apud Britos nomen in genere manaſſe, & ad Gallos tranſiſſe per Praefectos militares, qui olim ex Brito-

Digitized by Google

tonibus inter Gallos ſtipendia meruerint, & per ipſam forte Ducem Annam, quæ Carolo VIII. nupſerat. *Mam*, mater, iure, vox una ex antiquiſſimis dicitur. Ea enim infans recens natus alimenta ex uberibus maternis petit, quæ ipſa inde dicta ſunt mammæ. Matri igitur & mammæ fames nomen invenit, quæ & ipſa, mutato M. in F. nomen inde habere poteſt. Man Britis etiam perſonam ſignificat eo ſenſu, quo iſta voce utitur Publius Syrus, cum dicit, Heredis fletus ſub perſona riſus eſt. Concinit Publio Grotius ad 1. Maccab. 12. Non Hebræi tantum פנים facies, & Græci πρόσωπον, ſed & Latini perſonam dicunt de eo, quod extrinſecus apparet, & ſæpe aliis rebus prætenditur. Hocce Man accedit Chaldaico מן man, quod Daniel. III. v. 11. ſignificat quicunque. Eadem origo vocis Manes apud Romanos, unde forte eſt, quod Perſius ait Sat. V.

— *Cinis & Manes & fabula fies.*

Mors & mortuus Armoricis *Maro* & *Marw* dicitur: unde vox marmor ad litteram mortuum mare Britis eſt, quemadmodum etiam pro mari quieto adhibetur a Virgilio Æn. VII.

Quum venti poſuere, omnisque repente reſedit
Flatus, & in lento luctantur marmore tenſae.

Martolot nauta eſt, qui Græcis ἑταῖρος, Latinis Socius dicitur. Idem Virgilius Æn. III.

Deducunt ſocii naves.
Eripite o ſocii, pariterque inſurgite remis. Ibidem.
Certatim ſocii feriunt mare, & aequora verrunt. Æn. V.

Mic ſuffocationem deſignat, qua, ſi in aquis fieret, & corpus & animum exſtingui pagani credebant. Idem ſibi, præ timore, viſum eſſe in itinere maritimo, fatetur Syneſius, ipſe Chriſtianus, laudans verſum Homeri:

Αἴας δ' ἐξαπόλωλεν, ἐπεὶ πίεν ἁλμυρὸν ὕδωρ.
Aiax vero penitus periit, poſtquam bibit ſalſam aquam.

Regulam etymologicam, qua, in ſono diiudicando, non tam ad vocales, quam ad conſonantes attendere iubemur, in col. 614. vehementer firmant nomina menſium, in Calendario Brito-Armorico, *C'hwewrer* & *C'hwewror*, Februarius; *Meürs*,

Meürs, Mars; & *Ebrel*, Aprilis.] Verum intereſt lectoris, noviſſe rationem denominationis, qua Britannia minor dicta ſit Armorica. Latet ea in voce Britica *morec*, maritimus. Eſt enim hæc provincia fere tota mari circumdata. Cæſar L. VII. de B. G. Univerſis civitatibus, quæ Oceanum attingunt, quæque eorum conſuetudine Armoricæ appellantur. Plinius H. N. L. IV. c. 17. Inde (a Garumna) ad Pyrenæi montis excurſum Aquitania, Armorica ante dicta. *Nich*, volatus avium, deſcendit a nicha, volare. Simile eſt hoc nicha Græcorum *νήχειν*, natare, quemadmodum Virgilius quoque natare de avibus pro volare dixit, Georg. IV.

Hinc ubi iam emiſſum caveis ad ſidera caeli
Nare per aeſtatem liquidam ſuſpexeris agmen.

Col. 647. ſeqq. occurrunt nomina numerorum cardinalium & ordinalium linguæ Briticæ Armoricanæ, & Anglicæ, ab uno usque ad centum. *Niza*, ventilare frumentum, quod in Britannia minore fieri conſuevit. Mos Virgilio quoque cognitus, Georgic. III.

Surgentem ad Zephirum paleae iactantur inanes.

Notatu digna col. 652. etymologia vocis *Nort*, qua dicitur tanquam Non-Ortus Solis, quia tempore hiberno rari ibi radii ſolis. *Nós* apud Armoricos noctem ſignificat. Briti quoque per noctes computant tempus, & trinoctium dicunt pro triduo; quod & a Iobo fit cap. III. 5. Nocere, noxia, noxius, a nocte dici videntur, quia noctu facilius damnum contingit, quam interdiu. Briti pecudes per capita numerant. Iſtius moris mentio & apud Virgilium eſt, Æn. III.

Littoreis ingens inventa ſub ilicibus ſus
Triginta capitum foetus enixa iacebit:
Alba ſolo recubans, albi circum ubera nati.

Obſervat id auctor col. 682. ſub voce *Penn*, caput, extremitas.

Pesk Britis piſcem deſignat; quæ radix fere in omnibus linguis Europæ obvia eſt. Ab eadem fiſcum derivat Auctor, qui primo loco piſcibus in forum portandis inſervierit. Eo, ingenioſe ſatis, refert locum Iuvenalis Sat. IV. 53. ſeqq.

Si quid Palphurio, ſi credimus Armillato
Quicquid conſpicuum pulcrumque ex aequore toto eſt,
Res fiſci eſt, ubicunque natat.

Col. 718. ſub voce *Poull,* foſſa, profundum, datur Etymologia nominis Vulcani. A Tubalcaino ea vulgo repetitur, quia is inventor eſt rei fabrilis. Poetæ ignem Vulcani nomine deſignant. Virgilius Æn. II.

— Iamque Deiphobi dedit ampla ruinam,
Vulcano ſuperante, domus.

Iuvenalis Sat. X. locutus de Demoſthene, v. 129.

Diis ille adverſis genitus, fatoque ſiniſtro,
Quem pater ardentis maſſae fuligine lippus
A carbone & forcipibus, gladiosque parante
Incude, & luteo Vulcano ad Rhetora miſit.

Auctori vox deſcendere videtur a Celticis *Foull,* foſſa, & *Can,* fulgidus, ut ſignificet foſſam ardentem, vel fulgidam. *Raöula,* a raucæ vocis ſono deſcendens, ſignificat rauceſcere. Britones credebant, qui a lupo obvio primus videatur, eo morbo corripi. Idem & aliis gentibus viſum. Virgilius Ecl. IX.

——— *Vox quoque Moerim*
Iam fugit ipſa, lupi Moerim videre priores.

Inverſe Theocritus: ου φθεγξῃ? λύκον εἶδες. *Rusk,* corticem arboris ſignificat, & ſimul alveare, quia apes ſæpe in arboribus habitant, e quibus parum præter corticem ſupereſt. Virgilius Georg. II. 452.

— nec non & apes examina condunt
Corticibusque cavis, vitioſaeque ilicis alveo.

& alibi, Georg. IV, 33.

Ipſa autem, ſeu corticibus tibi ſuta cavatis,
Seu lento fuerint alvearia vimine texta,
Anguſtos habeant aditus.

Sec'h, ſiccum, aridum ſignificat. Siccandi verbo Virgilius quoque uſus eſt pro detergere:

Interea Genitor Tiberini ad fluminis undam
Vulnera ſiccabat lymphis, corpusque lavabat
Arboris acclinis trunco.

Digitized by Google

Stér, ſtella, derivatur a στερεὸς firmus, quia planetæ opponitur: quemadmodum ſidera dicuntur, quia inſidunt. A ſidere Sirius deſcendit, quod & pro Sole ponitur a Virgilio Georg. IV. 425. ſq.

Iam rapidus torrens ſitientes Sirius Indos
Ardebat caelo.

Street, platea, via, vicus, via urbis, deſcendere videtur a Latino ſtratum. Strata viarum obviæ ſunt voces apud Virgil. Æn. I. 425.

Miratur molem Aeneas magalia quondam,
Miratur portas, ſtrepitumque, & ſtrata viarum.

Tân Britis ignem deſignat, unde Titan deſcendit, quod domum ignis ſignificat. Unde commode Sol Titan dici potuit. Lucanus I. 540.

Ipſe caput medio Titan quum ferret Olympo,
Condidit ardentes atra caligine currus.

[*Doarii* nomine, conſuetudo Armorica, viduæ trientem tribuit Art. 455. ut obſervatur col. 901. que Douaire eſt acquis à femme veuve (encore qu'elle ſe remarie) ſur les héritages de ſon Seigneur Mari, pourvû qu'elle ſe ſoit portée loyaument en ſon mariage. Et doit avoir le tiers de ce dont ſon Mari a eu, ou peu avoir &c. Conſpirat Statutum Lipſienſe, quod viduæ, poſt collationem bonorum propriorum, indiſtincte tertiam partem, prætereaque Geradam, largitur.] *Tuf*, lapis mollis & quaſi putrefactus eſt. Inde Latinorum, quod Voſſium fugit, tophus. Profecto enim utitur hoc ſenſu voce iſta Iuvenalis Sat. III.

— *Quanto praeſtantius eſſet*
Numen aquae, viridi ſi margine clauderet undas
Herba, nec ingenuum violarent marmora tophum.

Littera anſerina Z, ſaltem ut initialis, hic non occurrit. Adeſt tamen forma eius in utroque Alphabeto Armorico, ut videtur, confictitio, quod exhibetur in principio Operis pag. XII. Veriſſime hoc Opus Theſaurum linguæ, morum, & antiquitatum gentis Armoricæ dixeris, quod & in Hiſtoria Naturali inſignem præſtabit utilitatem.

Digitized by Google

Jacob von Eggers neues Kriegs = Ingenieur - Artillerie-See = und Ritter = Lexicon.

h. e.

NOVUM LEXICON MILITARE, ARCHITECTO-nico - Pyrotechnico - Nauticum & Equeſtre &c.

Dresdæ & Lipſiæ 1757. ap. Ge. Conr. Waltherum, Bibliopolam Regium Aulicum, Tom. I. continet 2. Alph. pl. 8. Tom. II. 2. Alph. cum XXVII. Tabb. æneis 8vo mai.

Perilluſtris Auctor, Natione Suecus, qui diverſorum Regum ac Principum bellica ſtrenuus ornavit munera, militiæ Suecicæ impræſentiarum Chiliarchus, quique inſuper coetui militarium architectorum Regio Polonico ac Electorali Saxonico, cum axiomate Chiliarchi, præeſt, nec non Equitis Regii Suecici Ordinis Militaris de Gladio, ut & Regiæ Sueonum Academiæ Scientiarum Membri dignitatibus refulget, Vir omnibus noſtris elogiis maior, non infra dignitatem ſuam poſitum eſſe credidit, ea omnia duobus iuſtis voluminibus operoſe & accurate complecti, quæ cuivis duci bellico, militari & civili architecto, rei tormentariæ vel nauticæ præfecto, ex arte Tactica, ex Architectonica civili, militari, navali, & mechanica, ſcitu neceſſaria eſſent. Opus hoc Principi Regio Poloniarum & Lithuaniæ, nec non Electoratus Saxoniæ Heredi, Friderico Chriſtiano Leopoldo, Herculi noſtri temporis Muſagetæ Saxonico, inſcripſit, ac in præmiſſa præfatione ſuſcepti operis occaſionem indicat, quam ei ſuppeditavit Gallicum Dictionarium militare Dn. *Auberti de la Chenaye*, (ſeu, quod verum ipſius nomen eſt, *Alexandri Franciſci des Bois,*) quod tribus nuper voluminibus prodiit. In eo cum doctiſſimus Boiſius, præclara licet, ac haud vulgari aut proletaria cognitione rerum militarium egregie tinctus, multa brevius, & per lancem, quod aiunt, ſaturam attigiſſet, (quod nec ipſe cordatiſſimus Boiſius Tomo tertio Lexici ſui diffitetur, quinimo plurima, quoniam dies diem docet, curatius expreſſit): contra præſtantiſſimus Auctor Noſter,

ſter, praxi militari per tot expeditiones, conflictationes, obſidiones, & alias operationes bellicas, queis cum laude interfuit, pleniſſime imbutus, Dn. Boiſium copioſiſſime cenſendus eſt adauxiſſe. Verum enim vero, non modo illuſtrem Boiſium novo ſplendidoque induit habitu, ſed omnes præterea ſimul contulit ſcriptores præcipuos, qui de militaribus ſupra dictis artibus commentati ſunt, ut eiusdem opus Boiſii tanto magis communibus inſerviret uſibus. Multo plura igitur præſtitit re ipſa perilluſtris Dn. de Eggers, quam in operis inſcriptione aut præfatione pollicitus erat. Intuenti enim hoc Lexicon, facile pateſcet, eum ex linguis exoticis, ex ſcientiis Philoſophicis, Moralibus, Politicis, Hiſtoricis, Geographicis, ut & ex notitia Dignitatum & Ordinum Illuſtrium, nec non Heraldicis, tam Inſignium Equeſtrium, quam vexillorum nauticorum, quarumvis Nationum Rerumque publicarum, figuris æneis & hoc loco nitidiſſime expreſſis, exhauſiſſe omnia, quæ in multis voluminibus vel fruſtra plane, vel diſperſa & manca, conquiſiveris, Lector Benevole. Præmiſſus, poſt præfationem, operi fuit copioſiſſimus & accuratus Index omnium terminorum technicorum, ex lingua Latina, Gallica, & aliis, ad artes bellicas translatorum, quos non ordine tantum alphabetico digeſſit, ſed indicavit etiam, in quibus Dictionarii ſui locis reperiri queat terminorum iſtorum explicatio. Sed vero nec ipſos opifices, mechanicos, & fabros omnis generis, in quantum eorum lingua vel praxis huc facit aut ſpectat, inſalutatos reliquit. Quibus rebus effecit, ut non purum putum nomenclatorem merorum nudorumque verborum ſe oſtenderit, ſed res ipſas ex fontibus genuinis, breviter ac nervoſe explicaſſe merito dicatur. In gratiam officialium bellicorum perſecutus etiam eſt omnia, quæ in militaribus armorum exercitiis, tam diſcendis, quam docendis, recepta ſunt, queis & terminos ex arte venatoria, gladiatoria, & peritia equitandi, ſuperaddidit. Perpendens enim, quam curta militibus fere omnibus ſit & eſſe debeat ſupellex libraria, tradidit eisdem in compendio bibliothecam portatilem bellicam, & repertorium artis militaris. Ex Hiſtoria & Geographia recentiorum temporum ſuppedi-

pedi-

Digitized by Google

peditantur heic deſcriptiones variarum nationum & copiarum levioris armaturæ, quarum notitia non ita multo ante ad nos pervenit: e. g. quinam ſint Archebuſarii equites, Bannaliſtæ, Corutzi, Panduri, Warasdini, Morlacki, Lycanii, Accolæ Thyſſi, Savi, Maroſchi, Huſari, Inſurgentes, Calmucci, Coſaci, Haidamaci, Miqueleti, Talpatſchi, Heyduci, Ulani &c. quisnam apud Turcos ſit Aga, Baſſa, Baictatar Beglerbeg, Caimacan, Califa, Chiaous, Vezir, Hetman, Hoſpodar, Murza, Nairo, Harum Baſſa, Sangiac, Capighi, Seraskier, Spahi, Zaim, Timariot, Mutafaraca. Ex Phyſicis A. exhibet ſermones accuratos de barometris, antliis pnevmaticis, de variis arborum, lignorum, metallorum & mineralium, in ſchola Martis occurrentium, generibus. Mathematicas autem ſcientias fere omnes huc congesſiſſe videtur. Sed & eandem artibus proprie militaribus impendit induſtriam. Exemplo nobis ſit, ex arte Tactica, locus de ducum per-
Pag. 148. ſpicaci *ἀγχινοίᾳ* (*Augenmerck im Kriege,*) quæ ex deſcriptione Nob. Equ. Folardi eſt ars, ſitum & proprietates loci cuiusdam, cum ſingulis favorabilibus & odioſis, (commodis & incommodis,) circumſtantiis eiusmodi tractus, quem dux cum copiis occupare vult, ſine diſpendio temporis, & velut ictu oculi cognoſcendi, repræſentandi, & inde de futuris eventibus copiarum in metatione caſtrorum, in locatione, motibus, & itineribus copiarum, tormentorum & impedimentorum, in præliis committendis vel omittendis &c. callidisſime coniiciendi. Si dux militum, hac arte, regionem, ubi theatrum belli aperiendum eſt, accurate cognoverit, haud illi erit difficile, totius expeditionis aut operationum bellicarum indo-
227. ſqq. lem & conſequentias diiudicare, indicare, determinare. Sic de phalangibus, & conis militaribus quadrangulis (Bataillon
306. quarré,) varia notatu digna profert. Ita etiam de mirandis effectibus armorum fulgentium, cumprimis autem gladiorum ſplendentium, ſi equites iisdem armati exertis brachiis hoſtes
521. adoriantur, præclare iudicat. Ex architectonica militari locus de lineis circumvallationis, curioſas de earundem antiquitate & ſtructura, ex ipſo codice ſacro, ſubminiſtrat obſerva-

Digitized by Google

ſervationes. Breviter, at nervoſe, de celeberrimo problemate Deliaco, videlicet de duplicatione cubi, diſſerit. Præ ceteris autem Philoſophia moralis, & Ethica equeſtris ac militaris, curæ ipſi cordique fuerunt in concinnando hoc Lexico. Ita e. c. de honeſto militari, deque ſtudio & æmulatione gloriæ, præclariſſime philoſophatur, his fere verbis: „Honor cum virtute nititur iisdem axiomatibus & principiis. Honeſtas militaris non acquieſcit in obſervatione officiorum, quæ natura, ſana ratio, & iuſtitia hominibus iniungunt. Officia humanitatis & φιλανθρωπίας virum bonum quidem & honeſtum decent: verum enim vero erectam indolem, ad altiſſima quæque ſurgentem, nondum ſatiant. Humanitas parcit victis, debellatosque tuetur, reprimit ſanguinolentiam effrenium tironum, ſervatque vitam & honorem inermium. At honeſtas longe altius obligationem humanitatis provehit, benevolentiam ei & beneficentiam iungendo. — — Studium gloriæ (le point d'honneur) innititur certis quibusdam receptis legibus & regulis, quas equeſtris ordo ad ſummam proferre ſolet ἀκμήν, & a quibus gloria perſonæ militaris pendere creditur. Studium gloriæ, & ambitioſa generoſitas, ſunt pathemata præcipua officialis bellici, nec, ſi intra terminos ſanæ rationis ſubſiſtant, poſſunt improbari." Paris commatis ſunt, quæ in ſubſequentibus paginis, de genio ſ. de proprietatibus & characteribus bellicis diverſarum nationum, nec non de qualitatibus militum, & de ſcientiis, quæ ipſos formant ac poliunt, magno iudicio profert perilluſtris Auctor noſter. Alibi de obedientia militum, activa pariter ac paſſiva, & quodammodo coeca, de ſubordinatione exactiſſima, nec non de diſpenſatione pecuniæ, deque obſervatione circumſtantiarum occaſionalium in bello, de Generalium, ut vocant, & Gubernatorum dignitatibus & poteſtate diverſa, de variis bellorum & belligerandi generibus, de exercitiis, armaturis, artibus, ſtrategematibus, diſciplina & poenis militaribus, varia obſervatu digna occurrunt.

Pag. 704. 722. 726-731. 1003. 1007. 1086. ſqq. 1357. ſqq.

Cumprimis vero locus de temperantia & continentia militis notatu nobis videtur dignus. Ita vero Auctor: „Temperantia eſt inſignis virtus militaris, & myſterium plerisque mortali-

Tom. II. 102.

Ss ss

talibus incognitum. Hi enim ſi noſſent, quantæ utilitates in univerſa vita exin oriantur, maioris utique illam æſtimarent. Militem oportet non tantummodo vivere parvo, ſed & pro re nata ieiunare. Non debet miles guſtum ſuum delicato & opiparo victu acuere. Decet ipſum craſſo, naturali, ac ſimplici victu, & aqua magis quam vino, uti; vitam mollem, commodam, & effeminatam fugere; in abundantia modum ſervare pariter ac in penuria mentem æquam. Hæc temperantia eſt ſignum ſapientiæ, quæ omni tempore erectam indolem, & bene præparatum pectus, indicat. Aliud temperantiæ genus eſt continentia, (Gallis, l'art de ſe poſſeder:) qua Dux bellicus æque difficulter carebit ac temperantia in victu; nam non milites modo, ſed & ſe ipſum regere, ſuisque affectibus imperare belli ducem decet. Nil magis deſtinata ſalubriter conſilia turbare poteſt, quam efferveſcens ignis ani-
Pag. 175. mi ſibi non conſtantis. Locus de muris Britanniam inter ac Scotiam, de Hexamilo in Iſthmo Corinthiaco,
573. deque ſtupendis Chinæ muris, eſt curioſiſſimus. De integritate & ſinceritate militari (droiture) ſic diſſerit, ut ſtrategemata permittat quidem, ſed eiusmodi tantum, quæ citra
598. dolum & proditionem fiant. De munditie militum, & eorundem varia huc faciente ſupellectile compendiaria, ſcitu digna referuntur. Sed talia ſexcenta, immo infinita, per totum opus & laborioſiſſimum, & curioſiſſimum, dignumque, quod perilluſtri ac generoſiſſimo Auctori merito gratulemur, occurrunt. Nos hic ceſſamus.

IOH. GOTTLOB BOEHMII, IN ACAD. LIPS. P. P. Colleg. Maior. Princ. Soc. Paſt. Arc. de Pedum Deoſculatione, Imperatoribus Romanorum quondam præſtita, Exercitatio Academica.

Lipſiæ, ex officina Breitkopfia, 1757. plagg. 7. in 4.

Qui dudum multis præſtantiſſimis ſcriptis celebre inter eruditos ſibi nomen peperit, Vir Clariſſimus, *Ioh. Gottl. Boehmius*, idem novum, emiſſo faventibus Muſis

ſis cultiſſimo libello, egregiæ doctrinæ ſpecimen edidit. Tanta enim elegantia ac eruditione, de præſtantiſſimo argumento, diſſeruit, ut non potuerit non omnes hiſtoriæ publicique iuris Imperii Romano Germanici cultores ſibi devincire maxime. Haud iniucundum fore ſperamus lectoribus noſtris, ſi paullo uberius elaboratisſimi dotes libelli, diſſertationis academicæ loco ante ad diſceptandum propoſiti, expoſuerimus. In quatuor illum capita partitus eſt Auctor doctiſſimus, quorum *Primo, de pedum deoſculatione Imperatoribus Romanis quondam praeſtita,* agit. Poſtquam generatim nonnulla haud vulgaria de oſculo, reverentiæ & humanitatis apud antiquos ſigno, variisque oſculorum generibus, præmiſit, §. III. ſpeciatim de oſculo pedum, ſacris in cerimoniis, & Imperatorum veneratione, uſurpato, dicere inſtituit. Eleganter monet ingenioſisſimus Auctor, Imperatores Romanorum eo delapſos ſuperbiæ, ut ſe numinibus æquarent, oſculum quoque pedum, Diis tantum olim præſtari ſolitum, ſibi ſumſiſſe; neque adeo illorum probandam ſententiam eſſe, qui a Perſis exortam conſuetudinem ad Romanorum Imperatores perveniſſe, & Diocletiani ſub principatu demum coepiſſe, exiſtimant. Ad tempus enim quod attinet, quo apud Romanos coepit pedes deoſculandi mos, Suetonius teſtis eſt, C. Caligulam primum Cæſarum pedem oſculandum porrexiſſe; illique a Pomponio Secundo, & Pompeio Penno, hoc officium præſtitum fuiſſe, apud Dionem Casſium & Senecam relatum legimus. Cum autem inviſum admodum Romanis eſſet hoc ſervilis reverentiæ ſignum, pedum oſculatio, non tulit illam mite Traiani ingenium; quemadmodum etiam Maximino Seniori laudi tribuitur, quod nequaquam permiſerit, pedes oſculis honorari. Eius a moderatione quum nimium abeſſet eiusdem filius nominis, tantam præ ſe tulit ſuperbiam, ut ſalutantium oſcula non niſi manu, aut genibus, aut pede exciperet. Diocletianum oſculum pedum edicto adeo imperaſſe, recentiores quidam ſcriptores memorant; quod, tamquam a nullo vetuſto auctore memoriæ proditum, æque in dubium revocat Cl. Boehmius, ac alterum illud ſuperbiæ ſignum, quod Diocle-

Digitized by Google

tiano exprobrari ſolet, ſcilicet quod primus ſe adorari iuſſerit. Idem tamen non negat, oſculum pedum a Diocletiano uſurpatum fuiſſe.

Cap. II. *de pedum deoſculatione, Imperatoribus Graecis quondam praeſtita, exponit.* Quemadmodum conſtat, Imperatores Græcos cerimoniarum maxime fuiſſe ſtudioſos, ita pedum quoque deoſculatio illis non fuit incognita, eoque magis, quod ori Imperatoris oſcula figere raro conceſſum fuerit, niſi uni ferme Conſtantinopoleos Præſuli. Sub Iuſtiniano, Auguſtæ adeo pedum oſculatio invaluit, impellente, ſi credere fas eſt *Procopio,* Theodora: quod quidem, ut necdum ſatis compertum, dubia auctoris fide, in medio relinquitur. De eo magis conſtat, pedum oſculationem, cuius cerimonia ex Procopio ſimul illuſtratur, Cæſaribus æque præſtitam eſſe. Idem ritus ſub inſecutis Imperatoribus retentus, cum genuum deoſculatione coniunctus, & in auguſtali præcipue inauguratione, officiorumque Domus Auguſtæ deſignatione, uſurpatus eſt. Neque ſubditi ſolum, ſed exteri quoque Principes, eorumque legati, quin ipſi Imperatorum Rom. oratores, illud officium Imperatoribus Græcis præſtiterunt. Auctor eſt *Arnoldus Lubecenſis,* Manuelem Comnenum ab ipſo Conrado III. Rege Romanorum, quum ex ſacra expeditione Conſtantinopolin diverteret, acriter poſtulaſſe, ut primo conſpectu de more genua oſcularetur: Conrado autem indecoram cerimoniam reſpuente, ita tandem conveniſſe, ut pari honore ſeſe uterque ſalutarent. Haud immerito autem *Arnoldi* fidem, hac in re, cum Celeb. Maſcovio, in dubium doctiſſimus Boehmius revocat. Porro, non Perſarum modo legatos, ſed ipſum adeo Principem illorum, nec non Genuenſium præfectos, Imperatoribus Græcis oſculum pedum exhibuiſſe, legimus. Fuit præterea ritus ille non honoris tantum, ſed poenitentiæ quoque ſignum & ſubiectionis, quorſum Andronici Iun. avi reconciliandi pedes oſculantis exemplum pertinet.

Cap. III. *de pedum deoſculatione, Imperatoribus Francicis quondam praeſtita,* inſcriptum eſt. Ad Francorum reges quod attinet,

net, affirmari quidem nequit, etiam hos eo ſuperbiæ proceſſiſſe, ut oſcula pedibus infigi paterentur. Delato autem ad Francos imperio Romano, honorum quoque frequentata inania ſunt. Ipſum Carolum, inter inaugurationis ſolennia, more antiquorum Principum, a ſummo Pontifice adoratum, ſcriptores fide digni memoriæ prodiderunt. Quibus autem cerimoniis adoratio illa perpetrata ſit, ambigitur. Cl. Auctor merito illorum ſubſcribit ſententiæ, qui Pontificem Romanum, in terram, ad Imperatoris pedes, devolutum eſſe opinantur: quippe iam olim, cum Iuſtiniano, tum Pipino, Pontifices talem honorem habuiſſe legimus. Porro, nec in aula Caroli M. genus adorationis incompertum fuit, neque ipſos adeo Græcorum oratores, eius ad conſpectum ſeſe humi proſternere dubitaſſe, Monachus San-Gallenſis auctor eſt; & ipſius etiam pedum oſculationis, Carolo exhibitæ, veſtigia quædam apud Ermoldum Nigellum apparent. Sub Ludovici Pii imperio frequentiora rei exempla inveniuntur: ipſa Iuditha Aug. hac reverentiæ teſtificatione erga Imperatorem uſa eſt. Inſignis itaque fuit Angelberti, Archiepiſcopi Mediolanenſis, pertinacia, quippe qui Lothario I. oſculum pedis denegavit. Inſecutis temporibus Berengario Aug. legati Pontificis eundem honorem præſtiterunt. Apud Neuſtriæ quoque reges pedum oſculatio frequentata, & a Vaſallis, in clientelari inauguratione, præſtita eſt; niſi quod Rollo Dux Normannorum illam Carolo Simplici denegavit.

Cap. IV. *de pedum deoſculatione, Imperatoribus Germanicis quondam praeſtita*, differitur. Sub Germanicis Imperatoribus infrequens fuit pedum deoſculatio, neque ullum eius ſub Ottonibus veſtigium occurrit. Sub Henricis contra, reſtauratam veterem eſſe conſuetudinem probabile eſt; quanquam ex dictatu Gregorii VII. pedes ſolius Pontificis oſculari fas fuerit. Friderico I. Imp. haud inuſitatum fuiſſe oſculum pedum, legatosque Mediolanenſes, Veronenſes, Novarienſes, aliosque, illi pedes deoſculatos eſſe, novimus. Porro Piſani Alphonſo X. Regi Caſtiliæ, ut electo Romanorum Regi, oſculum pedum detulerunt. Moris etiam fuit, ut in reverentiæ ſignum

oſcula pedis nonnunquam per litteras deferrentur; cui rei novum exemplum, necdum viris doctis compertum, ex Venantii Fortunati epiſtola, additur, ſimulque, Guidonem a Turri præfectum Mediolani Henrico VII. pedem oſculatum eſſe, monetur. Poſt ea tempora exolevit fere illa conſuetudo. Sunt quidem, qui tradant, Ludovicum IV. ab Eduardo III. Rege Angliæ pedum oſculum, in conventu ad Confluentes, exegiſſe, ſed merito, idoneis de cauſis, tanquam vanum hoc a doctiſſ. Auctore reiicitur. Denique, uti Maximilianus I. ſe adorari non paſſus eſt, ita Carolus V. oſculum pedum ne ab Africanis quidem excepit, ſed a ſe amovit faceto hoc dicto, *caput imperare, non pedes*. Ad priſcæ venerationis erga Imperatores reliquias quod attinet, haud inconcinne Cl. Boehmius ad illas refert cerimoniam in clientelari inauguratione Principum, quum ipſi, eorumve legati, coram Imperatore in genua procumbunt, ſicque contactis Evangeliorum libris ſolenni formula ſacramentum præſtant.

Ita vero, ſperamus, intelligent Lectores, non amoenitate ſolum maxima, ſed utilitate quoque ſua, elaboratiſſimam hanc ſe commendare exercitationem, cuius ſimiles ab Auctore, excellenti doctrina, iudicioque non vulgari, inſigni, omnes, qui litteras & hiſtoriam amamus, avide & magnopere præſtolamur.

IOACH. GEORGII DARIES, OBSERVATIONES IUris naturalis, ſocialis, & gentium.

Ienæ 1751. & 54. II. Voll. Alphab. 4. in 4.

Volumen I. continet Obſervationes XXXV. Monuerat auctor Dubiorum Iuris Naturæ, doctores, qui Ius Naturæ tractent, non accurate ſcire, quid ſit Natura. Definitiones enim eorum, quibus vocem naturæ explicent, non conſtare verbis propriis, perſpicuis, aut iam ante definitis. Huic dubio occurrit Ill. Auctor *Obſ.* 1. docetque, naturam eſſe eſſentiam, ſeu conceptum primum, cui quæ conveniant bona ſint, & quæ repugnent mala. Hic igitur nexus exigendus

gendus eſt, quoties in nobis conatus naſcitur ad aliquid producendum, qui quovis in nobis momento oriri ſolet. Idem Auctor monuerat, Doctores ignorare, quid ſit Ius: nam & hoc ab iis per verba impropria explicari. Hoc dubium tollitur in *Obſ.* 2. §. 2. ubi ius dicitur conformitas, ſeu convenientia in agendo, cum eo, quod oportet facere. Hæc conformitas ſi ſyſtematice conſideretur, in *Obſ.* 3. dicitur ius naturæ, ſeu convenientia aut diſconvenientia omnium conatuum vel ſtimulorum noſtrorum cum eſſentia noſtra. Idem etiam dictamen rectæ rationis dici ſolet. Iam non amplius ingenio conficta definitio Iuris Naturæ, cum Auctore Dubiorum Iuris Nat. dici poteſt, ſed ex ipſius rei ſeminibus naſcitur. Sed tale ius naturæ etiam reapſe exiſtere, in *Obſ.* 4. evincitur contra Carneadem, Hombergii Diſſ. de lege æterna, Machiavellum, Hobbeſium, & alios. Prima omnium eſt *Hombergii* obiectio. Ait is, ius naturæ, quo homo ad bona agenda, mala vitanda, duci debeat, peccato Adamitico plane eſſe amiſſum, ideoque naturam homines, poſt lapſum conſideratos, ducere ad ea agenda, quæ iis mala ſint. Sed reſpondet his Noſter, conatus illos, quibus homines ad mala agenda ducantur, non eſſe eſſentiales, ſed accidentales. Probat id 1) inde, quia alias conatus naturæ corruptæ eſſentiæ humanæ a Deo creatæ repugnarent: 2) quia alias adeſſe non poſſent tot exempla virtutum moralium, quæ experientia comprobat; veluti fortitudinis in Alexandro, temperantiæ in Socrate, iuſtitiæ in Ariſtide, & univerſim in præceptis moralibus Ariſtotelis; atque ex his concludit, ſupereſſe in nobis ſcintillulas quasdam & favillas, e quibus honeſtorum & turpium diſcrimen elicere poſſimus. Proponuntur poſtea in *Obſ.* 5. diverſæ ſyſtematis iuris naturæ partes, inter quas ea diviſio præcipua eſt, qua Ius naturæ primum dat theoriam Ethices, tum iurisprudentiam naturalem ſimpliciter ſic dictam, & tandem theoriam Theologiæ moralis philoſophicam. Sequens *Obſ.* 6. de iure gentium inſcribitur. Luculenter in §. 1. recenſentur argumenta eorum, qui negant, ius naturæ & gentium ſpecie differre. Ipſe contrariæ ſententiæ ſubſcribit Ill. Auctor.

Inge-

Digitized by Google

Ingenioſa eſt ratio argumentandi, quam in §. 19. ſequitur. „Sine ratione, inquit, aliquid factum eſſe, non poteſt præſumi. Ratio vero, cur quis alteri aliquid præſtiterit, aut in eo eſt, quia hoc ad præſtandum perfecte obligatus, aut quia ſingulari quadam amicitia ad præſtandum commotus. — Quum vero ultimum non niſi ex ſingularibus quibusdam circumſtantiis inferri poſſit, ſequitur, regulariter præſumendum eſſe, illum, qui alteri aliquid præſtitit, hoc ad præſtandum perfecte fuiſſe obligatum.“ Eludi tamen hæc præſumtio poterit, ſi oſtendatur, regulariter neminem ad id, quod præſtitum eſt, perfecte obligari. In *Obſ.* 7. probatur, concluſiones iuris naturæ habere certitudinem mathematicam, quatenus ex principiis legitime ſeu ſyllogiſtice deduci poſſint. Obiicitur, fieri non poſſe, ut maior ſit ipſius ſcientiæ certitudo, quam earum rerum quæ ſciuntur. Si itaque eadem ſit certitudo in iure naturali, quæ eſt in diſciplinis mathematicis; conſequens eſſe, ut eadem quoque ſit certitudo in actionibus moralibus. Ex quo colligendum ſit, poſita illa iuris naturalis certitudine, hominum operationes omni deſtitutas eſſe libertate. Sed negat Ill. Auctor in §. 15. conſequentiam, dicitque ei inhærere vitium, quod Logici vocent fallaciam dicti ſimpliciter. Diſtingui enim debere eiusmodi actionum in ſe ſpectatarum qualitatem, ab accommodatione vis, qua agantur. Methodus iuris naturalis in *Obſ.* 8. eadem eſt, quæ mathematica. Ex quo regulæ huius methodi patent in §. 2. & opiniones diſſentientium refutantur in §. 3. Differentia quoque inter præcepta iuris naturæ & Politices inde fluit, §. 6. Verum Lectoris intererat, uſum iurisprudentiæ naturalis doceri in iure arbitrario. Fit hoc *Obſ.* 9. Delibemus, quæ amoeniora videri poſſint. Primus uſus in §. 5. hic eſt, ut iuris naturalis diſciplinam ſine ſimulatione intelligens, in quocunque iurisprudentiæ titulo, ea, quæ iuris naturalis, ab iis, quæ iuris voluntarii, accurate ſecernere atque internoſcere poſſit. In neglectu huius regulæ, *Titius* in Iurispr. privata L. 1. c. 1. §. 32. leguleiorum ponit characterem, qui non tam iuſtitiæ, quam litigiorum habeant rationem. Proponitur deinceps in §. 7. quæſtio:

An

An ex principiis Iuris, quæ obveniunt, Principum controverſiæ poſſint iudicari? quod de iure arbitrario recte negatur, de naturali affirmatur. Aſt exemplorum, quæ in Scholio proponuntur, alterum limitari, alterum reiici debet. Limitari quidem, quod de Quæſtione, an Princeps legitimam liberis ſuis relinquere teneatur, dicitur. Iure enim Romano ſoluti ſunt tantum Principes liberi, non Principes Imperii. Reiici autem debet Puteani, quæ hic adoptatur, ſententia: præſcriptioni locum non eſſe inter principes liberos. Præſcriptionis enim ratio non in ſola poena negligentiæ latet, ſed ſimul in præſumtione derelictionis, quæ utique eſt iuris naturalis. Eadem præſumtio derelictionis facit, ut etiam quæſtionem in Scholio §. 11. propoſitam, aliter, quam ab Ill. Dn. Auctore fit, decidendam eſſe opinemur. Quæritur nimirum, an dominium rei, quam quis mala fide poſſidet, præſcriptionis ope iuſte acquiri unquam poſſit? Negat hoc illuſtris Auctor, ſiquidem dominum negligentem fuiſſe probari nequeat. Verum hæc negligentia, etiam iure naturæ, ex ipſo temporis diuturni lapſu præſumitur, & intereſt publice, dominia rerum in tuto collocari, ne litibus temere anſa præbeatur; & in dubio, Conſtitutiones Iuris Civilis tamdiu habendæ ſunt pro naturalibus, donec probetur contrarium, quia hoc facilius reddit iuris ſtudium. Bona naufragorum fiſco principis addici, non, quod in Schol. ad §. 13. dicitur, iniquum atque iniuſtum, ſed arbitrarium eſt. Pro naufragis facit, quod afflicto non eſt addenda afflictio: pro Fiſco, quod naufragi ſemel earum rerum iacturam fecerunt, & inanes ſæpe lites deinde exercent de probando dominio. *Res Fiſci eſt, ubicunque natat.* In *Obſ.* 10. de perfectione & imperfectione; in 11. de Conſuetudine agitur. Præmiſſis definitionibus ſubiiciuntur diviſiones. Irrationalis conſuetudinis elegans exemplum in §. 9. exhibetur ex G. A. *Struvii* Diſſ. de Conſuetudinibus rationalibus & irrationalibus, quo Macaria, Archiepiſcopus Kievienſis, in Ruſſia ſeu Ruthenia, Paſſam-Portam pro morientibus ad d. Petrum evulgare coepit. Eius formula, legi digna, c. l. exhibetur. Neque minus lectori placeant, quæ in §. 10. afferuntur. In dubio ſcilicet

licet præſumi, conſuetudinem probatam eſſe rationalem. Eſt certe expeditiſſima huius veritatis demonſtratio. „Quum enim in dubio id præſumendum ſit, quod naturæ magis conveniens eſt; & conſuetudo rationalis naturæ conveniens ſit, irrationalis vero naturæ repugnet: ſequitur, in dubio præſumendum eſſe, conſuetudinem probatam eſſe rationalem.“ Rem ipſam quoque coram intueri, non deſcriptam legere videmur, quando in §. 19. vis exponitur conſuetudinis in vita morali. Fieri poteſt, ut conſuetudo ſit cauſſa corrupti intellectus, perverſorumque affectuum. Quum enim, qui ex conſuetudine agit, ad id, quod agit, non ſatis attendat, conſuetudo facile fieri poterit conatus vehementior minus accurate cogitandi, atque ea agendi, quæ nobis mala ſunt. *Obſ.* 12. de coactione, & actionibus ad libertatem relatis, agitur. Omnis coactio vel phyſica eſt, vel moralis. Phyſica coactio eſt violenta torſio, violentus compulſus, veluti quando aliquem coercemus. Coactio moralis eſt efficere, ut alicui actionis cuiusdam omiſſio ſub conditione evitandi mali fiat impoſſibilis. Tractatur poſthæc de bonitate atque malitia actionum intrinſeca, in *Obſ.* 13; de moralitate actionum noſtrarum extrinſeca, in *Obſ.* 14; de naturali actionum humanarum indifferentia, in *Obſ.* 15; de obligatione morali, in *Obſ.* 16; de obligatione naturali & poſitiva, in *Obſ.* 17; de legibus moralibus generatim, in *Obſ.* 18; de legum moralium differentia generatim, & ſpeciatim de legibus naturalibus & poſitivis, in *Obſ.* 19. Sed nos potiſſimum ad ſe vocat *Obſ.* 20. in qua quæritur, an leges poſitivæ etiam legislatorem obligent? Uſus quæſtionis manifeſtus eſt, quando quæritur, an poſſidentes regalia domanialia & ſimilia bona, adverſus principem, ad præſcriptionem legibus illis determinatam provocare poſſint? Grotius negative ad hanc quæſtionem reſpondet, quia leges ſubditis tantum præſcribantur. Sed monet Ill. **A.** id ipſum quæri, an ſolis ſubditis leges ferantur? Alterum argumentum Grotii hoc eſt, Legislatori competit ius leges ſuas mutandi. Poterit igitur id facere, quamprimum iis obligari debet. Sed nec hoc argumentum ſatis firmum videtur. Poſito enim hoc, conſequens erit, leges poſi-

poſitivas, a legislatore ratione ſui ſaltem non mutatas, legislatorem etiam obligare. Quare, quum legum mutatio non poſſit præſumi, ſed probari debeat; manifeſtum eſt, poſito illo argumento præſumendum eſſe, quod leges poſitivæ etiam legislatorem obligent. III. Auctori neganda quæſtio videtur, quia nec legislator ſe ipſum ad agendum moraliter cogere velit, nec ab alio, quia ſuperior ſit, cogi poſſit. At Princeps, ut eiusmodi leges obſervet, tenetur, non quia leges ſunt, ſed quia prudentia vult, ut iis obſequatur. Prudentiæ enim repugnat, exemplo deſtruere, quod lege iuſſeris. Huc pertinet illud *Taciti* Annal. L. III. Præcipuus adſtricti moris auctor Veſpaſianus fuit, antiquo ipſe cultu victuque. Obſequium inde in Principem, & æmulandi amor, validior quam poena ex legibus & metus. conf. *Claudiani*, de IV. Conſ. Honorii Pan. verba:

In commune iubes ſi quid, cenſesque tenendum,
Primus iuſſa ſubi: tunc obſervantior aequi
Fit populus, nec ferre negat, cum viderit ipſum
Auctorem parere ſibi. —

Ex eodem momento pendet deciſio quæſtionis, an Ludovicus XIV. Brabantiam ſibi vindicaturus, iure Devolutionis uti potuerit. Hæc neganda eſt: quia ius devolutionis non eſt iuris naturalis, ſed iuris poſitivi Brabantinis proprii; ideoque præſumendum, in controverſiis Principum ad eiusmodi ius non poſſe provocari. Manat porro inde, factum civis, legibus quidem civilibus, qua talibus, repugnans, auctoritate tamen Principis perpetratum, validum præſumendum eſſe. Quod ex *Zieglero* de Iur. Mai. L. 1. c. 1. §. 29. ſeqq. eleganti Reſponſo illuſtratur, de teſtamento, a duobus ſecretariis ex Conſiſtorio Principis ablegatis, recepto. *Obſ.* 22. ad interpretationem pertinet. Clericus, de arte Critica, hanc doctrinam ad Criticam refert, ſed minus accurate. Hæc enim magis in emendando & illuſtrando, quam in interpretando verſatur, & ſi interpretetur, non, niſi ſenſum Grammaticum quærit. Propria huius doctrinæ ſedes eſt in Logica. Recte tamen eadem etiam in Iure Naturæ tractatur. Argumentum, quo Heineccius contrarium probare ſategit, vitii in for-

ma, quod notabile eſt, accuſatur in §. 7. Iudicatur in *Obſ.* 23. de regula interpretationis: favorabilia late, odioſa ſtricte interpretanda eſſe; &, propoſita Grotii & Pufendorfii ſententia, monitis Thomaſii ſubſcribitur contra Placcium. In *Obſ.* 24. agitur de interpretatione Authentica & Uſuali; ut 25. de poenis generatim, & poenis moralibus ſpeciatim, inſcribitur. Contendit in hoc Capite III. A. definitioni poenæ, verba, a Superiore, inferenda non eſſe. Proximum eſt ius naturale permiſſivum in *Obſ.* 26; quod doctrina de diſpenſatione excipit in *Obſ.* 27. Colliſio dein legum in quatuor *Obſervationibus* ſiſtitur. Refertur enim 28. ad colliſionem legum generatim; 29. ad colliſionem legum naturalium; 30. ad colliſionem legum poſitivarum cum naturalibus; 31. ad colliſionem legum poſitivarum inter ſe. Nos ad poſtremas quatuor obſervationes pergimus, quibus de Principio iuris Naturæ diſquiritur. Inſcribitur enim *Obſ.* 32. de controverſiis circa principium iuris naturalis; 33. de lege iuris naturalis abſolute fundamentali; quæ Ill. Auctori hæc eſt: perfectionibus rerum convenienter vivas: quum Wolfius dixerit, fac ea, quæ te ſtatumque tuum atque aliorum perficiunt; 34. de legibus iuris naturalis ſecundum quid fundamentalibus; 35. & ultima de principiis iuris naturalis plane non admittendis. Iam principio cognoſcendi primo in iure naturali utique opus eſſe, ſatis p. 330. & ſeq. evincit Ill. A. Excitati ſane ingenii fuit, qui primus ex tali principio Ius naturæ demonſtravit. De nomine eius, quantum ſcimus, non conſtat. Exquirimus id, ut memoriam tanti viri grata colere poſſit poſteritas. Ex principio v. c. Socialitatis, per XII. leges ſubordinatas, tota tradi diſciplina poteſt. Quid commodius inveniatur ad alenda auditorum ingenia? Eſt tale principium inſtar gemmæ, ex qua roſæ progerminant; inſtar anuli capitalis, ex quo anuli reliqui pendent. Si in inveniendo tali principio laſciviat quorundam pruritus novaturiendi, dandum hic eſt aliquid rebus humanis, in quibus nullum frumentum reperitur ſine zizania. *Scaliger* Præf. L. I. Epidorp. tria tantum Confectaria maluit:

Natura, inquit, *tribus legibus agitantia vitam*
Nutu rationis luce caelitus parata

Nu-

Vult fulta; quaſi has dedit eſſe commeatum.
Nunnen cole ſummum. Tibi prima, ultima meta haec.
Ne prodige te, nec tua prodige negligendo.
Ne cui facias, quae tibi facta non placerent.
Iſtis tribus omnis capitur beatitudo.
Quam qui nihili fecerit, exibit inanis.

In Volumine II. prima *Obſervatio*, quæ in ſerie, in qua apponitur, eſt 36. agit de origine iuris ex obligatione. Sunt qui negant, omne ius ex obligatione oriri. Sunt qui affirmant. Multæ per hancce rem, & inter gentes, & inter privatos, componi poſſunt controverſiæ. Qua ex cauſſa ſenſum quæſtionis definit Ill. A. & ſententia negantium infirmata, ſententiam affirmantium limitat, limitatamque probat. *Obſ.* 37. in diviſionem iuris, in perfectum atque imperfectum, inquirit. Nonnulli ius imperfectum inter ea referunt, quæ non ſunt iura, niſi ſignificatione impropria. Alii ius perfectum a iure cogendi non ſatis diſtinguunt. Inde diſſenſus & præiudicia, quæ hoc loco examinantur. *Obſ.* 38. exhibet veras de iuſto atque iniuſto notiones. Termini ſunt ambigui. Inde alia ſignificatione iuſtum eſſe poteſt, quod alio ſignificatu eſt iniuſtum. Demonſtratur uſus iſtius varietatis. *Obſ.* 39. ſiſtit obligationem ad obſervandum decorum arbitrarium. Definitur id in §. 1. per Externa, quæ non quidem a natura hominum, tamen ex opinionibus uſu receptis, cum iis, quæ nobis ſtatuique noſtro externo inſunt, conveniunt. In contrarium adducuntur bella, quæ ob decori violationem geruntur. Natura huius obligationis determinatur, determinataque ab impugnatoribus defenditur. In *Obſ.* 40. exponitur naturalis poenarum menſura. Quemadmodum 41. ad veram cauſſam, quæ actionibus malis quantitatem conſtituit moralitatis, pertinet. Sequitur deinde de iurisdictione *Obſ.* 42. & de diverſitate eius ab imputatione; ubi limitatur propoſitio, qua, præeunte Thomaſio, dici ſolet, Hæreſin non eſſe crimen. Subiicitur his imputatio eorum, quæ ab intellectu pendent, in *Obſ.* 43. & imputatio criminis vagi in *Obſ.* 44. Eſt autem obiectio criminis vagi, in §. 3, delicti generalioris, & nondum per actus ſpecificos probati, ac difficul-

Digitized by Google

ficulter æſtimandi, imputatio. Diſſertatio b. *Rechenbergii*, de crimine hæretificii, habita Lipſiæ 1737. in qua hæc imputatio criminis vagi graphice deſcribitur, & quæ huic obſervationi occaſionem dedit, deſiderabilem ſimul viri defuncti memoriam reddit. Late poſthæc proponitur imputatio actionum alienarum in *Obſ.* 45. ubi hoc argumentum ad ordinem Diſtichi mnemonici,

Iuſſio, conſilium, conſenſus, palpo, recurſus,
Participans, mutus, non obſtans, non manifeſtans,

pertractatur. Deinde de ſpecie facti in *Obſ.* 46. de natura libelli in *Obſ.* 47. de iudice in *Obſ.* 48. de ſententia in *Obſ.* 49. agitur. Inſcriptio *Obſ.* 50. eſt de Egoiſta morali. Eſt autem Egoiſta moralis, qui non alia officia, quam quæ ſui ad perfectionem ducunt, obſervanda eſſe putat. *Obſ.* 51. eſt de Statu neceſſitatis. *Obſ.* 52. reſpondet ad quæſtionem: an & quomodo nobis competat ius, alios ad officia innoxiæ utilitatis præſtanda cogendi. *Obſ.* 53. examinat actionem ingrati. Notis hic illuſtratur Boecleri meditatio de hoc argumento. *Obſ.* 54. inſcribitur de τῷ noſtro. *Obſ.* 55. in veram læſionis naturam, eiusque a turbatione diverſitatem, inquirit. *Obſ.* 56. agit de damno, eiusque cauſſa. Pulcrum in primis eſt Scholium p. 260. his verbis: „Sine deliberatione atque propoſito agimus, quando factum quidem utrum bonum ſit, an malum, novimus; at propter ebullientes affectus, qui animæ diſtrahunt vires, intellectus iudicium obſcurant, & voluntatem in conſenſum rapiunt, de facto inſtituendam deliberationem non inſtituimus; ſed inſtar eius, qui intellectu caret, in malum tendimus, & proximo inferimus. Exemplo eſto is, qui ex ira nocet: licet hic, nulla proximo inferenda eſſe mala, abunde noverit, quia tamen laceſſitum, affectus iræ in ipſo ebulliens & ferociens, movet & urget, non applicat regulam ad factum, ad quod ira concitat, ſed concitatus perpetrat, & proximo mala infert.“ [Danda igitur ſedulo eſt opera, ne affectus noſtros ebullire patiamur.] De effectu probabilitatis ſecundum ius naturæ, in ſpecie de damno imminente, quæritur in *Obſ.* 57; de præſtatione damni in *Obſ.* 58; de actione noxali, an ſit iuris naturalis, in *Obſ.* 59; de damno, quod venit

venit in conſequentiam, in *Obſ.* 60; ſpes lucri an in præſtando damno æſtimanda, in *Obſ.* 61; de bello, eiusque generibus generatim, *Obſ.* 62; de bello defenſivo, *Obſ.* 63. Quæritur deinceps in *Obſ.* 64. an bellum defenſivum, ſi ſit iuſtum, requirat periculum præſens. Quod in ſpecie accommodatur ad quæſtionem, an arma recte ſumantur ad imminuendam potentiam creſcentem. Prius in §. 5. negatur contra Grotium, indeque in §. 10. infertur, utique recte arma inferri ob creſcentem vicini potentiam. De bello reparativo differit *Obſ.* 65. & de punitivo *Obſ.* 66. Hoc dari cum Grotio aſſeritur. Iuſtum bellum pro aliis ſuſcipiendum, occupat *Obſ.* 67. De modis autem in ſtatu naturali componendi controverſias, in ſpecie de bello iudiciali, agitur in *Obſ.* 68. eademque ultima. Belli iudicialis in §. 33. is eſt effectus, ut alter litigantium ſit obligatus, ut ad alterius, qui vicerit, accedat ſententiam. Ad Vol. I. pag. 352. ubi de principio agitur, illud adhuc annotamus. A XX. inde ſeculis, ideæ fundamentales Iuris Naturæ duæ præcipue notæ ſunt, utilitas ſive perfectio, & ſocialitas. Illa ex inſtinctu manat: hæc inſtinctui temperando inſervit. Illa a Platonicis, Stoicis, Peripateticis, Grotio, Pufendorfio, & ceteris ſocialitatis fautoribus, prætermittitur, quia per ſe intelligitur. Hæc, ſocialitas, in eo conſiſtit, ut aliis quoque, eodem inſtinctu gaudentibus, ea concedamus, quæ nobis concedi velimus. Quicquid huic igitur ſtudio convenit, illud eſt præceptum; quicquid repugnat, illud eſt illicitum. Iam apparet, Groeningii obiectiones redire ad Logomachiam. Officia erga nos non ſunt ſubordinanda ſocialitati, ſed prætermiſſa fuerunt, tanquam res de quibus dubitari non poteſt. Officia erga Deum dari, negat Atheus. Sed is etiam iure Naturæ obligatur, qui ex neceſſitate ſocialitatis colendæ de officiis Iuris Naturæ convinci poteſt. Ex neceſſitate vero ſocialitatis colendæ de Dei exiſtentia convinci poteſt Atheus, quia hæc neceſſitas providentiam involvit. Igitur, officia erga Deum ſubordinanda ſunt ſocialitati.

PER-

Digitized by Google

PERSECUTIONIS CHRISTIANORUM NERONIAnae in Hiſpania, ex antiquis monimentis probandae, uberior explanatio, qua multa, tam ſacrae, quam profanae antiquitatis capita, explicantur atque illuſtrantur, auctore IO. ERNESTO IMMAN. WALCHIO, *Prof. P. & Soc. Lat. Ien. Directore.*

Ienæ 1753. litteris & ſumtibus Schillianis, 1. Alph. in 4.

Marmora litterata, quæ fortuna benignior, tamquam ex magno naufragio nobis ſervavit, ut auctoritate plurimum iure ſuo valent: ita, cum in confingendis iis maximopere homines male feriati, ab inſtauratis inde litteris, elaborarint, ac vel populis, vel urbibus, aliisque locis, aliquam vetuſtatis opinionem hac fraude conciliare ſtuduerint; magna circumſpectione tractanda ſunt, & ab iis tantum, qui omnis memoriæ veteris reperiantur intelligentiſſimi. Qua cautione tum in primis opus eſſe videtur, ſi, eorum beneficio ac munere, res commendentur poſteris, quæ non tacitæ ſolum ab hiſtoricorum optimo quoque relictæ ſint; ſed pugnare quoque cum aliis, quæ indubia monumentorum fide nituntur, & convellere illas videantur. Quo in genere tria illa marmora, quibus vexationis crudeliſſimæ, a chriſtianis hominibus, Nerone ac Diocletiano imperantibus, toleratæ, memoria in ævum propagatur, ponenda ſint, nec ne, nondum ſatis exploratum eſſe viris doctis videtur. WALCHIVS, V. C. iis accedit, qui ea pro veris antiquitatis ſpoliis, ut ita dicamus, habent; huiusque ſententiæ ſuæ rationes duabus commentationibus expoſuit, quarum altera 1750. in nomine Cel. *Gorii* apparuit, inſcripta: *Marmor Hiſpaniae antiquum, vexationis chriſtianorum Neronianae inſigne documentum, illuſtratum;* altera inſequenti anno edita eſt, *Chriſtianorum ſub Diocletiano in Hiſpania perſecutionem ex antiquis inſcriptionibus* illuſtrans. Quorum vero marmorum auctoritas cum & *Scaligero* quondam, & *Cupero*, at quantis Viris, ſuſpecta viſa ſit; & *Hagenbuchius* quoque, vir doctiſſimus, ea ſuper re conſultus, illis non aſſenſus modo ſit, verum, ne transmiſſa quidem cauſſæ dictione, quam

quam iis Noſter paraverat, ab hoc iudicio ſuo potuerit depelli: faciendum hic non putavit, ut, quæ defendenda ſemel ſuſceperat, ea illico deſereret. Extant illa in Gruteriano inſcriptionum opere p. 238. inſcr. 9. p. 280. inſcr. 3. & 4. Iam cum primum *Dodwellus*, Neronianam chriſtianorum vexationem extra urbis pomoeria progreſſam eſſe, negaret, aliique eum, ut ferme fit, ſequerentur; primo autem marmore, ſi fidei non ſuſpectæ illud eſſe demonſtretur, tota res expediri, & dirimi controverſia, diu agitata, poſſit: eius maxime cauſſam hoc libro agit Auctor, ita, ut capite I. *Neronianam, in Hiſpania, Chriſtianorum vexationem, ex antiquo, ibi reperto, lapide confirmari poſſe,* oſtendat: c. II. *argumenta, quibus lapidis Neroniani fides, eiusque, ad probandam in Hiſpania chriſtianorum vexationem, auctoritas impugnatur,* exponat: c. III. *eadem refellat.* Quæ ad hiſtoriam illius pertinent, quum tenebris involuta ſint pleraque, libenter hic prætermittimus: etſi diligentiſſime h. l. collectum reperiatur, quicquid de cauſſa marmoris, loco, lectione, auctoribus & interpretibus, litteris usquam conſignatum eſt. Argumentum quum ex ipſis, quæ in eo inciſa ſunt, verbis, intelligi optime poſſit, non ingratum lectoribus noſtris fore arbitramur, ea integra huc transſcribere, unde haud dubie ipſis, de fide eius iudicium erit facilius. Hoc illud eſt:

NERONI CL. CAIS
AVG. PONT. MAX
OB. PROVINCIAM. LATRONIB
ET. HIS. QVI. NOVAM
GENERI. HVM. SVPER
STITION. INCVLCAB
PVRGATAM

Quod igitur intuens auctor noſter, neque in ſcribendi ratione, qua & ὀρθογραφίαν, & ipſum ſtilum, quem vocant, lapidarium complectitur; neque in loco, ubi marmor inventum eſt; neque in rebus, quarum facit mentionem, latronibus videlicet, religione chriſtiana, eiusque cultoribus latronibus iunctis, fraudis alicuius ſuſpicionem reperiri, pronuntiat. Nunc,

Digitized by Google

quæ tandem ſint argumenta, quibus adductus V. d. *Hagenbuchius*, auctoritatem eius convellere aggreſſus ſit, accipiamus. Atque hic *quindecim* maxime res eſſe, quæ fidem eius ſibi ſuſpectam reddant, cognoſcimus, quas lectoribus ad iudicandum proponemus, ita tamen, ut, quid auctori Celeberrimo reſpondere ad ſingulas viſum ſit, una breviter ſubiiciamus. I. *Hiſpaniam prae aliis terris inſcriptionum ſubditarum multitudine famoſam eſſe, monemur.* At omnes, ibi repertas, fraude confictas eſſe, Walchius negat. II. *Gloriae captationem ex chriſtianorum afflictione a moribus antiquis abhorrere.* At id minus abhorruiſſe, non ſolum ex adverſariorum perverſo de ſua chriſtianaque religione iudicio, ſed etiam Servatoris O. M. oraculo Ioh. XVI, 2. aliorumque lapidum exemplo docetur. III. *Prodigii ſimile eſſe, in ceteris imperii Romani provinciis ne unum quidem lapidem reperiri, qui chriſtianorum vexationes enarret, atque in una Hiſpania duos treſve eius rei teſtes ſupereſſe.* At multas res ſingularibus lapidibus ad noſtram memoriam propagatas eſſe, ſilentibus de iis non aliis modo, ſed ipſis etiam hiſtoricis; diverſaque in eo genere præſidum ſtudia cognoſci, reſpondetur. Præterea, plura cruenti eiusmodi contra civitatem chriſtianam belli monimenta, ad noſtram memoriam perveniſſe, vid. *Grut.* p. 243. inſcr. 5. p. 244. 7. p. 270. inſcr. 2.; plurima autem interiiſſe, ac partim, imperatorum defunctorum odio, a plebe furente everſa; partim ab ipſis chriſtianis, res profanas vehementer exoſis, ac publicis etiam legibus excitatis, antiſtitibusque ſacrorum ad eam rem ducibus uſis, deleta eſſe demonſtratur. IV. *Veteres chriſtianos in ſcriptis ſuis, apologiis maxime, monimentorum talium, contra religionem ſuam poſitorum, mentionem non facere.* Contra vero, multa Romanis imperatoribus monimenta & tropea reperiri poſita, de quibus ne verbum quidem apud ſcriptores vetuſtos hodie inveniatur, dicitur; ut vel ex una Antonini Pii columna intelligitur. V. *Nec Schotti, nec Metelli ſchedis, haberi fidem tuto poſſe: tutius certe eſſe, Cluſio credere, qui non viderit eam inſcriptionem in Hiſpanis.* At illorum virorum inſcriptiones etſi variæ ſunt ſpuriæ, non omnes tamen

eodem

Digitized by Google

eodem loco habendas eſſe, nec teſtium αὐτοπτῶν ſuffragium, ad auctoritatem lapidibus conciliandam, requiri, monetur. VI. *Ipſum Schottum & Metellum eam inſcriptionem non vidiſſe, ſed deſcriptam ab aliis accepiſſe.* At ingentem marmorum multitudinem damnandam ita eſſe, ſi eorum, qui primi ea publicarunt, αὐτοψία, neceſſario requiratur ad auctoritatem iis conciliandam: Schottum, & diutius, & ſerius Hiſpaniam peragraſſe: multorum lapidum exempla vel periiſſe hodie, vel in occulto latere, variasque eius rei cauſſas eſſe, contra diſſeritur. VII. *Baronium, hanc inſcriptionem in pluribus apud Hiſpanos columnis reperiri, dicentem, fidem haud mereri.* Hoc quidem magis adverſus illum, quam huius marmoris fidem valere; neque tamen a vero abhorrere, plures in eadem provincia urbes, iisdem impulſis cauſſis, plures iisdem verbis lapides inſcripſiſſe, contra monetur. VIII. *Franc. Bivarium, plures in Hiſpania columnas numerantem; Aldum Manutium, monumento huic Neroniano fidem tribuentem; & Pagium, eumdem lapidem noſtrum adhuc in Hiſpanis videri, tradentem, ſine nota dimittendos non eſſe.* Hoc de Pagio & Bivario concedendum eſſe; in Manutium, nullo eius merito conferri, docetur. IX. *In definiendo loco, ubi effoſſus ſit, magnam eſſe ſententiarum varietatem.* Sed id mirum non eſſe, atque in aliis etiam bene multis uſu venire, oſtenditur. X. *Adol. Occonis fidem ſuſpectam videri.* Id in numis quidem Noſter concedit; in inſcriptionibus autem, & hac præſertim noſtra, plus ei tribuendum eſſe contendit. XI. *Inſcriptionem noſtram, ſi germana eſſet, in illuſtri potius, quam ignobili loco inventam fuiſſe, ne fraudis ſuſpicio eſſe poſſet.* Loca marmoribus aſſignari, non ubi poſita, ſed ubi inventa ſint, ac ſæpius, ab ſtudioſis earum rerum, ex nobilibus in obſcura loca translata eſſe, contra docetur. XII. *Typos quorumdam in fine lapidis lacunas habere; aliorum non item: quae res a ſchedarum potius auctoribus, quam lapidis exſcriptoribus, profecta videatur.* Id mirum non eſſe, ſi a diverſis, diverſo tempore, marmor illud in litteras relatum eſt, neque ullo pacto veritati eius debere nocere, affirmatur. XIII. *Confictum*

videri lapidem, ut iter d. Iacobi in Hiſpaniam fieret veri ſimile. Id vero minus fieri probabile, conceſſa etiam lapidis veritate; propterea que eam rem fraudis ſuſpicionem non movere, reſpondetur. XIV. *In Hiſpania longe ſerius civitates chriſtianas conditas videri, quam ut Nero bellum indicere iis potuerit.* Sed Sulpitii Severi teſtimonium, ad eam rem probandam, minus ſufficere, quum alii contrarium doceant, *Lact.* IV. inſt. c. 20. ac ſi valeat, lapidis tamen auctoritatem non infringere, Noſter autumat. XV. *Nominis chriſtianorum* περίφρασιν *magis olere ſcholae* καλλωπισμὸν, *quam ſimplicem inſcriptionum ſtilum.* Sed non periphraſibus omnibus carere inſcriptiones, fidei nequaquam ſuſpectæ, pluribus exemplis docetur. Hoc libri elegantis argumentum eſt, quod cogitans aliquis, etiamſi lapidis veritatem non agnoſcat, ut nuper variæ & exquiſitæ eruditionis theologum eam negare meminimus, cuius iudicium & nos ſequimur: grato tamen animo fatebitur, quicquid dici pro ea poſſit, magna hic diligentia congeſtum eſſe, ita ut, ſi Noſter non vincat, conclamata propemodum lapidis cauſſa eſſe videatur.

CORN. ALB. KLOEKHOF, MED. DOCT. OPUSCULA Medica. I. Hiſtoria febris epidemiae Culenburgenſium, Anni 1741. II. De Venaeſectionis termino in acutis. III. De Strepitu in pectore inter potandum, de prolapſu ad pedes, & ſimilibus acutorum ſymptomatis. IV. De Criſibus. V. De morbis acutis recidivis.

Traiecti ad Rhen. ap. Nicol. van Vucht, plagg. 17. in 8.

Occaſionem huic labori dedit epidemia febris *Culenburgenſium* Anni 1741. cuius quidem deſcriptio diligens, fidaque ſanationis, adverſis & proſperis ſucceſſibus ſtabilitæ, narratio, medicinam febrium acutarum illuſtratura recte creditur. Circumſpecta enim, ex ſimilitudine morborum, argumentatio, egregie fructuoſa comperitur. Ex adverſariis, aut firma memoria, bonave fide, morbi hiſtoria con-

conſcripta eſt; affinis materiæ locis lucem aliquam addituris, ex *Hippocrate*, aliisque, ſpectatæ fidei, plurimæque auctoritatis Medicis, collectis, digeſtis, & ordine ſubiunctis. Hiſtoriam ſcribenti quatuor argumenta ſe prodidere, momentoſa ea & intricata; totidem deinceps Diſſertationibus expoſita. Libri, *Hippocratis* nomen præ ſe ferentes, quaſi eius eſſent, excitati ſunt; *Foeſii* verſione in plerisque retenta. Quæ autem doctorum referuntur placita, nec expreſſe diiudicantur, ſuis relinquuntur auctoribus. Prima Diſſertatio hiſtoriam febris memoratæ, in quinque capita deſcriptam, exhibet; quorum 1) deſcriptionem morbi; 2) Medicinam aegris factam, generatim; 3) ſymptomata præcipua, & medelas horum: rectionem item egeſtionum levantium, ſpontanearum, ſigillatim; 4) præcedentis argumenti continuationem; & 5) egeſtionum criticarum gubernationem, προφύλαξιν, & medicinam recidivarum, morbique ſequelarum ſanationem, refert. Poſt autumnum ſterilem anni 1740. continuo inundatio inſulæ Batavorum, cum accedente intenſo brumæ frigore, annonæ caritate, & rara ſilentibus negotiis mercede. Inde victus pauperculorum præcipuus e ſolani eſculenti tuberibus, flumine ſubmerſis primum, dehinc frigore congelatis, mox aliquantisper regelatis, atque ita corruptis. Habitacula eorundem diu aquis macerata, media hyeme humidisſima fuerunt. Hinc ineunte Februario 1741. febres continuæ, in primis diarrhoea aquoſa, longa multaque, torminum experte, notabiles; illaque, vel ab initio febris ſponte moleſta, vel remediis ad febrem acidulis illico provocata. Frequens etiam, & puerili & provectæ ætati, verminatio, poſt inundationes ſolita, eruptura per gulam immanes angores pariens, mox, reiectis varii generis lumbricis, evanidos. In his morbi incunabulis rarior viſa venæſectionis opportunitas, febre remisſiore. Rhabarbaro venter purgatus. Ad vermes terrea, ſcabritie ſua hos conterere credita. Refrigerantia, eaque mitiora, parcius adhibita. In dies a parvis his initiis morbus gliſcens, accedente verno æſtivoque calore acutus ardensque, menſibus Octobri & Novembri adhuc frequentisſimus, Decembris principio

receptui canens, poſt ſolſtitium hybernum nusquam ultra deprehenſus, tenuisſimos incolarum in primis adfligens, in melioris quoque ſortis cives, ob frequentius cum tenuibus commercium, deinceps graſſans, altioris parcens conditionis hominibus; morbus manifeſto contagioſus, in una familia cito plures, perraro unum, corripiens, communi convictu utentes, verſantesque multum apud ægros. Increbreſcentis atque invaleſcentis morbi hæc facies: In initio horror, frigus, mox calor, gradu varius, urens nonnullos, ſiccus plerumque; in aliquibus, ob ſolida laxiora, regimenque, ardor comitatus ſudoribus profuſis, iam ſtatim erumpentibus, asſiduis, ſæpe non absque ægrorum damno, & angoris incremento, promovendis. Simul atrox capitis dolor, orbitas, ſinus frontales, naſi radicem, medium calvariæ fundum, præſertim occupans. Dolor lumborum & artuum magnus, latera etiam, ſternum, abdomen tenens, inflammatorio ſimilis, externus, ad viſcera ipſa, indice ægrotante, non pertingens. Præcordiorum angor, cum cito ſequentibus deiectionibus bilioſis, flavis, nigricantibus, viridibus, aquoſis, plurimis, plerumque ſine dolore. Vomitus ſimilium, vermium egeſtiones, per os & alvum, cum angoris levamine. Reſpiratio plurimis oppreſſa. Pulſus celer, idemque contractior & durus, aut amplus & mollior. Lingua paucis per omnem morbum ſanæ ſimilis, ab initio alba, ſicca, dein velamento albo fuſcoque, pedetentim nigreſcente, rimasque agente, obducta, in morbo gravi, longiore, continuo, ut fauces, aphthis denſis obſeſſa. Appetitus omnino proſtratus. Sitis ſumma. Urina modo ſanæ ſimilis, ſæpius ſaturate flava, rubicunda, confeſtim turbata rufa. Cervix multis rigida, ſine acuto cruciatu vix mobilis. Vigiliæ aſſiduæ, moleſtiſſimæ. Delirium, rarum; quibus febris, aliquoties reſurrectura, cito iudicata; frequens provecto morbo, quibus febris una, longior, continuata, gravis; ut & ſurditas, & coma, & ſic porro. Nempe duplici hac ſpecie hæc febris popularis inceſſit: plurimis intra primam hebdomadam finiebatur, cito reditura; alios ad ſecundam, tertiam occupabat, reſtitutos non iterum adorta.

Gra-

Digitized by Google

Graviſſime & diu decumbentibus, ultimis morbi diebus contigere prolapſus ad pedes, tendinum in carpis aſſultus, floccorum venatus, ſtrepitus in pectore inter potandum, ſomni ſpecies cum non commiſſis oculis, oculi hebetes, triſtes, languentes, pulverulenti, lenioſo glutine immundi; urinæ fæcumque exitus iniuſſus. Nonnullis liberalis narium hæmorrhagia ſupervenit; paucis item, poſt primos morbi dies, maculæ effloruere, obſcurius rubræ, purpureæ, nigricantes, pulicum morſibus maiores, nec rotundæ perfecte, nec uniformes, nec in extenſione ſtabiles, per aliquammultos dies perſiſtentes, ſenſim dehinc absque deprehenſa deſquammatione evaneſcentes, in pectore & cruribus creberrimæ, confertiſſimæ. Viſa quoque exanthemata rubella, maculæ an puſtulæ dicenda. Magna hinc accidentium varietas, diligenter notata. Sed hoc loco non omnino commemoranda. Multis, de morbo reſurrecturis, ſed deſperate decumbentibus, toto corpore manavit ſudor copioſiſſimus, graveolens. Nonnullis, medio frigore, prodiit ſudor, initio frigidiſſimus, dein recaleſcens; in reliquis a ſui initio calidus, duodecim horas & amplius largiſſimus. Sudor hic, vomitus, alvique fluxus pertinaciſſimos ſtatim terminans, cum levamine evidentiſſimo. In hoc, pulſuum ſæpe deliquium, ſed non animi; quod omnino mirum. Etſi vero hic ſudor ab initio frigidus, tamen eventu ſalutaris fuit; id vero in acutis ſecus ſæpe accidere, multis confirmat Hippocrates. Quibus morbus in duas vel tres ſeptimanas durabat, raro aut numquam per ſudores, ſed per urinam, febris terminabatur; certo quidem tutoque, ſed lento magis gradu, diſcedens. Plurimis, ſubitaneo ſudore critico, inter primam ſeptimanam a febre liberis, ſerius ocius recidiva, ſæpe non una contigit, primam febrem ubique referens; cuius, contra, mali immunes, quos per duas tresve hebdomadas morbus tenuerat, urina hypoſtatica præſertim, etſi lentiori gradu, terminatus; quæ ſanatio utique fidisſimis annumeranda, advocato in notis ſubiectis teſte *Hippocrate*. In decurſu morbi, ante ſudores criticos, alii ſæpe profluxere, ſed cum levamine ægrorum. Poſt in-

integram ſanationem hæ febris reliquiæ: Stupor animi; viſus, auditus, hebes; ſcapularum, humerorum, cervicis dolor; rigiditas: aquoſus perinſignis crurum & pedum tumor, inertia; cuticulæ in magna fruſta deceſsio; capillorum defluvium; debilitas ingens, absque periculo quidem, ſed tarde, ſuperanda. Accenſa hæc febris a victu inſalubri, & contagioſa aeris labe, in quamplurimis erat inflammatoria, a venæſectione egregie levata, ob oculos deinceps, in medicinæ factæ hiſtoria, habenda. Secundo enim capite, Medicina, ægris facta, generatim recenſetur. Præmiſsis quibusdam, & variorum Auctorum, veterum, recentiorum, teſtimonio comprobatis, de regimine, princeps fuiſſe remediorum memoratur venæſectio, curationis initium fere & fundamentum; primo illa ſtatim, ſecundoque die inſtituta, repetita *etiam*, primarum viarum purgatione ſæpe non præmiſſa. In ſanguine enim, prima cumprimis vice, e tuſa vena educto, & profunde rubente, pellicula comparuit, tantum non ubique craſsiſsima atque tenaciſsima, maceratæ chartæ pergamenæ, ut dicitur, æmula; pulſu celerrimo, duriſsimoque, talem cruoris faciem præſagiente. Tamen craſsiſsima illa pellis morbum difficillimum non ſemper poſuit; utique flava, virideſcens, &, cum tenuitate, tenaciſsima. Hinc pellis aliqua, quam aut nulla, aut ſtriæ paucæ, in cruore præoptata eſt. Igitur, præcraſſa pelle viſa, in novam largamque venæſectionem, cæteris paribus, pronior Medicus; in tenui & tenera non item. Equidem huius pellis examen pulchros promittit uſus; ſolitarium tamen, perpetua medendi præcepta ſpondere non videtur. Ultra quartæ diei finem venam primum aut iterato ſecare, niſi urgente ſymptomate, minus opportunum compertum eſt; provecta autem ætas, imbecillitas etiam, diuturna aliqua præcedens valetudo, & quidquid alias venam ſecare diſſuadet, poſtulavit illam, cum levamine ocius notabili, morbique decurſu facili tutoque. Exemplo ſunt: femina ſexagenaria, macilenta, arthritica; ſeptennis puer, & plures natu maiores. Miſſo cruore, purgatis ſenſim primis viis, denſus inflammatorius ſanguis conſuetis reſolutus eſt remediis,

ſe-

ſepoſitis, diarrhoea præſente, alvum ſollicitantibus, aciduliſque; refrigerantium etiam copia, & vi, gradui caloris-adaptata. Etiamſi vero regimine & remediis æſtum mactare non deceat: neque tamen naturæ coquentis opus, motu nimis repreſſo, damnoſe intervertendum. Tertium caput ſymptomatum præcipuorum diſputationem habet, inſerta egeſtionum, ſpontanearum, levantium, tractatione, cum cauſis huic morbo propriis, remediiſque, reſpectu ad has adhibitis. Oppresſio pectoris cum ſummo angore, tertia, imo quarta venæſectione ſublata eſt, methodo hac fauſtis adverſiſque ſucceſsibus probata. Feminæ quadragenariæ, macilentæ, teneræ, poſt ſanatam recidivam tertium febricitanti, vena ſeptimum & octavum ſecta eſt, tum demum angore abſolute cedente, febrique penitus iudicata. Etiam cruor poſtremum miſſus cruſtam exhibuit. Viro iuveni, robuſto, toroſo, obeſo, ſanguinis diviti, ter intra quatuor ſeptimanas febricitanti, ſanguis intra id tempus decies detractus eſt, large primis vicibus, poſtremis parcius. Ter ſudoribus iudicatus æger eſt, in poſtrema criſi abſolute liberatus. Utplurimum tres, quatuor, quinque ſanguinis misſiones, per duas aut tres febres diſpertitæ, adultis, pectore oppresſis, curationi ſuffecerunt. In prima febre, rarior; in recidiva, rarisſima fuit neceſsitas ſecandi venam, poſt quartum diem alterutrius. Neglecta venæſectione nihil valuerunt conſueta reſolventia, quod probe perſpiciunt recentiorum primariorumque Medicorum plurimi. Epigaſtrii, præcordiorum, hypochondriorum anxietas, cum obſcuro, non cum acuto quodammodo, pungente, parvo loco fixo, & inflammationis ſuſpicionem faciente dolore, cum laborioſis ructuum prorumpentium nixibus, cum irrito aut ſuccedente vomendi conatu, obortoque dein alvi fluxu, cauſſis perſpectis & copioſe adductis, ſpontaneis vomendi purgandique conaminibus obſecundando, aut arte has evacuationes ciendo, ex pugnata eſt. Ipecacuanha, ſemel iterumque, poſt venam ſemel bisve ſectam, ſecundo aut tertio die, ad drachmam dimidiam circiter propinata, expectationi ſatisfecit, diarrhoea ſimul ſic præventa & cohibita. Adverſus protracta

Digitized by Google

vomendi molimina, opii uſus rationi repugnare viſus eſt; ſed viſus tantum, quum Laudanum liquidum Sydenhamii, tertium, reiectis vomitu duabus doſibus, propinatum, iuvenem a præſentiſſimo mortis periculo liberaverit. Tuta etiam comperta eſt purgatio deorſum facta; ſed illa quæ ſurſum fiebat, imperfectior longe, moleſtior, & diuturnior. Capite quarto idem continuatur argumentum. Hic in primis memorabilis eſt capitis dolor, idemque lumborum, laterum, ſterni, abdominisque; quos cruciatus, ad febrem inſtitutæ venæſectiones ſimul lenierunt maximam partem. Vigilias plurium dierum, inſaniam minantes, epithemata refrigerantia, ſed cum cautione adhibita, repreſſerunt; papavereorum uſu, ne criticas egeſtiones remorarentur, repudiato primum, deinde, adverſus ferox delirium, poſt ſectam venam, cum euphoria, aliquoties conceſſo. Somnolentiæ perpetuæ, ſenſuum hebetudini, & continuo, ſed miti delirio, altior ſitus in lecto, pedum balnea, epiſpaſtica idonea, veſicatoria ad nucham, clyſmata, fomenta calentia, cum ſucceſſu oppoſita fuere. Adverſus vitia linguæ, cruſtas, rimas, aphthasque, in ſolitis gargariſmatibus, gelatinis, infuſis molliſſimis, tepidis, cum lacte dulci & vitello ovorum paratis, auxilium fuit. Ex egeſtionibus ante criſin hæmorrhagia narium, poſt neglectam aut parciorem venæſectionem præſertim animadverſa, ſaluti fuit; modum excedens, ex præcepto *Hippocratis*, variis oppugnata ſolitisque remediis. Menſtrua primos in febris dies incidentia moderavere venæſectiones, non vetuere, nec vomitoria etiam, nec deorſum purgantia, dilata tamen aliquamdiu. Sudores inutiles moderati. Non prorſus inutiles, ſed nec iudicatorii, levare viſi. Exanthemata, media æſtate, morbo in vigoris faſtigio conſtituto, apparentia, de venæſectionis uſu iudicare non permiſerunt: ſed memorabilis in viro ſexagenario ſpectatus caſus eſt, ubi profuſiſſima hæmorrhagia quammaxime fecit ad maculoſi reſtitutionem. Etiam his præſentibus a nitro abſtinendum fuit, febre non ita valida. Cæterum nec funeſtæ fuere, quin plurimi, atque in his femina ſexagenaria, aliaque ſeptuagenaria maior,

Digitized by Google

maior, perfecte ſanati. Gravidarum ſors periculoſior. Etſi enim convaluere, præter unam valide febricitantem, facto abortu interemtam, pleræque omnes; tamen moleſta iis febris & diuturna, omiſſis egeſtionibus, alioquin neceſſariis, repetita venæſectione, vomitu, purganteque; citius etiam moderata ſpontanea diarrhoea. Sequitur egeſtionum criticarum gubernatio, cum reliquis, iam indicatis, capite quinto propoſita. Criticus ſudor, tertio quartove die præcox erumpens, niſi ubertate, & quod ferebat ingenti levamine, difficulter diſcerni a ſymptomatico poterat. Igitur in caſibus ambiguis, paucukæ horæ quieſcendo transactæ. Cognitus autem modis omnibus, regimine, remediis, invitatus. Debilioribus refrænatio iudicatorii ſudoris, ſed cautiſſime præſtita, ne modum excedens, monente *Hippocrate*, perniciofus evaderet. Summa autem deinceps erat horum ſudorum conſtantia. Urina critica profluente, curationis ſumma fuit, eius fluxum promovere, διαπνοὴν liberiorem reddere, vires refocillare. Iudicata febre, tertio poſt ἀπυρεξίαν die, interanea hauſtu purgante liberata ſunt, eoque leniore. Reverſiones febrium prævertendi fine, egeſtiones morbi ſolennes productæ, hinc vomitus, alvi fluxus ſpontanei, elongati pluſculum; ſudores item & urinæ, protracta; occaſionales cauſſæ remotæ. Pauci tamen, ſudore præcoci iudicati, recidivarum immunes. In prima, ut & ſecunda recidiva, eadem fere, quæ in prima febre, adhibita medendi ratio. Parcior tamen, nec toties, utplurimum, repetita venæſectio. Ipecacuanhæ uſus multus, etſi non omnino improbandus. In tertia recidiva, ſeu quarta febre, regimen, victus, medicamenta refrigerantia, ſuffecerunt. Criſium rectio non alia, ac in prima febre. Moleſtiæ, a morbo ſanato relictæ, hebetudo ſenſuum, paucis ſeptimanis ſponte ceſſit; aquoſi pedum & crurum tumores, viribus auctis ſenſim diſcuſſi, inſtituta ſimul frictione levi, calida, ſicca, cum pannis laneis, fumo maſtiches, aut ſimilium, imbutis; ut nemini reſurgentium, vel hydropis aſcitis, vel tabidæ ægritudinis, anteambulo fuerit. Altera diſſertatio, de Venæſectionis termino in acutis, ſummam hiſto-

Digitized by Google

riam doctrinæ Medicæ antiquiſſimæ, quæ venæſectiones aut ſuſtulit, aut raras ſuaſit, aut in acutis ſeras plus iuſto timuit, ſuccincte præmittit; *Chryſippum* huius doctrinæ prima ieciſſe fundamenta docet; *Hippocratem,* quod *Galenus* vult, opportunitatem venæſectionum quarto die limitaſſe negat, imo Anaxionis, cui octavo die vena primum large ſecta fuit in pleuritide, nec renovata, hiſtoriam, luculentiſſimo eſſe argumento cenſet; *Hippocratem,* nec in aliis morbis acutis, venæſectionem principiis horum religioſe alligaviſſe, quippe quos, reſpectu huius remedii, indiſcriminatim eodem cenſu ducat. Multo remotiorem, neque certum ullum terminum venæſectionis in acutis ſtatuit *Galenus;* quodque ad inflammationes attinet, *Hippocrati* clare annuit. Attamen maturandas venæſectiones docet; quarto die optatiſſimum ad eam medicinam tempus finiri iudicat; quintoque morbi acuti die, curatum examen, de adhibenda eadem vel omittenda, inſtitui debere pronuntiat. Principes a renatis litteris Medici, maximam partem, vel tenent omnino *Galeni* doctrinam, vel ad eam accedunt; in quorum claſſe *Fernelius, Hollerius, Nic. Piſo, Ballonius,* (venæſectioni in initio paroxyſmorum favens, quod certe curatius diſputandum,) *Sydenhamius, Baglivius,* & *Freindius,* recenſendi ſunt: alia autem pars diſciplinæ hæmophobæ, ad normam *Celſi* caſtigatæ, propior eſt, & de ſeris venæſectionibus vel ſilet tamquam ex inſtituto; vel easdem, quaſi diſcrimini ſummo iunctas, anxie & circumſpecte tractat. Ad hanc claſſem pertinet *Lommius, Duretus,* inprimis *Frid. Hoffmannus,* laudator *Celſi* ſingularis, (non modo in termino venæſectionum, ſed etiam in earundem repetitione, & menſura ſanguinis mittendi, ad morbos acutos, pasſim timidior,) & denique *Boerhaavius.* Hic autem, ſi usquam, profecto refert, limites agendorum, quos rei natura fert, accuratisſimos fixiſſe. Sermo eſt de inflammatione, & de febre continua acuta, longiore, una, ſine comitibus exanthematis, cuius ſanationem a coctione, vel ab exoneratione critica bona ſimul, exſpectamus; neque coctionis nomine, vera partis inflammatæ ſuppuratio hic comprehenditur. Quinque communiter notantur in

acuta

Digitized by Google

acuta laborantibus venæſectionum impedimenta: debilitas ægri; paucitas circumflui ſanguinis, cuius pars magna iam denſata hæreat vaſculis capillaceis; concoctio manifeſta; ſuppuratio inchoata; criſis imminens, (quæ, in morbo acuto affecto ſolennia, a venæſectione minantur damnoſum virium ſuperſtitum diſpendium;) fluidioris ſanguinis, nec carendi, iacturam; coctionis turbam; ſuppurationis impedimentum; criſin retardatam, vel eandem præcipitatam, vel egeſtionem, criticis affinem, modum non tenentem. Unde firmum habere oportet: primum morborum acutorum quatriduum, ut ſecandis venis maxime opportunum, ſtudioſe captandum eſſe; phlebotomen ſeriorem, aliquam formidinem plerumque, neque raro damnum ingens, inferre; non quidem numero dierum, at impedimentorum ratione, quæ tum fere præſentia. Veruntamen nullum horum impedimentorum perpetuum eſt in morbis acutis, quartum nunc diem emenſis: quod copioſe illuſtratur, & illuſtrari poteſt, ſeris narium hæmorrhagiis ſæpisſime ſalutaribus, largaque in morbis recrudeſcentibus phlebotomia, vires ferendo huic cruoris diſpendio ſufficere arguentibus; venæſectionibus ſeris, cruorem nigricantem, pelle denſa mox velandum, cum pectoris oppresſi præſentisſimo levamine, toties prodentibus; cruditatis ſignis ultra quartum diem toties immorantibus; ſuppurationis initio, innuente etiam *Hippocrate*, non omnino fixo; criſis denique temporibus, in morbis acutis, eadem ratione, ac coctionis tempora, differentibus: de quibus multa & domeſtica exempla adducuntur. Itaque nec præceptum illud de quarto die, poſtremo venæſectionibus opportuno, in morbis acutis, Medicina perpetuum recipit; quin præſente, vel mente antecepto, morbi, aut atrocis ſymptomatis periculo, phlebotomen vel primum inſtituere, vel & prioribus diebus inſtitutam repetere, omnino deceat, toto etiam quinto nycthemero, imo & ſerius, quando indicata impedimenta abeſſe pergunt, nec idoneum auxilium ab alia medela, & ne a ſuffecto quidem egeſtionis alio genere, (cucurbitulis cum ſcarificatione, hirudinibus, enematibus,) ratio præſagit. Quod vero ad conciliXx xx 3 cili-

 cili-

Digitized by Google

ciliandas Medicorum de hac re ſententias attinet, cogitare oportet, quod pulchre *Ballonius: Multa ſaepe ad maiorem religionem, & cautionem, phlebotomiae, non ad omiſſionem, afferuntur*. Hæc omnia docte eleganterque Cl. Auctor, in obſervatione ſubtilis, in cauſarum indagatione curioſus, in medicatione circumſpectus, diſputat, & præterea ſubiectis criticis, aliisque obſervationibus, arctiſſimam eius & iucundiſſimam cum *Hippocrate* in primis, & primariis quibusque antiquiorum & recentiorum ætatum Medicis, conſuetudinem loquentibus, copioſe illuſtrat. Agit in his præcipue, de diverſa ſudorum frigidorum in acutis ratione; de tardiori febrium decremento in criſi per urinas, quam per ſudores; de aere morbidis inquinamentis infecto, principe morborum, maxime populariter graſſantium, cauſa; de frigidæ uſu in acutis; de venæſectione, in acutis absque inflammatione, ab *Hippocrate* inſtituta; de venæſectione ad pulmones, humoribus in febre gravatos, repetenda; de uſu purgantium *ἄνω ἢ κάτω* in acutis ſec. *Hippocratem;* de vomitu & alvi profluvio, uno alterius invicem remedio, ſec. eundem; de purgatione, ab Hippocrate ſuſcepta, in principio inflammationum; de venæſectione, dum menſes in febribus erumpunt; de metuendo exanthematum regreſſu ab alvi fluxu; de Hippocrate, gravidas per ſuperiora lubentius, quam per inferiora, movente; de criticis ſudoribus nimiis, omnino pernicioſis; de hydrope denique, acuto morbo nato, funeſto. Non, niſi inviti, harum obſervationum titulos tantum indicamus, in quibus præcipue *Hippocrates* ex *Hippocrate* fideliſſime explicatur; tresque reliquas diſſertationes, ſupra nominatas, adhuc ægrius omnino intactas dimittimus; quum plura, ſpeciminis loco, dare, inſtituti noſtri ratio non permittat. Fore tamen confidimus, ut hæc a nobis appoſita, iam ſatis ſalivam movere his quidem poſſint, quibus nec viſcidior illa, nec lingua coriaceo velo tecta, aut craſſa, nec ſanguis tenaci pelle tardus, contigit.

PSEL-

Digitized by Google

PSELLUS DE LAPIDUM VIRTUTIBUS GRÆCE & Latine, cum notis PHIL. IAC. MAUSSACI & IOAN. STEPH. BERNARD. Accedit Fragmentum de Colore Sanguinis, ex doctrina Medica Perſarum, nunc primum ex Codice MS. Bibliothecae Lugduno Batavae editum.

Lugduni Batavorum apud Philippum Bonk, plagg. 4. 8. mai.

P*ſelli de lapidibus* libellum, cuius novam editionem Cl. *Bernardi* induſtriæ debemus, a *Claudio Acantherio* 1594. 8. typis Otthomarianis primum latine cum brevibus adnotationibus editum eſſe, *Lindenius* auctor eſt. Hac interpretatione ægerrime caruit editor doctiſſimus, eo maxime, quod *Mauſſacus*, cuius editionem ſolam inſpicere potuit, codice valde mutilo uſus erat. Variorum autem exemplarium ſubſidiis plane deſtitutus, ſperavit, ſi conferret ſcriptores, qui in eodem argumento verſati ſunt, futurum, ut plurimos nævos libello ſuo abſtergeret. Id vero non ubique ſatis feliciter ei ſucceſſiſſe negotium, ſpecimina nonnulla demonſtrabunt.

P. 4. v. 6. Σοκόνδιον legitur, ad quam vocem hæc adnotat *Bernardus:* videtur legendum Σακόδιον. Eſt ſpecies Iaſpidis, de qua Plinius lib. XXXVII. cap. IX. *Alterum earum genus deſcendit ad hyacinthos. Hunc colorem Indi ſacon vocant, talem gemmam ſacodion.* Hæc Cl. *Bernardus.* Nos vero putamus *Pſellum* dediſſe σακώδιον per ω μέγα. Sic ſimul ratio apparet, unde literam ν vocabulo σοκόνδιον invexerint librarii.

P. 5. v. 5. iſta reperias: Ὁ Αἱματίτης ὀνομάζεται δὲ ἔτος, ὅτι κ. τ. λ. Ad hæc *Mauſſacus:* Οὗτος] *Forte melius* ἔτως. *Sed parum refert, utro modo legas.* At nobis præplacet ἔτος, præcipue quum p. 28. idem auctor ſcripſerit: Ὁ Σεληνήτης [recte *Bernardus* emendat Σεληνίτης] καλεῖται δὲ ἔτος, ὅτι κ. τ. λ. Audacter tamen Cl. editor pronuntiat, utroque loco legendum eſſe: καλεῖται δὲ ἔτως.

P. 28. v. 8. Male obtemperatum eſt *Mauſſaco,* pro ὠφελεῖ μελαγχολικὸς ἐξαςταμένη, ex coniectura reſcribenti

ὠφε-

Digitized by Google

ὠφελεῖ μελαγχολικοῖς ἐξαρτ. Quæ enim ratio vel probabilis ſuadet, ut adiectivum a verbo ſuo avulſum participio conciliemus?

Clariſſimum *Bernardum* plus iuſto nonnumquam coniecturis indulgere, pluribus exemplis oſtendere poſſemus, ſi de libello tam paucorum verſuum longiori diſputationi hic locus eſſet. Satisfeciſſe igitur nos noſtro officio arbitramur, ſi breviter attigerimus exiguum *fragmentum de colore ſanguinis ex doctrina medica Perſarum*, quod nunc primum ex codice MS. bibliothecæ Lugduno Batavæ editur. Scripti admodum recentis eſſe illud *ἀποσπασμάτιον*, vocabula *λώριον*, *μετάξιον*, & alia indicia arguunt. Statim a principio inveniuntur hæc verba: *εἰ δὲ ποιήσει [αἷμα] ἰχῶρα, τουτέστιν ὑγρὸν, ὡς νερὸν, ἀγαθόν.* Hic *Bernardus* ita commentatur: Νερὸν] *Viderint me doctiores, quomodo haec vox, haud dubie corrupta, recte emendari queat. Coniecturas mihi ſubnatas, cum ipſe eas non ſatis probem, malo reticere.* Rectius vir clariſſimus ſibi conſuluit, quod reticuit coniecturas, quam ſi in locum τοῦ *νερὸν* nomen *ὀρὸν* ſ. *ὄῤῥον*, vel ſimile quid, ſubſtituiſſet. Vocabulum enim *νερὸν* haud dubie incorruptum eſſe, ac Græcis recentioris ævi *aquam* ſignificare, Gloſſaria viro docto perſuadere debebant.

Digitized by Google

INDEX AUCTORUM, quorum Libri, aut Inventa, in hoc Volumine recenſentur.

I. *Libri Theologici & ad Hiſtoriam Eccleſiaſticam ſpectantes.*

Benedicti XIV. *Pont. Max. Epiſtola ad Nobilem Virum,* Flaminium Cornelium, *Senatorem Venetum.* 97
Broughtoni (*Thomae*) *Lexicon omnium omnino religionum.* Tomi Duo. 31
Caballi *Veronenſis* (*Iacobi*) *Pandectae Biblicae, ſeu Index Generalis Hebraico-Chaldaico-Latino-Biblicus.* 343
Caraffa (*Ioſephi*) *de Capella Regis utriusque Siciliae, liber unus.* 471
Carpzovii (*Io. Bened.*) *Sacrae Exercitationes in S. Pauli Epiſtolam ad Hebraeos, ex Philone Alexandrino.* 73
Cornelii (*Flaminii*) *Eccleſiae Venetae antiquis monumentis illuſtratae.* Decades VII. 213
Heumanni (*Chriſtoph. Aug.*) *Commentariorum in Novi Foederis libros,* Pars VII. 309
Pars VIII. 539
Irici (*Ioh. Andreae*) *Sacroſanctus Evangeliorum Codex, S. Euſebii Magni Epiſcopi & Martyris manu exaratus.* 440
Michaelis (*Ioh. David*) *Curae in verſionem Syriacam Actorum Apoſtolicorum, cum conſectariis criticis de indole, cognationibus & uſu verſionis Syriacae tabularum Novi Foederis.* 1
Palairet (*Eliae*) *Obſervationes philologico-criticae in Sacros Novi Foederis libros.* 451

Schiede (*Ioh. Georgii*) *Obſervationum Sacrarum Biga. Praefationem praemiſit* Nic. Nonnen. 559
Walchii (*Ioh. Ern. Imman.*) *Perſecutionis Chriſtianorum Neronianae in Hiſpania explanatio.* 714
Winckleri (*Ioh. Dieter.*) *Anecdota hiſtorico-eccleſiaſtica novantiqua,* Volumen I. 160

II. *Libri Iuridici.*

Ancherii (*Kofod*) *de indole Iuris Privati pro habitu Imperii Danico-Norvegici. Libri Duo.* 100
Buderi (*Chriſtiani Gottlieb*) *Symmicta Obſervationum & Opuſculorum.* 294
Conradi (*Ioh. Ludov.*) *Reprehenſorum in obſervationibus ſuper Iure Civili diverſorum, liber ſingularis.* 299
Florentis (*Franciſci*) *Opera Iuridica. Editionem novam curavit* Ignat. Chriſtoph. Lorber a Stoerchen. 395
Hommelii (*Car. Ferdin.*) *Oblectamenta Iuris Feodalis.* 286
Ianuarii (*Ioſephi Aurelii*) *de vitioſis ac perverſis cauſſarum in foro orandarum modis ac viis.* 107
Lipenii (*Martini*) *Bibliotheca Realis Iuridica.* Editio nova. 587
de Neumann (*Ioh. Frieder. Wilh.*) *Meditationes Iuris Principum Privati.* Tomi VIII. 15
Rupprecht (*Theod. Mariae*) *notae hiſtoricae in univerſum Ius Canonicum.* Tomi IV. 150
Stiglizii (*Ioh. Conradi*) *Fontes Iuris Civilis Romani, ſecundum ordinem Pandectarum collecti, & Commentariis illuſtrati.* Specimen I. 332

III. *Libri Medici & Phyſici.*

Academiae Imperialis Petropolitanae Programma. 681
Albini (*Bernardi Siegfried*) *Academicarum Annotationum* Liber Primus, Secundus & Tertius. 318
d' Alembert *Meditationes de generali ventorum cauſſa.* 529

Bal-

Baldaſſari (*Ioſephi*) *Obſervationes circa ſal cretae innatum.* Eiusdem *Tentamen indicis rerum naturalium Sienenſium.* 235
Barbieri (*Ludov. Com.*) *Tractatus de Fontium & Fluminum origine.* 143
Battarra (*Ioh. Anton.*) *Fungorum Agri Ariminenſis hiſtoria.* 201
Battie (*Gulielmi*) *de principiis animalibus Exercitationes XXIV.* 642
Bertelli (*Herculis*) *apologia ad Epiſtolam* Ioſephi Rocchi, *Pharmacopoei.* 248
Beyeri (*Auguſt*) *Inſtitutiones ſolidae rei metallifoſſoriae.* 526
Caſſebohmii (*Ioh. Frider.*) *Via ad contemplationem diſſectionemque corporis humani.* 383
Ellis (*Ioh.*) *Tentamen phyſicum hiſtoriae Coralliorum.* 155
Fracaſſini (*Antonii*) *naturae morbi hypochondriaci eiusque curationis mechanicae inveſtigatio.* 363
Gaudio (*Franc. Mariae*) *de naturae vi & lege generali Diſſertatio.* 648
Halleri (*Alberti*) *Diſputationes Chirurgicae Selectae.* Tomus III. & IV. 34. 49
Tomus V. 401
— — — *Diſſertatio de corporis humani partibus ſenſibilibus & irritabilibus, germanice verſa, & cenſurae ſubiecta a* Car. Chriſtiano Krauſe. 392
Hebenſtreitii (*Ioh. Ern.*) *Tentamen philologicum ſuper* Aetii Amideni *Synopſis Medicorum Veterum* Libris VIII. 503
Kloekhof (*Corn. Alb.*) *Opuſcula Medica.* 718
Lambsma (*N.*) *ventris fluxus multiplex.* 254
Maffei (*Scipionis*) *Tractatus de origine fulminum.* 554
Monro (*Alexandri*) *de venis lymphaticis valvuloſis, & de earum inprimis origine.* 589
Palladii *de febribus conciſa ſynopſis, Graece & Latine, cum notis* Ioh. Steph. Bernard. 678
Planci (*Iani*) *epiſtola circa ſupplementum quoddam ad hiſtoriam ſuam medicam apoſtematis cerebelli.* 246
— — — *de urina cum ſedimento coeruleo Epiſtola.* 449

Digitized by Google

Poetæ (*Ioachimi*) *Ratiocinium, naturam in generatione monſtrorum nec attonitam eſſe, nec ſine ſuo fruſtrari.* 569
Pſellus *de lapidum virtutibus, Graece & Latine, cum notis* Phil. Iac. Mauſſaci & Ioh. Steph. Bernard. 729

IV. *Libri Mathematici.*

Academiae Imperialis Petropolitanae Programma. 681
Alemberti *Diſquiſitiones circa praeceſſionem aequinoctiorum, & nutationem axis telluris, in Syſtemate Newtoniano.* 458
Bermanni (*G. F.*) *Animadverſio in theorema quoddam* Colini Maclaurini. 422
von Eggers (*Iacobi*) *novum Lexicon militare, architectonico-pyrotechnico-nauticum & equeſtre.* 696
Gaudio (*Franc. Mariae*) *de naturae vi & lege generali Diſſertatio.* 648
Hentſchii (*Ioh. Iac.*) *Philoſophia mathematica, ex Euclide reſtituta.* Conamina duo priora. 33
Conamina duo poſteriora. 159
Maclaurini (*Colini*) *Delineatio inventorum philoſophicorum* Iſaaci Newtoni. 429

V. *Libri Hiſtorici, Geographici, &c.*

Alberti *Hiſtoria litteraria regni Ludovici XIV.* 126
Belii (*Car. Andr.*) *de vera origine & epocha Hunnorum, Avarum, Hungarorum, in Pannonia, Commentatio.* 347
Boehmii (*Ioh. Gottlob*) *de Origine vera Rutae Saxonicae Liber ſingularis.* 523
— — — *de pedum deoſculatione, Imperatoribus Romanis quondam praeſtita, Commentatio.* 700
Buderi (*Chriſtiani Gottlieb*) *Symmicta Obſervationum & Opuſculorum.* 294
Calmeti (*Auguſt*) *Notitia Lotharingiae.* 550
Clodii (*Henr. Ionath.*) *Specimen Theſauri novi Bibliothecae litterariae.* 174

Fabri

Fabri *Muſae in Gallia.* 140
Gonnii (*Ioh. Theoph.*) *de Ducatu Franconiae Orientalis Diſquiſitio.* 21
Hartzheim (*Ioſephi*) *Hiſtoria rei numariae Colonienſis.* 193
Heer (*Ruſteni*) *Anonymus Murenſis denudatus & ad locum ſuum reſtitutus.* 251
Hirſchii (*Ioh. Chriſtoph.*) *Archivum rei monetariae Imperii Germanici.* Volumen I. 329
Volumen II. 463
Menardi *Hiſtoria Civilis urbis Nemauſi.* Tomus Secundus. 85
Nobiſii (*Ioh. Frider.*) *Commentarii Rerum Romanarum, ſub Regio & Conſulari Imperio geſtarum.* 367
Planci (*Iani*) *Epiſtolae duae de Rubicone veterum.* 428
de Prémontval, *Mechanicus Artifex Philoſophus, ſeu vita* Ioh. Pigeon. 487
Strodtmanni (*Ioh. Chriſtoph.*) *Europa Erudita noſtrae aetatis.* Pars V. VI. VII. VIII. 93
Tanneri (*Thomae*) *Bibliotheca Britannico-Hibernica.* 136
Ungeri *liber ſingularis de* Aldi Pii Manutii Romani *vita meritisque, auctus cura & ſtudio* Sam. Lutheri Geret. 297
Watteville (*Alex. Ludov.*) *Hiſtoria Foederis Helvetici.* Tomus I. & II. 209
Wegelini (*Ioh. Reinhardi*) *vera certaque Hiſtoria Caeſareae & Imperialis Landvogtiae in Suevia, Imperiali item liberoque Iudicio Provinciali Leutkirchenſi & Pirſae.* Pars I. & II. 145
— — — — *Theſaurus Rerum Suevicarum.* Volumen Primum. 397
Volumen Secundum. 552

VI. *Libri Philoſophici, Philologici, Antiquarii, Miſcellanei.*

Arbuthnotii (*Caroli*) *Tabulae antiquorum numorum, menſurarum & ponderum, ex Anglico in Latinam Linguam converſae, opera* Dan. Koenigii. 258

Alſtorphii (*Iohannis*) *de Haſtis veterum Opus poſthumum.* 375

Barthelemii *Exercitatio de Alphabeto & Lingua, Palmyrae olim uſurpata.* 623

Bayardi (*Octavii Antonii*) *Catalogus veterum monumentorum Herculanenſium.* 443

Boehmii (*Ioh. Gottlob*) *Poemata.* 631

Commentarii variae eruditionis Societatis Columbariae Florentinae. Volumen I. 289

Volumen II. 378

de Creutz (*Frider. Car. Caſimiri L. B.*) *Commentatio de natura animorum.* Pars ſecunda. 653

Daries (*Ioach. Georgii*) *Obſervationes Iuris Naturalis, Socialis & Gentium.* 704

Dreſigii (*Segim. Frider.*) *Commentarius de Verbis Mediis Novi Teſtamenti, cum* Lud. Kuſteri & Ioh. Clerici *libellis de eodem genere verborum Graecorum; edidit* Ioh. Frid. Fiſcherus. 264

Freytag (*Frider. Gotthilf*) *Analecta litteraria de libris rarioribus.* 239

— — — *Adparatus litterarius, ubi libri partim antiqui partim rari recenſentur.* Tomus I. 570

Froelich (*Eraſmi*) *Animadverſiones in quosdam numos veteres urbium.* Editionem ſecundam *curavit* Anton. Franc. Gorius. 371

Haltaus (*Chriſtiani Gottlob*) *Gloſſarium Germanicum, praecipue Iuris & Fori Germanici.* 574

Hentſchii (*Ioh. Iacobi*) *Philoſophia mathematica, complectens methodum cogitandi, ex Euclide reſtituta.* Conamina duo priora. 33

Conamina duo poſteriora. 159

— — — *de mente humana, omnis compoſitionis experte meditationes.* 465

Maclaurini (*Colini*) *Delineatio inventorum philoſophicorum* Iſaaci Newtoni. 429

Marcheſellii (*Caroli Franciſci*) *picturae in templis Arimini.* 245

Midd-

Digitized by Google

Middleton (*Conyers*) *germana quaedam antiquitatis eruditae monumenta.* 476

Pelletier (*Ludov.*) *Dictionarium Linguae Armoricae. Edidit* Taillandier. 683

Propertius (*Sextus Aurelius*) *& in eum* Ioh. Paſſeratii *Praelectiones ſolemnes,* Iani Broukhuſii *Notae ſelectae,* Ioh. Anton. Vulpii *Animadverſiones perpetuae.* Tomi II. 635

Reiskii (*Ioh. Iac.*) *Anthologiae Graecae a* Conſtantino Cephala *conditae* Libri tres, *cum latina interpretatione, commentariis & notitia poetarum.* 115

Schirmanni (*Coeleſtini*) *de Mundo Optimo, libertati, potentiae & ſapientiae Dei convenientiſſimo.* 535

Semleri (*Ioh. Salom.*) *Miſcellanearum Lectionum, in quibus multi ſcriptores aut emendantur aut illuſtrantur,* Faſciculus I. 424

Stolpiani *legati Curatorum Programma.* 631

Struchtmeyeri (*Iodoci Iohannis*) *Animadverſionum criticarum in Auctores veteres,* Libri duo. 445

Swinton (*Iohannis*) *de priſcis Romanorum litteris Diſſertatio.* 418

— — — *Expoſitio Palmyrenarum Inſcriptionum, quotquot ad hoc temporis in hominum doctorum notitiam venere.* 671

Symbolae litterariae, opuſcula varia philologica, ſcientifica, &c. *complectentes.* Volumen V. 24

Thomæ *Magiſtri Eclogae vocum Atticarum. Cum notis variorum edidit* Ioh. Stephanus Bernard. 491

INDEX

INDEX RERUM NOTABILIORUM.

A.

de I. Abarbanele, *inprimis eius libro,* משמיע ישועה. 173

Academiæ *Galliae, quo tempore fundatae?* 142

Acta Apoſtolorum *ex verſione Syriaca illuſtrata.* 1 ſqq.

de Adparatu *alto.* 60. 61

laterali. 62

de Aequalitate *iurium & obligationum inter cives ſub imperio Monarchico.* 105 ſq.

de Aequinoctiorum *praeceſſione, & nutatione axis telluris in ſyſtemate Newtoniano.* 458 ſqq.

Aeſopi *fabularum rariſſima verſio.* 240

Aeternitas *miſeriae hominum & ſuppliciorum an certa? an pugnantia contineat?* 668

In Aetii Amideni *Synopſin Medicorum veterum tentamen; eiusque ſpecimen per Hebenſtreitium.* 503 ſqq.

de Agaricis. 208

Ἀγχινοίᾳ *ducis bellici.* 698

Aldi Pii *Manutii Romani vita deſcripta.* 297

in Algebraicum *Colini Maclaurini Theorema animadverſiones.* 422 ſqq.

Alimenta *liberorum pauperum a Traiano conſtituta.* 29

de *Ioh.* Alſtorphio *quaedam.* 375

Amen *in marmore vetuſto.* 26

Analytica *methodus in hiſtoria naturali.* 292

Anatomiæ *humani corporis praecepta.* 383 ſqq.

Anatomicæ *obſervationes.* 318 ſqq.

de Ancyloſi. 71

de Anevriſmate. 407. 408

de Ani *fiſtula feliciter curanda.* 69

de Animalibus *principiis Exercitationes.* 642

de Animorum *natura.* 652

conditione poſt mortem. 667

Anthologia *Conſtantini Cephalae per Reiskium edita, illuſtrata, emendata.* 115 ſqq.

quo pretio habenda? 118

de Antinoo *in veterum monumentis videndo cautela.* 483

Anti-

Antiquitatis *eruditae germana quaedam monumenta.* 476
Anus *artificialis.* 324
de Aphide *ſeu Gallinſecto.* 114
Apicii *editio rariſſima.* 571
de Apoſtemate *lobi dextri cerebelli.* 246 ſqq.
Aquilæ *bicipitis, Imperatorum inſignis, origo.* 195
Arabica *verſio Epiſt. & Act. Apoſt. Erpenii, Syriacae filia.* 5
Arabicæ *voces, Hebraicas illuſtrantes.* 4. 7
Arabiſmus *in N. Teſtam.* 8
Architecti *Galli, Ludov. XIV. regnante.* 133
Architectonico - *pyrotechnico-nauticum & equeſtre Lexicon.* 696
Ludov. Areoſti *locus Propertiano ſuppar.* 636
Arimini *urbis decora.* 245. 246
Ariminenſis *agri fungi.* 201
Ariminenſibus *Rubicon vindicatus.* 428
Armoricæ *linguae Dictionarium, eiusque exempla complura.* 685 ſqq.
Arteriæ *cruralis vulnus ſanatum.* 405
Arteriarum *ſub cute cranii conſpiratio.* 324
Arteriæ *in oſſeam ſubſtantiam degeneratae.* 410
de Arteriis *lymphaticis.* 602
de Artuum *exciſione.* 406
de Attila *quaedam.* 348
Avarum *nomen, origo & epocha in Hungaria.* 349. 350
Auſtraſiæ *regum numi.* 194
Automata, *mundi ſyſtema Copernicanum exhibentia.* 488

B.

Babyloniorum *veterum doctrina.* 426
Anton. Banierii *vitae ſumma.* 135
Bargildon *quinam?* 23
Barthelemius *Palmyreno Alphabeto obſcuritatem demit.* 623
de Belgii *viris quibusdam claris & eruditis.* 170
Matth. & Car. Andr. Beliorum *in Hiſtoriam Hungariae merita.* 347. 361
Benedicti *XIV. P. M. laudes.* 97
epiſtola ad Germaniae Clerum. 168
Bernæ *civitatis nomen unde?* 210
I. S. Bernardus, *novus Th. Magiſtri Editor.* 491
de Beroſo, *Babylonicae hiſtoriae ſcriptore.* 425
Bibliorum *Hebraicorum Codex Mſctus Caſſellanus.* 560

Digitized by Google

Bibliothecæ *novae litterariae, univerſalis, realis, ſpecimen.* 174
de Bibliotheca *in monaſterio montis Caſſini.* 293. ſq.
de atra Bile *ſtomachum infeſtante.* 515 ſqq.
Nic. Blancardus *notatus.* 492. 493
I. G. Boehmii *poemata latina.* 631
de Boletis. 204
Bombyx *cuius generis vox?* 637
Boracem *conficiendi methodus apud Malabares.* 113
Boſcovichius *male oppugnatus.* 650
Bracchii *amputandi nova ratio.* 409
Bracteati *in Germania.* 330
Britanniæ minoris *nomen Armorica unde?* 693
linguae dictionarium 685
G. G. van Oſten de Bruyn *praemio donatus.* 633
an Bubo *venereus ſcirrhodes absque cauterio curandus?* 69
Bubonis *inguinalis hiſtoria & cura.* 402
de Bubonocele *Helvetis frequente.* 36
Bucerus *cuinam religioni addictus?* 168
de Bulla *aurea Romanorum veterum.* 179. 480
Burgius *notatus.* 305
Buſcare *quid?* 221
Bynkershoekius *reprehenſus.* 302

C.

de Calculi *veſicae exulceratae adhaerentis ſectione & felici curatione.* 58
ingentis per ſcrotum inſolita excluſione. 58
ſectione Foubertiana. 63
ſecandi variis methodis. 64
de Calculis *in locis inuſitatis natis, & per vias inſolitas excluſis.* 57
Calculis *gignendis quaenam organa corporis apta?* 328
de Calculo *veſicae friabili.* 66
urinariae in urethram impulſo, & ſingulari encheireſi absque ſectione exemto. 59
de Calculorum *in corpore humano generatione obſervationes rariſſimae.* 57
Calculum *in veſica an medicamenta quaedam comminuant?* 66
an ad Calculum *extrahendum diſſecandā ad pubem veſica?* 60

an

an ad Calculum *extrahendum diverſa pro renata Chirurgia uſurpari debeat?* 64
de Calixtis *ſingularia.* 167
Callitelis *dona erga Mercurium.* 119
Campullare *quid?* 221
in Canonicum Ius *univerſum notae.* 150 ſqq.
Canonis *Novi Teſt. conditor D. Iohannes Apoſtolus.* 540
de Capella *Regis utriusque Siciliae & aliorum principum.* 471
de Capellanis *varia.* 473
Capillum *cinere ungitantes mulieres.* 637
de Capite *infantis abrupto, variisque illud ex utero extrahendi modis.* 51
de Caprificatione. 380
de Cardiacis. 509
Carmina *Anthologiae edita, emendata, illuſtrata.* 115 ſqq.
Carolus, *Rex Siciliae, Vicarius Eccleſiae generalis Provinciae Etruriae.* 25
I. Ben. Carpzovius *laudatus.* 73
de Caſſia *via.* 380
de Catheteriſmo. 68
Caulonii *numi.* 372
de Cauſſarum *in foro orandarum vitioſis modis ac viis.* 107
Conſt. Cephalæ *Anthologia edita.* 115
Chalcographi *Galli ſub Ludovico XIV.* 134
ex Chemicis *poetis excerpta.* 678
Chirurgicarum *Diſſertationum collectio.* 34 ſqq. 49 ſqq. 401 ſqq.
Chriſtianus *Dux Brunſuicenſium.* 297
de Chryſoſtomi *homiliis quibusdam toto coelo diverſa iudicia.* 252
Ciceronis *Officiorum & Paradoxorum rariſſima editio.* 241
de Clavariis. 204
Clerici *in Corn. Severum emendationes repudiatae.* 446
de Codice *Murenſi.* 252
de Colliſione *corporum.* 436
Colon *vulneratum inverſum per XIV. annos ex abdomine propendens.* 403
Colonienſis *rei numariae hiſtoria.* 193 ſqq.
in Colonienſium *Archiepiſcoporum numis vexillum geminatum quid ſignificet?* 199
in Epiſtolam D. Pauli ad Coloſſenſes *Commentarius.* 547
Columbariæ *Societatis Florentinae Commentarii.* 289 ſqq. 378 ſqq.
de Cometis. 439
Conſulum *Romanorum auctoritas.* 369

de Coptis *ſcriptores.* 179. 180
de Coralloidibus *fungis.* 204
Coralliorum, *& aliorum concretorum marinorum hiſtoria.* 155 ſqq.
Corcyræ *nigrae numi.* 371
Cordis *contractio & mutua dilatatio, ex ſolo mechaniſmo non declaranda.* 325
Corporis *humani diſſectio quomodo inſtituenda?* 383 ſq.
variae partes ſentiendi facultatis expertes. 411
Corpus *humanum totum non eſt vaſorum continuata ſeries.* 326
Creata *res anxie exſpectans.* 313 ſq.
de Cretacea *terra & ſale cretae innato.* 235 ſqq.
Fr. Car. Caſ. a Creuz *laudes.* 670. 671.
de Criſibus. 718
Criticæ *in varios Auctores veteres Struchtmeyeri, filii, obſervationes.* 445 ſqq.
Georg. Conr. Cruſius *vapulans.* 306
Crux *in numis unde?* 194
Iac. Curtius *caſtigatus.* 306
de Cuticula *abſcedente.* 318
an Cyſtitome *lateralis perfectior ſcalpello vagina recondito?* 66

D.

pro Danico-*Norvegici imperii habitu defenſio.* 100
Decreti *abſoluti ſpecioſum praeſidium ex Epiſtola ad Romanos eliminatum ab Heumanno.* 314 ſqq.
de Dentibus *varia.* 322. 323
de Deſpotismo *quaedam.* 102
in Digeſtorum *loca complura obſervationes.* 300 ſqq.
de Diotrephe *apud Iohannem Apoſtolum.* 543
Diſſecandi *corporis humani methodus.* 383
Doctorum *virorum, qui quidem hodie ſuperſunt, hiſtoria.* 93
Segim. Frid. Dreſigius *primus N. T. verba Graeca media diligentius expendit.* 264 ſqq.

E.

Eccardus *notatus.* 22
Eccleſiæ *Venetae antiquis monumentis illuſtratae.* 213
de Eccleſiarum *& templorum hiſtoricis.* 98
Emancipatio *canonica in Capitulis Germaniae.* 295
Encyclopædiæ *auctores notati.* 102
de Enteroperiſtole. 35
de Entero-Epiploocele. 38

En-

Digitized by Google

Entero - Oſcheocele, *absque brachèrio & ſectione curata.* 40
Epaphras & Epaphroditus *eadem vox.* 547
de Epididymide. 324
Epiploo - Enterocele *cruralis, incarcerata, ſphacelata, feliciter curata.* 40
Epiſcoporum & *Praelatorum Germaniae confirmatio Pontificia.* 295
de S. Euchariſtia *quaeſtiones tres.* 161
ex Euclide *reſtituta Philoſophia.* 33. 159
Eumenis, *Regis Pergameni, numus.* 374
Eunoſtus, *Deus molarum.* 380
de Euripidis *loco quodam.* 448
S. Euſebii *Magni Epiſcopi & Martyris Codex IV. Evangeliorum vulgatus.* 440
de Exomphalo *inflammato, exulcerato, & poſtea conſolidato.* 41
de Exoſtoſi *ſteatomatode claviculae.* 417

F.

de Febri *epidemica Culemburgenſium.* 718
Febrium *quartanarum aliarumque intermittentium, cito, tuto & iucunde curandarum methodus.* 111
Felonia *omnis anno extinguitur.* 286
Feminæ *Gallicae, regnante Ludovico XIV. illuſtres.* 133
Femoris *amputatio non cruenta.* 409
luxatio & cervix fracta. 411. 412
Femur *an in cavitate cotyloidea aliquando amputandum?* 410
Feodalis *iuris oblectamenta.* 286 ſqq.
Feſtus *reſtitutus.* 427
de Filii *hominis nomine.* 164
de Fiſtula *ani feliciter curanda.* 69
Flamingici *manſi.* 574 ſqq.
Floreni *aurei, Seculo XIV. in Germania frequentati.* 197
Franc. Florentis *opera iuridica denuo edita.* 395
Florus *defenſus.* 639. 640
Fluxus *ventris varius explicatus.* 254 ſqq.
Foederis *Helvetici hiſtoria.* 209 ſqq.
de Foetus *vivi extractione, utero prolapſo.* 50
de Fontium & *Fluminum origine.* 143
contra Forenſe *ſtudium ſimplex.* 107
cauſſarum in Foro *orandarum vitioſae rationes.* 107
Foubertianæ *methodi pro ſe-*

ctione calculi hiſtoria & examen. 63
de Franciæ *Orientalis Ducatu Diſputatio.* 21 ſqq.
de Friderico I. *Imperatore ſcriptores.* 553 ſq.
Fulminum *origo prope terram quaeſita a Maffeio.* 554 ſqq.
Fungi *agri Ariminenſis deſcripti.* 201
Fungorum *origo, noxa, varia genera.* 201 ſqq.
Fungus *quidam Bauhini adhaemorrhagiam ſiſtendam egregius.* 407

G.

Galimatias, *vox, unde petita?* 690
Galli *ſub Ludov. XIV. Theologi.* 127
Iuriſconſulti. 128
Hiſtorici. 129
Philoſophi. 130
Medici. 130. 131
Poetae & Muſici. 131
Philologi. 132
Architecti. 133
Pictores & Chalcographi. 134
Galli *quomodo fiebant apud veteres?* 145
Galliæ *hiſtoria litteraria.* 140
Gaſtonis, *Patriarchae Aquileienſis monumentum.* 379
Gemaræ *veſtigia quaedam in N. Foed.* 5
de Genuum *ſtructura, eorumque morbis.* 70
Gerade *quid?* 578
Gerhab & Gerhaber *voces, ex aevo medio illuſtratae.* 580
Gerichte *vocis uſus antiquior.* ibid.
Germanici *Imperii Archivum rei monetariae.* 329. 463
Ghibellinorum *Florentinorum forma ſacramenti.* 25
Gloſſarii *Germanici, praecipue Iuris & Fori* Germanici, *prodituri ſpecimen.* 574
de Goldaſti Catholico *Monetario iudicium.* 198
de Graduum *computatione.* 288
Græcæ *voces & loquendi formulae illuſtratae.* 4. 7. ſqq. 82 ſqq. 119 ſqq. 266 ſqq. 313 ſqq. 453 ſqq. 496 ſqq. 451 ſqq. 502. 503. 541 ſqq.
de Græcorum *verbis mediis commentationes.* 264 ſqq.
de Gravitatione *materiae univerſali.* 437
Groſſi *Germanici, aliaque monetae genera.* 340 ſqq.
de Grotii *Floribus ſparſis ad Ius Iuſtinianeum.* 333

H.

Digitized by Google

H.

de Habſpurgo - *Auſtriaca genealogia nonnulla.* 252
Hæreticos *ultimo ſupplicio afficiendos eſſe, infeliciter probatur.* 153 ſq.
Albertus Haller *Chirurgicas diſputatioes colligit.* 34. 49 401
Halleri, *numi in Germania.* 330
an Hamatile *obſtetricium ad ſervandam prae foetu matrem adhibendum?* 53
Joſephus Hartzheim *Hiſtoriae Colonienſis numariae collector.* 193
de Haſtis *veterum Commentarius ampliſſimus.* 375
Havnienſia *acta medica continuata.* 110
Epiſtola ad Hebræos *ex Philone illuſtrata.* 73
eius Auctor Paulus vindicatus. 78. 79
graece ſcripta fuit, non Hebraice. 80
Hebraicæ *voces explanatae.* 4 314. 559. 692
Hebraico - *Chaldaico - Latino-Biblicus Index generalis, XXX. Voluminum.* 343
Hebraiſmorum *in vi Verborum Mediorum N. Foed. demonſtranda utilitas.* 265
Helvetici *Foederis hiſtoria.* 209 ſqq.
Hepatis *ligamenta praeparandi ratio.* 386
vulnus curatum. 404
an Hepatis *dubio in abſceſſu praemittenda incidendi loci perforatio?* 70
Hequeti *& Petiti de lente cryſtallina controverſia.* 416
Deſid. Heraldus *notatus.* 307
Herbipolitani *Epiſcopi unde & quo iure Duces Franconiae Orientalis dicti?* 21 ſqq.
Herculanenſium *veterum monumentorum Catalogus.* 443
Hernia *incarcerata, nova encheireſi extricata.* 37
ſuppurata ſaepe non lethalis. 43
Hernia *cruralis.* 44
dorſalis ſtupenda. 46
ventralis. 41
ventriculi. 42
veſicae urinariae. 45
Herniarum *genera & curatio.* 34
an Herniarum *curationi chirurgicae muſculorum ſternomaſtoideorum tenſio noceat?* 39
an in Herniis *inteſtinalibus, etiam cognita inteſtini prolapſi laeſione, operatio celebranda?* 37
Hernioſis *ex ſcuto eburneo, coriaceoque cingulo ſubligacula paranda.* 417

Digitized by Google

Hetruria *an Etruria ſcribenda?* 639

Hetruſcæ *linguae monumentum.* 379

Chr. Aug. Heumanni *laudes & felices in N. Teſt. libros labores.* 309. 539

Hibernici *ſcriptores ad Seculi usque XVI. initium.* 136

Hiſtoriæ *definitio.* 637

litterariae commendatio. 239

Hiſtorici *Galli, regnante Ludovico XIV.* 129

Hiſtorico - *eccleſiaſtica anecdota a Wincklero publicata.* 160

Hoffſtatt, Hoffſtætte, *voces ex aevi medii uſu illuſtratae.* 585

Homerus *iuſti & iniuſti doctor.* 332

Honorii III. *Pont. M. de Iure Romano in Galliam traducto querela lepida.* 223

P. D. Huetii *Epiſtolae ad Leibnitium.* 167

Humeri *luxatio quomodo tollenda?* 412

Hungarorum *nomen, origo, epocha in Pannonia.* 355 ſqq.

Hunnorum *nomen & hiſtoria illuſtrata.* 347 ſqq.

de Hydrocele. 46. 48

Hypapante, *Graecis feſtum purificationis.* 221

Hypochondriaci *morbi natura & curatio mechanica.* 363 ſqq.

I.

de Iacobitis *ſcriptores.* 179 180

de Iaponia *quinam ſcripſerint?* 180 ſqq.

de Iapygia *libri.* 182

Iccium portum *qui deſcripſerint?* 183

Immortalitas *animi demonſtrata.* 652

de Imperatore *Diacono.* 295

Imperatoribus *Romanis, Graecis, Germanis praeſtita pedum deoſculatio.* 700

de Imperii *inſignium tutela.* 296

pro Imperii *Monarchici praeſtantia argumentum.* 104

de voce Incrocare. 688

Inſcriptio *marmoris de Neroniana perſecutione vindicata.* 714 ſqq.

vetus in Helvetia ſuperſtes. 210

Inſcriptiones *in marmoribus vetuſtis.* 26

Inſcriptiones *ſepulchrales.* 221

Interdictum *ſacrorum, in urbem Nemauſum ridicula de cauſſa vibratum.* 90

in Interpretes *Bibliorum Philoſophicos.* 84

Inte-

Digitized by Google

Inteſtinorum *ſitus praeternaturalis, cauſſa morborum.* 34
compreſſio. 35
tenuium vulnus an lethale? 404
Iudæi *Seculo XIII. e Gallia non eiecti.* 87
in D. Iohannis *II. & III. Epiſtolam Commentarius.* 539
de Irritabilitate *corporis humani obſervationes.* 329. 647
Iudicia *ſecularia, medio aevo fraude declinata.* 196
de Iuramento *ad reliquias.* 296
ſuper Iure *Civili Obſervationes reprehenſae.* 299
de Iure *monetandi in Imperio Germanico.* 331
de Iure *& Iuſtitia varia ad Dig.* 334
Iuridica *Bibliotheca Realis Lipenii iterum edita.* 587
Iuris *Civilis Romani fontes.* 332
Iuris *naturalis, ſocialis & gentium obſervationes.* 704
Iurisconſulti *Galli ſub Ludovico XIV.* 128
Romani, Graecis litteris intenti. 333
Ius *privatum Principum explicatum.* 15 ſqq.
in Ius *Canonicum univerſum notae.* 150
Ius *Romanum in Galliam traductum.* 223

K.

Κυρία *apud D. Iohannem, Cyria, non Domina.* 541

L.

Laici *rerum ſacrarum ſcriptores, nec ab iis arcendi.* 98. 99
Landvogtiæ *Caeſareae & Imperialis in Suevia hiſtoria.* 145
ad Laodicenſes *Chriſtianos D. Pauli epiſtola.* 549
Laquais *unde dictus?* 691
deorum Larium *ſtatuae.* 289
Latina *N. Teſt. verſio vetus cum Syriaca cognata, & cauſſae cognationis.* 12 ſq.
Latina *vocabula ignota medii aevi.* 93
de Latio *&* Latinis. 370
de Variis Lectionibus *N. Teſt. inprimisque Syriacis, & Latinizantibus.* 10 ſqq.
Gottfr. Guil. Leibnitii *epiſtolae ad Huetium.* 167
de eius philoſophia nonnulla. 433
Lentis *cryſtallinae morbi praecipui.* 415
Leopoldi *Imperatoris ad Clementem XI. Pont. Max. epiſtola.* 165
Lethalitas *per accidens.* 401
Ioh. Leunclavius *notatus.* 307
Libri *rari & veteres.* 240
571

de Linguæ *reticulo.* 321. 322
de Lipenii *Bibliotheca Reali quadripartita iudicium.* 175
Lipenii *Bibliotheca Realis Iuridica denuo edita & locupletata.* 587
de Lithontripticis *medicamentis.* 66
de Lithotomia, *& ſpeciatim Celſianae praeſtantia & uſu.* 60. 61
Litteraria *hiſtoria Galliae, regnante Ludovico XIV.* 126
Litterariæ *bibliothecae novae, univerſalis, realis, ſpecimen.* 174
Litterarius *adparatus.* 570
Litterarum *in Gallia ortus & progreſſus.* 140
de Litteris *priſcis Romanorum.* 418
pro Livio, *prodigia narrante, defenſio.* 291
Livius *illuſtratus.* 418
eius ſcribendi genus & emendationes. 425
Lotharingiæ *notitia, a Calmeto concinnata.* 550
de Lucilio *poeta.* 427
Luſus *fluvius, verus antiquorum Rubicon.* 429
de Lycoperdis. 208
Lycurgus *cur leges tabulis inſcribi noluerit?* 341
de Lymphaticis *venis valvuloſis, earumque origine diſputatio.* 589

M.

Colini Maclaurini *vita & laudes.* 424. 430 ſqq.
theorema quoddam algebraicum notatum, & cum certiore mutatum. 422
Magdeburgenſis *Eccleſiae Metropolitanae Statuta Synodalia.* 167
de Manumiſſione *quaedam.* 339
Martialis *Propertio inferior.* 640
Materiæ *affectiones.* 465. 466
Matrimonialis *quaeſtio.* 162
de Matrimonio *Principum.* 19
ad Morgengabam. 287
Maurarius *quid ſit?* 26
Media *Graecorum verba in Novo Teſt. collecta.* 266 ſqq.
Medica *Acta Havnienſia continuata.* 110 ſqq.
Medici *Galli ſub Ludov. XIV.* 131
Medio - *Activa Verba Graeca.* 283 ſqq.
de Mediolanenſibus *rebus ſcriptores.* 183 ſqq.
Pompon. Melæ *editio rara.* 573
Menſuræ *virium per quadrata velocitatum demonſtratio Bernoulliana oppugnata.* 435

Men-

Digitized by Google

Menſurarum *antiquarum tabulae.* 258
de Mente humana, *omnis compoſitionis experte, Meditationes.* 465
Metallifoſſoriæ *rei inſtitutiones.* 526
Ioh. Dav. Michaelis *laudes.* I. 15
C. Middleton *in producendis antiquitatis monumentis diligentia.* 476 ſqq.
Militare *Lexicon novum.* 696
de Millii *Collectione Var. Lectt.* 10
Miſcellaneæ *Lectiones in ſcriptores varios.* 424 ſqq.
Molarum *Deus Eunoſtus, radio deſcriptus.* 380
de Monadibus *& infinite parvis.* 467
Monarchia *vera, non limitata ſed abſoluta.* 401
Monetariæ *rei Imperii Germanici Archivum.* 329 ſqq. 463 ſqq.
Monſtri *gemelli coaliti hiſtoria.* 111 ſqq.
de Monſtris, *eorumque fictione poetica.* 569
de Montesquieu *refutatus.* 100 ſqq.
Monumenta *antiquitatis permulta a Middletono publicata.* 476
Morbi *hypochondriaci natura & curatio.* 363 ſqq.
Morbillorum *inſitio commendata.* 622
de Morbis *a ſitu inteſtinorum praeternaturali.* 34
genuum. 70
Motus *theoriae, ſeu mechanicae rationalis praecipua capita.* 434 ſq.
Mundus *optimus, libertati, potentiae & ſapientiae Dei convenientiſſimus.* 535
Murenſis *monaſterii principalis acta fundationis denuo examinata.* 251

N.

de Naturæ *vi & lege generali.* 648
Naturalium *Sienenſium index.* 235
de Navigatione *veterum.* 263
Nemauſi *urbis hiſtoria civilis, eccleſiaſtica, litteraria, Sec. XIV.* 85
de Neroniana *perſecutione Chriſtianorum, in Hiſpaniam propagata.* 714
Iſ. Newtoni *inventa philoſophica delineata.* 429
Newtoniana *lex attractionis infirmiter oppugnata.* 651
Claudii Nicaſii *ad Leibnitium epiſtola.* 168
Nicomedenſium *numus.* 373
in Nihilum *an animi humani cogi poſſint?* 656

Gerh. Noodtius *notatus.* 309
Herm. Noordkerk *reprehenſus.* 303
de Numaria *re veterum nonnulla.* 258 ſqq.
Numariæ *rei Colonienſis hiſtoria.* 193 ſqq.
Numerorum *apud Romanos ſigna antiquiſſima.* 421
Numorum *antiquorum tabulae.* 258 ſqq.
in Numos *quosdam veteres urbium Animadverſiones E. Froelichii.* 371
de Nutritionis *legibus.* 327

O.

Oculus *coecus a Spiritu Vini.* 249
de Orientalium *linguis monitum.* 629
Origines *populorum in Hungaria.* 347 ſqq.
de Oſcheoentereo, *Helvetis frequente.* 36
de Oſſibus *tuberoſis.* 72
de Oſſilegio. 290
de Oſſium *vulneribus rite curandis.* 72
Otto III. *Servus Apoſtolorum.* 25
Ovidii *locus emendatus.* 446
Axel. Oxenſtiernæ *in Formulam Concordiae favor, & defenſio Calovii.* 171

P.

de Pace *Religioſa Germaniae.* 151. 152
Eliae Palaireti *Obſervationes in N. T. notatae.* 453. ſqq.
Palladii *de febribus conciſa ſynopſis edita a Bernardo.* 678
Palmyreni *Alphabeti vera poteſtas explicata.* 623. 671
forma exhibita. 627
Pandectæ *emendatae.* 31
de S. Pantaleonis *martyris Eccleſia Parochiali Venetiis.* 206
de Papillis *nerveis.* 321
Paracenteſeos *novum inſtrumentum.* 417
de Parthicorum *regum numis & inſcriptionibus.* 629. 630
neceſſaria in Partu *praeternaturali inſtrumentorum applicatio.* 49
de rupto in Partu *utero.* 51. 52
Paſtoureaux *in Languedocia.* 87
S. Paulus *Auctor Epiſtolae ad Hebraeos.* 78. 79
num Philonem legerit? 81
de Pede *marceſcente & indurato.* 72
Pedum *deoſculatio Imperatoribus Romanorum quondam praeſtita.* 700
Pelasgi *Romae conditores.* 419

de

Digitized by Google

de Penna *marina.* 322
Perſecutionem *Chriſtianorum Neronianam in Hiſpaniam penetraſſe demonſtratur.* 714
Sam. Petiti *aenigma Palmyrenum.* 624
de Petrimontana *Eccleſia Collegiata Imperiali & Immediata.* 381
a Petropolitana *ſcientiarum Academia propoſitae quaeſtiones.* 681
Philippi *Magnanimi Haſſi epiſtola ad Carolum V.* 172
ad Philippenſes *Chriſtianos epiſtola commentario illuſtrata.* 543
Philo *epiſtolam ad Hebraeos colluſtrans.* 73
eius doctrina & defenſio. 75. 76
Philologi *Galli ſub Ludovico XIV.* 132
Philoſophia *mathematica.* 33. 159
Philoſophi *Galli, regnante Lud. XIV.* 130
Philoxeniæ *verſionis Syriacae exemplum apud Gloc. Ridleium.* 3
de Phoca. 329
Phyſices *hiſtoria adumbrata.* 432 ſq.
Phyſiologicæ *& Phytographicae obſervationes.* 318
Pictores *Galli ſub Ludov. XIV.* 134
Picturæ *veteris fragmentum nobiliſſimum.* 478
de Picturis *in templis Arimini.* 245
in Italiae urbibus deſcribendis votum. 245
Iohannis Pigeon *vita & labores.* 487
Placitum *ſeu iudicium Ravennae, A. 1098. habitum.* 24
Iani Planci *defenſio.* 246 ſqq.
Plantarum *ſexus diſquiſitioni propoſitus.* 682
in Plinii *locum quendam.* 421
Poetæ *Galli ſub Ludovico XIV.* 131
de verbi Ποιεῖν *vero uſu regulae.* 278
de Polypo *poſt febrem epidemicam ex utero egreſſo.* 56
marino maiore. 156 ſqq.
de Pondere *Romanorum.* 373
Ponderum *antiquorum tabulae.* 258
Pontificum *Romanorum litterae permultæ inde a Sec. XII. ubi quaerendae?* 219 ſqq.
iidem poſt abdicationem quomodo nominati? 220
Principum *ius privatum.* 15 ſqq.
matrimonium, ius in liberos, &c. 19 ſqq.

Sext.

Sext. Aur. Propertii *nova & praeſtans editio.* 635
loca varia illuſtrata. 637 ſqq.
locus emendatus. 448
in Proſodiaſtas. 123
Pſellus *de lapidum virtutibus editus a Bernardo.* 729

R.

Rari *quidam libri.* 240 ſqq.
de Regia *poteſtate.* 103
Regum *Romanorum imperium.* 367. 369
Ioh. Iac. Reiskius *egregius Anthologiae editor.* 115 ſqq.
de Religionis *Romano-Catholica & Proteſtantium unione conſilia.* 165.
Religionum *ſeu ſacrarum diſciplinarum omnium lexicon.* 31
Reprehenſiones *obſervationum multarum ſuper Iure Civili.* 299 ſqq.
de Reticulo. 319
Romanarum *rerum ſub regio & conſulari imperio geſtarum commentarii.* 367
Romanæ *urbis origo & nomen.* 419
de Romanorum *priſcis litteris.* 418
re numaria. 262
in Epiſtolam ad Romanos *Commentarius.* 309
de vero Rubicone *veterum lis inter Caeſenates & Arminenſes.* 428
Theod. Mariae Rupprechti *flores ſparſi in Ius Canonicum.* 152 ſqq.
de Rutæ *Saxonicae vera origine.* 523
Ruyſchius *multa de ſuis ſenex retractat.* 323

S.

Saginarium *glirarium quid?* 444
Sal *commune, ſpiritus* acidi *cuiusdam ſingularis particeps.* 112
de Sale *cretae innato.* 235
de Saliis *ſacerdotibus.* 426. 427
Salvini Salvinii *vita & epitaphium.* 381
Sarbievii *locus Propertiano reſpondens.* 636
de Sarcocele. 46. 47
de Sarcomate, *e pudendo muliebri ſectione ſublato.* 55
Saxonicam *Rutam diadema aut ſertum Ducale videri.* 525
de C. Schaafio *iudicium.* 7
Scripturæ *S. loca explicata aut illuſtrata:*
Geneſ. I, 1. 313
II, 3. 4. 7. ibid.
VI, 2. 563
VII, 23. ibid.
Levit. XVIII. 162

Deut.

Digitized by Google

Deut. IX, 5. 80
XXXIV, 5. 6. 162
2 Sam. XXII, 6. 3
Pſalm. XVIII, 6. ibid.
Matth. I, 20. 272
XXII. 165
Marc. II, 23. 269
XIII, 12. ibid.
Lucae X, 42. 281
XII, 58. 267
29. 275
XVII, 15-18. 166
11. 691
Iohann. X. 165
Actor. I, 16. 6
II, 9. 9
24. 3
37. 7
III, 2. 10
VII, 5. 453
VIII, 3. 11
23. 9
27. 4
XIII, 8. 9
10. 7
XIV, 27. 453
XVI, 13. ibid.
XVII, 22. ibid.
XVIII, 5. 6. 4
24. 7
XX, 10. ibid.
13. 8
22. 454
28. 11
XXI, 15. 268
XXII, 3. 5
Actor. XXIII, 1. 454
10. 6
XXIV, 5. 8
XXV, 4. ibid.
Rom. I, 4. 454
20. 314
II, 5. 6. 311
25. 454
III, 8. 311
14. 9
28. 311
VII, 14. ſqq. 312
VIII, 19. ſqq. 313
IX. 314 ſqq.
6. 10. 11. 454
28. 455
XII, 16. 280
1 Corinth. II, 2. 455
4. 4
V, 2. 31. 455
XI, 10. ibid.
XIII. 691
1. 456
XIV, 19. ibid.
XV, 29. 270. 456
34. 57. 457
2 Corinth. VII, 9. 457
IX, 11. ibid.
Philipp. I, 5. 6. 543
9. 16. 21. 457. 544
II, 1. ibid.
6. 9. 12. 21. 545
30. 546
III, 1. 20. ibid.
IV, 1. 3. 5. 6. ibid.
7. 8. 15. 18. 547

Coloſſ.

Digitized by Google

Coloſſ. I, 7. 25. 547
II, 8. 9. 14-19. 548
15. 267
III, 11. 548
21. 549
IV, 16. ibid.
1 Timoth. III, 15. 457
Tit. III, 11. 271
1 Petr. III, 19. 169. 458.
1 Ioh. IV, 8. 458
V, 7. 14
2 Ioh. 1. 4. 10. 11. 541
3 Ioh. 1. 2. 542
9. 10. 543
Hebr. I, 3. 12. 82
II, 1. ibid.
6. 13. 83
IV, 13. 457
VI, 1. ibid.
VII, 22. 83
XI, 1. ibid.
Apocal. X, 7. 273
XIV, 6. ibid.
Scythæ *Barbaris oppoſiti, quamvis & ipſi Barbari.* 548
de S. Sebaſtiani *monaſterio Venetiis.* 217
de Q. Sectani *ſatyris.* 244
an Sectio *Caeſarea ad ſervandum cum matre foetum adhibenda?* 53
de Secundinarum *adhaerentium extractione non differenda.* 50
de Senſatione. 645
de Senſibilitate *corporis humani obſervationes.* 392
Car. Serra *caſtigatus.* 247
de Servis *& libertis antiquis.* 290
Servitium *ab Epiſcopis Papae praeſtitum.* 91
Servitutis *origo & natura.* 338
de Regis utriusque Siciliæ *Capella.* 471
Signum *quoddam militare.* 292
vocis Sipzahl *origo.* 287
de voce Sola *in Script. S. verſione.* 311
in Solinum *quaedam.* 447
Spectacula *Romanorum Reipublicae fatalia.* 263
Phil. Iac. Speneri *ad Leibnitium epiſtolae.* 169
de Spica *deglutita, & per apoſtema hypochondrii dextri reiecta.* 403
Spiritus *vini oculo noxius.* 249
Stella *quidam obſcurus.* 171
Stemplovii *in Philoſophos recentiores miſeranda ira.* 538
Iohannae Stephens *lithontripticum.* 66. 67
ex Stolpiano *inſtituto praemia oblata & diſtributa.* 633
Strabonis *locus emendatus.* 356. 357
de Strepitu *in pectore inter potandum.* 718

Suevicae

Suevicæ *Landvogtiae Imperialis & Iudicii Provincialis hiſtoria.* 145 ſqq.
Suevicarum *rerum theſaurus, ſeu de natalibus, migrationibus, bellis ac fatis gentis Suevicae Diſſertationes.* 397 552
Swinton *Palmyreni Alphabeti veram poteſtatem eruit.* 671 ſqq.
de Symbolis *Eccleſiae Romanae quaedam.* 150
de Syriaca *Novi Foederis verſione complura.* 1 ſqq.
Syriacæ *voces illuſtratae.* 4. 5 ſqq.
non ex ſola verſione N. Teſt. diſcendae. 6

T.

Taciti *locus illuſtratus.* 421
Thomae Tanneri *vita.* 137
de Tellio, *vindice libertatis Helveticae.* 209
Tendo *Achillis diſruptus.* 410
de Novi Teſtamenti *Verbis Mediis diſputatio, eorumque collectio plena.* 264 ſqq.
dictione a ſuſpicione peregrinarum ſordium caute liberanda. 451 452
de Teutonico *Ordine quaedam.* 224
Theologi *Galli ſub Ludovico XIV.* 127
Theologicæ *Facultatis Lipſienſis reſponſum.* 163
Theophraſti *characteres emendati.* 501
Thomæ *Magiſtri Eclogae Vocum Atticarum egregie editae.* 491 ſqq.
idem parum ieiuneque Graece calluiſſe, & N. Foed. dictionem arroſiſſe convincitur. 497 ſqq.
de Thomani *ab Hagelſtein Actis publicis monetariis iudicium.* 198
Caeſ. Traiani *tabula reperta & vulgata.* 26 ſqq.
liberalitas. 28. 29
ad Transſylvaniæ *hiſtoriam eccleſiaſticam quaedam.* 171
de Tubo *inteſtinali.* 324
de Tuberaſtro *eiusque fungis.* 207
Tumor *uteri fundo externe adhaerens.* 56
de Tumoribus *tunicatis.* 413
bracchii, pedum. ib. 414
Typographiæ *inventae laus Germanis fruſtra detracta.* 141

V.

Vandewaterus *reprehenſus.* 304

de Vaſis *ſanguifluis.* 328
de Vaſallis *quaedam.* 286
de Veleiatium *republica nonnulla.* 26. 29
de Velo *tabernaculi interiori, eiusque myſterio.* 568
de Venæſectione. 414. 718
Venetæ *eccleſiae antiquis monumentis illuſtratae.* 213
de Venis *lymphaticis valvuloſis, earumque origine.* 589
Ventorum *cauſſa generalis inveſtigata.* 529
Ventriculi *vulnus.* 418
Ventriculus *perforatus, per viginti ſeptem annos.* 402
Ventris *fluxus multiplex explicatus.* 254 ſqq.
Vermes *in oſſium tubis non naſcuntur.* 323
Vim *alteri iniuſte inferre, naturaliter turpe demonſtratur.* 238
Virgilii *loca illuſtrata.* 694 695
Virtutes *militum.* 699. 700
Ludov. Vitalis *caſtigatus.* 307
Vlpiani *loca complura illuſtrata, correcta.* 300 ſqq.
de Vngue. 324
Vrina *cum ſedimento coeruleo, ex Ieſuitarum pilulis orta.* 449
Vrinæ *incontinentia ex partu, globulis ligneis curanda.* 55
Vteri *procidentiae curandae novum artificium.* 53
prolapſus & inverſio, eiusque vaginae relaxatio. 54
Vterus *in partu ruptus.* 51. 52
gravidae una cum foetu vulneratus. 405
de Vtriculario *tibicine.* 482
de Vulneribus *oſſium rite curandis.* 72
Ioh. Anton. Vulpii *in Propertium curae.* 635
carminum latinorum ſpecimen. 642

W.

Waldemari III. R. *Dani conſilium, Angliam invadendi.* 90
de Wetſtenii *in N. Teſt. laboribus iudicium.* 15

Y.

Ὕφεν *lineola reſtituta.* 638

Z.

de Zigenorum *ſeu* Zingarorum *baptiſmo.* 170
Zoographicæ *obſervationes.* 318 ſqq.
Zoſimus *emendatus.* 500

Tabulæ

Tabulae figurarum radio inſcriptarum.

Tabula	I. ad Menſem *Aprilem.*	pag. 195
	II. ad Menſis *Iunii* Partem II.	380
	III. ad Menſem *Octobrem.*	627

Errores operarum.

Pag. 34. lin. 25. & pag. 49. lin. 5. pro *Lauſanne* lege *Lauſannae:* pag. 148. lin. 7. pro *ingenioſum* lege *in principio:* pag. 154. lin. 28. pro ψεȣδερμηνέιαν lege ψευδερμηνείαν: pag. 168. lin. 12. pro *heterodoriae* lege *heterodoxiae:* pag. 220. lin. 1. pro VII. lege XVII. pag. 541. lin. 10. pro *foemitae* lege *foeminae:* pag. 630. lin. 29. pro *Siwintonus* lege *Swintonus.*

Digitized by Google

Digitized by Google

Österreichische Nationalbibliothek
+Z171846502
Digitized by Google

Digitized by Google